Les Bibliothèques Virtuelles Huıanistes

Extrait de la convention établie avec les établisseıents partenaires :

- ces établisseıents autorisent la nuıérisation des ouvrages dont ils sont dépositaires (fonds d'Etat ou autres) sous réserve du respect des conditions de conservation et de ıanipulation des docuıents anciens ou fragiles. Ils en conservent la propriété et le copyright, et les iıages résultant de la nuıérisation seront dûıent référencées.
- le travail effectué par les laboratoires étant considéré coııne une « oeuvre » (nuıérisation, traiteıent des iıages, description des ouvrages, constitution de la base de données, gestion technique et adıinistrative du serveur), il relève aussi du droit de la propriété intellectuelle et toute utilisation ou reproduction est souıise à autorisation.
- toute utilisation coıınerciale restera souıise à autorisation particulière deıandée par l'éditeur aux établisseıents détenteurs des droits (que ce soit pour un ouvrage édité sur papier ou une autre base de données).
- les bases de données sont déposées auprès des services juridiques coıpétents.

Copyright - © Bibliothèques Virtuelles Huıanistes



34494150

Ex Bibliothecâ
J.J. Lucas Col. Med. Antv.
Socii.

L
54

†

D. Petrus Phalesius

Dionis Nicæi, rerũ Romanarvm a Pompeio Magno, ad Alexandrum Mamææ filium Epitome, Ioanne Xiphilino authore, & Guilielmo Blanco Albienſi interprete.

C.E.S. I.ENA ANCE 7587 TOURS

Ad Georgium Armeniacum, Cardinalem Ampliſs.

LVTETIAE,

M. D. L I.

Cum priuilegio Regis.

GVILIELMVS BLANCVS GEORGIO ARmeniaco, Illuſtriſſimo atque ampliſſimo Cardinali ſuo S.

CVM me domum tuam ſuperiore anno recepiſſes, Georgi Illuſtriſſime atque optime, nihil mihi potius fuit, quàm curare, ut eximium & ſingulare ſtudium meum, quod in te habui ſemper, multis rebus perſpicæres. Conſtitueram enim cùm Romam uenirem, me tibi totum aliquando dedere, & in te omnia mea ponere, & quaſi conſecrare. Ad quam rem multæ me impellebant cauſæ, ſed in primis uera illa & firma, quæ de tua ſingulari humanitate, ſuauiſſimiſque moribus habebatur, opinio. Accedebant etiam ſtudia doctrinæ, quibus tu non ſolùm à pueritia deditus fuiſti, ſed etiã ad ea diligenter exercenda ita reliquos omnes inflãmaſti, ut apud Ruthenos, cùm factus eſſes eius gentis epiſcopus, multos tuo exemplo, maximiſque beneficiis ad hæc ſtudia litterarũ ac humanitatis excitares. Quæ cùm ſtatuiſſes, nunquam intermittere in maximis occupationibus tuis, eſſéſque poſtea à Franciſco rege Gallorũ optimo ac tui amantiſſimo miſſus ad Venetos legatus, atque inde huc Romam ad Paulum III. Pontificem Maximum, nactus occaſionem, magnam operam poſuiſti in reſtituendis optimis authoribus, & ab obliuione uindicandis. Quorum magnum numerum non ſolùm undique perquiri ac deſcribi iuſſiſti tuis ſumptibus: ſed etiã Regi omniũ bonarũ artium ſtudioſiſſimo, ut idem faceret, miſſis in omnes partes Europæ doctiſſimis hominibus, facilè perſuaſiſti. Deinde cùm eſſes propter has legationes obitas liberè cooptatus in ordinem Cardinalium, ad illuſtrandam nobilitatem tuã, & ad memoriam laudum domeſticarum, nẽpe ut tu unus memoriam maiorũ tuorum Armeniacorum principũ, quos uiros clariſſimos fuiſſe conſtat, & potentiſſimos in Aquitania, dignitate ſimul & uirtute renouares, exiſtimaſti manendum tibi eſſe ſemper in propoſito, ſuſceptóque conſilio, ut abs te ueteres libri ab obliuione hominum atque ſilentio uindicarentur. In quibus fuit Epitome Dionis: quæ cùm fortè domi tuæ in meas peruenirent manus, cuperémque (ut principio dicebam) ut tu meam erga te uoluntatem cognoſceres, cœpi tua cauſa ipſam è græco in latinum conuertere. Qua in re cùm tibi opera mea ſatisfacere uideretur, iuſſiſſéſque mihi, ut inchoatum opus abſoluerem: magna lætitia ſum affectus, propterea quòd tibi, quo nemo authoritate apud me plus ualet, neque uoluntate, rem gratam feciſſem. Itaque cùm ruſticarer hac æſtate cum Iacobo Sabello, nobiliſſimo & Clariſſimo Cardinali, omni ſtudio contendi, ut hunc Xiphilinum tuum, cùm in urbem rediiſſemus, tibi poſſem latinum offerre, ac dicare. Quod cùm faciam hoc tempore, non ab re erit, ut opinor, ſi pauca de Dione, & Xiphilino, déque ratione, quam ſum in interpretando ſecutus, dixero, quò poſſis rem omnem facilius cognoſcere. Igitur Dion Nicæus nobili genere natus, patrem habuit Apronianum proconſulem Ciliciæ. Ipſe uir ſenatorij ordinis, & bis conſul fuit. Verſatus eſt in ſtudiis bonarũ artium, uidetúrque, ut de Socrate accepimus, habuiſſe diuinum quoddam, quod dæmonion appellat, cui parebat ſemper, ita ut ob eam cauſam coniector ſomniorũ, & interpres portentorũ eſſet. Scripſit enim librũ de ſomniis, & prodigiis, quorũ cauſa Seuerus principatum ſperabat. Quo libro in lucẽ edito, miſſóque ad Seuerũ, imperatum eſt ei in ſomnis, ut animum ad ſcribendam hiſtoriam applicaret. Itaque ſcribere cœpit ea, quæ gerebantur illis temporibus: quæ cùm ipſi Seuero, & cæteris maximè ſatisfacerent, ſtatuit omnia, quæ ſpectabant ad populum Rom. perſcribere, præſertim quòd ei confirmatum eſſet diuinitus, hanc hiſtoriam, quam ne-

linqueret, magiſtram uitæ, nullo unquam temporis ſpatio eſſe perituram. Itaque primò conſumpſit annos decem in colligendis & coacernandis iis rebus omnibus, quas geſſit populus Romanus ab urbe condita uſque ad mortem Seueri: iiſque compoſitis rebus, ſpatio annorum duodecim, cætera, uti ſucceſſerunt, uſque ad ſecundum conſulatum ſuum, qui fuit Alexandri temporibus, perſecutus eſt. De quo imperatore ſcripſit pauca, propterea quòd non eſt Romæ diu commoratus, & quòd incidit in morbum, cùm ex Aſia in Bithyniam ueniſſet: quódque ex Bithynia miſſus eſt præfectus in AEgyptum. Cúmque inde reuertiſſet in Italiam, non ita multo poſt prætor in Dalmatiam, atque inde in Pannoniam ſuperiorem profectus eſt. Poſt ubi Romam uenit, in Bithyniam, quæ patria eius erat, reuertit, dimiſſus, quòd laboraret ex pedibus, ut poſſet reliquum uitæ tempus in patria degere. His de cauſis factum eſt, ut ibi finem acceperit hiſtoria, quam diligenter uereque propterea uidetur ſcripſiſſe, quòd ut uacaret à publicis muneribus, & otium in ſcribenda hiſtoria conſumeret, Capuã delegerat ad habitandum, quoties in Italia moraretur. Neque uerò tam difficile fuit Dioni Conſulari & prætorio uiro hiſtoriam Romanorum principum ſcribere, quàm cæteris priuatis hominibus. Nouerat enim, ut opinor, cauſas bellorũ, cæterarúmque rerũ, quæ abipſis gerebantur: quippe magnam partem audiebat in ſenatu, & optimatibus, atque adeò ipſis imperatoribus ita familiaris erat, ut ei facile eſſet eorũ conſilia cognoſcere. Nec uerò reprehendi debet, ut ego quidẽ arbitror, quòd ſæpe dicat uolatibus auiũ, cantibúſque, & ſomniis multorum, declaratas eſſe res futuras. Nam cùm Romanis nihil ferè liceret inauſpicato gerere, eſſétque collegium augurũ ob eam cauſam conſtitutum, & ſcientia iuris augurandi magno in honore ſemper haberetur, nihil præcipue peccauit illis quidem temporibus Dion, dum prodigia, quæ futura prædicerent, narrauit. Quæ cùm ita ſint, illud potius optare omnes debemus, ut hiſtoriam populi Romani, quam ille ab urbe condita uſque ad tempora Alexandri multis uoluminibus erat complexus, integrã aliquando inuenire & ſaluam poſſimus. Quæ tamen ipſa fortaſſe nobis uideretur prolixior, non aliter quàm Ioanni Xiphilino, qui eius Epitomen confecit. Hic enim cùm eſſet Ioannis Xiphilini Patriarchæ Conſtantinopolitani nepos, Michaëlis Imperatoris temporibus, uideréque fortaſſe hiſtoriam Dionis, qui annis circiter CCCCC antè ſcripſerat, negligi, quòd multis lõgiſſima eſſe uideretur, hanc eius Epitomen fecit. An autem idem fecerit in ſuperioribus libris Dionis, qui pertinebãt ad id tempus, quo reſpublica populi Romani in nullius uiri deuenerat poteſtatem, an à Pompeio initium ſumpſerit, ut nunc habemus, mihi quidem non conſtat. In hoc autem maximè probandus eſt Xiphilinus, quòd cùm hanc Epitomen ſcriberet, atque ea, quæ nimia eſſe uidebantur, reſecaret, in cæteris à uerbis, quibus Dion uſus fuerat, non diſceſſit: pauca enim adiecit de ſuo, ut Dionẽ ipſum magna ex parte, non Xiphilinum loqui putes. Itaque cùm Xiphilinus hãc fidem Dioni in Græco ſermone præſtiterit: mihi fuit elaborandum, ut cuius uerba latine totidem uerbis interpretari non poteram, ab eius ſententia nuſquam diſcederem. In primis autẽ illud egi, quoad facere potui, ut eſſet in hac Epitome latina ſermo non ille quidem ornatus, ſed tamen non abiectus, ne Græcam ad intelligentiam hiſtoriæ magnopere deſiderares. quod pleriſque uideo interpretibus contigiſſe, qui dum religioni uerborum ſeruiunt, ut latina ad uerbum de Græcis exprimant, ipſi latinè ſine Græco intelligi non poſſunt. Habet enim unuſquiſque ſermo propria multa, quæ ſiquis uelit, ita uti ſunt, in alium tranſferre ſermonem, obſcurus iis, qui non habent utriuſque linguæ ſcientiam, & inſolens in uerbis, ac odioſus ſit neceſſe eſt. Nam (ut exempli cauſa

dicam) si, quod Græci dicunt factum esse, πρώτη ἡμέρα ποσειδῶνος, id ego non dicam latinè Calendis Decembris esse factum, sed uelim Græcos imitatus, primo die Decembris interpretari, uidebor omnino latini sermonis ignarus atque insolens esse. Cùm igitur sint multa eiusdem generis, nunquam putaui in hoc libro interpretando, si dicat Dion dedisse imperatorem, πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδας δραχμῶν, latinè me posse dicere XXV myriadas drachmarum, aut CCL millia drachmarum, sed potius aureorũ decem millia, cõmuni consuetudine sermonis latini. Nã cùm ipse Dion testis sit, in aureo esse drachmas XXV, & constet ex multis iuris consultorum responsis, aureos in numeranda summa pecuniæ maximè in usu fuisse illis quidem temporibus, pro centũ drachmis mihi dicendum esse quatuor aureos putaui. Itémque in itineribus non dixi abesse aliquẽ ab urbe stadia CCCC, sed passuum quinquaginta millia, complexus uidelicet octo stadia in singulis millibus passuum, ne ab usu latini sermonis discederẽ. Nã si Dion, cùm de rebus Romanis scriberet Græcis hominibus, ipse Græco more locutus est, dixítque drachmas & stadia, quò Græci facilius intelligerent, cur mihi de iisdem rebus Romanis tractanti non liceret Romano more dicere, sanè non uidebam. Et quanquam tibi Georgi eruditissime hanc rationem meam probari certo scio, tamen ut satisfacerem omnibus, si fortè hic liber perueniret in manus hominum, utrũque semper in margine adscribendum curaui. Præterea ut nihil omnino prætermittam, quod dubitationem afferre queat, quoties dicetur ab eodem Dione, uel Xiphilino, θέατρον κυνηγετικὸν, id est theatrum uenatorium, ego amphitheatrum ponere malui, propterea quòd, ut idem Dion author est, ita proprio nomine appellatum est illud, in quo uenationes fiebant, quòd sedes absque scena undequaque haberet. Reliquum est, ut cùm omnia, quæ ad hunc Xiphilinum tuum pertinent, cognoueris, nunc quales fuerint oppressa republica principes populi Romani, mecũ recognoscas. Multa uerò hîc inuenies, quæ aut non sunt tractata ab aliis scriptoribus, aut non tam latè fuséque explicata: &, quod mihi uidetur esse maximum, omnia utilia, ut in Epitome, atque necessaria, scilicet inanibus rebus amputatis & circumcisis. Nec ego nunc postulo, ut tu hanc tralationem meam in lucem proferas, nondum enim talis est: tamen, cùm ornatior erit & limatior, si, ut tibi consecrata est, ita apparebit in tuo nomine, non recuso. Illud peto, ut eam in tuam fidem recipias, méque perpetuò pro tua sũma humanitate ames, & habeas in tuis. Vale, Romæ VII Cal. Martias. M. D. L.

IMPERATORVM NOMINA
ad ordinem Alphabeti.

A bitus, qui & Pſeudantoninus, & Sardanapalus dicitur.
A drianus.
A lexander.
A ntoninus Caracallus.
A ntoninus Pius.
C aius Caligula.
C laudius.
C ommodus.
D idius Iulianus.
D omitianus.
G alba.
I ulius Cæſar.
M acrinus.
M arcus Antoninus philoſophus.
N ero.
N erua.
O ctauius Cæſar Auguſtus.
O tho.
P ertinax.
S euerus.
T iberius.
T itus.
T raianus.
V eſpaſianus.
V itellius.

Epitome Romanæ hi-

STORIAE DIONIS NICAEI de vigintiquinque Principibus Romanis, à Pompeio Magno, vſque ad Alexandrum Mamææ filiũ, Ioanne Xiphilino authore, & Guilielmo Blanco Albienſi interprete.

CVM Conſules ſortirentur, Hortenſio, vt bellum gereret cum Cretẽſibus, obuenit. Sed is vrbe delectatus, & foro, in quo primum locum poſt Ciceronem obtinebat, collegæ vltrò exercitum ceſſit, ipſe in vrbe remanſit. Metellus autem in Cretam miſſus, totam inſulam cepit: deinde etſi impediebatur à Pompeio Magno, qui per id tempus habebat totius maris imperium, & continentis, quæ non abeſſet à mari longius itinere trium dierũ, tanquam inſulæ ad ipſum quoque ſpectarent, tamen eo inuito bellum Cretenſe confecit, de quo triumphauit, & Cretenſis cognominatus eſt. *Metellus in Cretã miſſus.*

Iiſdem temporibus L. Lucullus, cùm Mithridatem, Tigranémque Armeniũ, reges Aſiæ bello ſuperaſſet, & terga vertere coegiſſet, Tigranocerta obſidebat. Sed eum grauibus incommodis affecere Barbari, non ſolùm coniectis telis, ſed etiam naphtha, quam tormentis quibuſdam emittebant. Eſt autem naphtha ex genere bituminis, vſque adeò ardens, vt omnia, quibus adhæreſcit, prorſus exurat, nec vlla re humida facilè reſtinguatur. Quà re Tigranes cõfiſus, propere cum tantis copiis venit, vt Romanos, qui tùm aderant præſentes, irriſerit. Itaque dixiſſe fertur eos, ſi quidem ad bellum gerendum veniſſent, perpaucos eſſe: ſi verò vt legatione fungerentur, permultos. Neque tamẽ diuturna affectus eſt voluptate. ſtatim enim intellexit, quantum virtus & ars multitudini antecellat. Cùm profugiſſet, milites inuentam eius tiaram, vittáſque L. Lucullo dederunt. Tigranes enim metuens, ne ex iis agnitus, caperetur, ea diſciderat atque abiecerat. Captis Tigranocertis omnia diripuit, mulieribus ab iniuria militum conſeruatis: quo facto earum viros, qui cum Tigrane fugiebant, ſibi deuinxit. Pacoro Parthorum regi, quòd *L. Lucullus.* *Naphtha.*

intellexerat eum Tigrani esse auxiliaturum, per literas minatus est. Sed is nec P. Romani amicus fuit, nec Armenio auxilia
Nisibis. misit. Lucullus quoque Nisibin, quod erat oppidum Tigranis, cepit. Cæterum etsi Lucullus fuit rei militaris peritissimus, qui primus è ciuibus Romanis Taurum montem transiit belli gerendi causa, qui duos potentissimos reges bello vicit, quique in Asia longissimè progressus est: tamen infidis ad omnia militibus est vsus, à quibus etiam ad extremum desertus est. Multa enim ipsis imperabat, parum erat affabilis, in primis acer in rerum gestarum rationibus reposcendis, inexorabilis in suppliciis, nesciebat aut molli oratione placari, aut muneribus reconciliari. Cuius rei argumento est, quod Pompeius, cùm eosdem milites postea recepisset, eos ne minimum quidem seditiosos habuit.
Bellum cum piratis. tantum homo homini præstat. Eodem tempore Romani bellũ cũ piratis gesserũt, quo bello non minus quàm vllo alio sunt cõturbati. Nam piratarũ multitudo in mari exorta, iámque (quia P. Romanus in bellis gerendis occupabatur) securitatem nacta, ac supra modum aucta, non solùm mare quàm plurimis damnis classe vexabat, sed etiam continentem, in quam ingressa, vicos exurebat, atque vrbes depopulabatur. Postremò, quia propter eos mercatorum nauigatio conquiescebat, in multis ciuitatibus, sed Romæ præsertim ingens fames fuit. Nam piratæ ad Hostiã vsque nauigabant, naues exurebant, postremò cuncta rapinis vastabant. Contra hos Populus Romanus classem comparat: huic classi Pompeium præficit, eúmque summum imperatorẽ deligit in triennium contra voluntatem Senatus. Plebs intellecta patrum voluntate, qui grauiter iis, qui Pompeium delegissent, succensebant, in eos, dum adhuc sederent, impetum facit, eósque, nisi de loco abiissent, oppressisset. Pompeius id imperium ficto sermone deprecabatur, cuius tamen eum auidum es-
Roscius. se constabat. Roscius perspecto plebis studio non audebat sententiam dicere, tamen porrecta manu iubebat, vt duos viros deligerent, vt hac via diminueretur aliquid de Pompei potestate. Dum hæc manu significat, turba vsque adeò graueis ac minaces clamores tollit, vt coruus, qui tũ fortè superuolabat, perter-
Catulus. ritus ceciderit. Cúmque Catulus vnus ex optimatibus ita populum rogaret, Si Pompeius, inquit, ad certa pericula, qualia in certaminibus, præsertim maritimis euenire solent, missus fuerit, quem virum ad res magis necessarias in eius locum sufficietis? Vniuersa multitudo vna voce conclamauit, Te. Itaque
Põpeius impe- Pompeius imperium maris, insularum, & continentis ad millia

quinqua-

quinquaginta paſſuum à ſupero mari accipit: accipit præterea legatos quindecim, ac naues omnes. id Senatus inuitus confirmat. Parta victoria ex piratis, eorum magnam curam gerit, tũ imprimis, ne rurſum inopia coacti, eiuſmodi ſcelera committant. Quæ loca deſerta eſſe videt, eis diſtribuit: præterea vrbes dat, quæ hominibus ad habitandum egerent. Igitur ab iſtis cùm aliæ multæ habitatæ ſunt, tum ea, quæ Pompeiopolis eſt appellata. Eſt autem vrbs in Sicilia maritima, quam Tigranes depopulatus fuerat, ea Soli antea dicta eſt. Præclara certè ſunt hæc Pompei facta, & plena humanitatis. Poſt hæc Lucullo ſuccedit: quãquam optimates etiam in hac cauſa ei reſiſtunt, ſed ei plebs fauet, Cæſar, Ciceróque opitulantur, & cauſam eius agunt. Id propterea faciunt, quòd alter eorum plebem iam inde à principio ſequebatur & colebat: alter vtriuſque, modò plebis, modò ſenatus partes ſuſtinebat. Rempublicam enim gerendam eſſe aiebat: tum oſtendebat ſiue cum plebe, ſiue cum patribus ſe cõiungeret, omnino ſe vtriſque profuturum: ex quo tamen tranſfuga eſſe dicebatur. Igitur Pompeius ducto in Aſiam exercitu, Mithridatem nocturno prælio ſuperat. Eum enim, quia pugnã detrectare cõſueuerat, in valle collibus circundata, nocte obſcura inuadit, exercitu in locis ſuperioribus collocato. Hîc tubicines ſimul omnes ſignum canere cœperunt: mox milites, cæteráque multitudo ingentem clamorem edere: pars ſcuta haſtis, pars arma ex ære lapidibus percutere. Huiuſmodi ſonitum cõcaui mõtes recipere, receptúmque reddere multo horribiliorẽ, vt eo barbari vehementer perteriti ſint. Romani primùm ſagittis teliſque præliabantur: conſumptis telis omnibus, in eos irruerunt. Qui erant ad alas, cædebantur, iiſque, quòd magna ex parte eſſent leuis armaturæ, vnum ad necem vulnus ſatis erat. qui in ipſa acie conſiſtebant, premebantur, propterea quòd ii, qui in alis erant, eò præ timore perfugiebant. Itaque Barbari neque ſibi auxilio eſſe, neque in hoſtes quicquam moliri poterant. Mithridates cum paucis in Colchidem profugit: inde ad Mæotidẽ & Boſphorum peruenit, atque in ea regione, interfecto per inſidias Machare filio, qui Romanis fauebat, regnauit. Pompeius vrbem ædificat in agro, in quo ſibi victoriam peperit, in eáque ſaucios milites, & eos, qui iam per ætatem bellum gerere non poſſent, habitare iubet. Hi iam Nicopolitæ appellati, legibus Macedonum vtuntur. His rebus geſtis, poſtquam tranſiiſſet Araxem fluuium, Artaxata oppidum cepit, Tigrane eius oppidi, ſuique ipſius deditionem faciente. Is cùm in caſtra Popei eques

ratores cõtra piratas delectus.
Stadia CCCC.
Pompeiopolis.
Soli.
Cæſar popularis.
Ciceró transfuga.
Mithridates uincitur.
Nicopolis.
Araxes.
Artaxata.
Tigranes.

veniret, Pompeius eum ex equo descendere per lictorem iussit. Sed cùm eum videret ingressum, proiecto diademate ad terram accidisse, venerari se, misericordia commotus accessit, hominẽ erigit, diademate coronat, in proxima sede collocat, denique cõsolatur cùm aliis verbis, tum imprimis quòd diceret cũ non solùm regnum Armeniorum non amisisse, sed etiam venisse in amicitiam P. Romani. Ipse in regione Tanaitide ad Cyrnũ fluuium exercitu in tres partes diuiso hyemauit, ibi bello vicit Albanos, à quibus contemnebatur: quo in bello maximus eorum numerus trucidatus fuit: eodémque modo Iberis, qui Caucasum incolunt, vsus est. Phraati Parthorum regi, qui antè amicitiam per literas confirmauerat, insolentius iratus est, incussítque timorem, se etiam ei bellum illaturum. Is ad Pompeium rescribit, eúmque grauiter accusat, ac multa beneficia sua in Populum Romanum ostendit. Quamobrem Pompeius affectus pudore, & obstupefactus consilio, destitit. Itaque neque Tigrani, cui Parthi bellum inferebant, auxiliatus est, nec amplius contra Phraatem quicquam hostiliter admisit: ambobus tamẽ arbitros dedit, à quibus eorum dissidia componerentur, quibus vtrinque admissis, ipsi omnem inter se controuersiam diremerunt. Reuersus ex Armenia, cùm de rebus omnibus inter reges principésue, qui ipsum adiuuerãt, ius dixisset, cúmq; aliis regna cõfirmasset, aliorum dominia auxisset, aliorũ comminuisset potẽtiam, Cœle Syriam & Phœnicẽ nuper regibus liberatas, atque ab Arabibus & Tigrane vastatas coniunxit. eas enim Antiochus quanquã est ausus repetere, tamen non obtinuit, sed in idẽ imperium coniunctæ leges acceperunt, ita vt more Populi Romani administrarentur. Dum hæc aguntur, corpus Mithridatis à Pharnace filio eius interfecti ad ipsum perfertur: id conspectum in monumentis maiorum sepeliri iubet. Arabibus absque labore subactis, in Syriam Palæstinam proficiscitur, quòd ii populi Phœnicem populati essent. Apud eos regnabant Hyrcanus & Aristobolus fratres, qui de sui dei (quisquis ille est) sacerdotio (sic eorum regnum est appellatũ) inter se dissidebant. Igitur Pompeius reliquos facilius deuicit. Sed vt Hyrcanũ nihili facit, ita Aristobolũ veretur. Verùm postquam is neque pecunias dat, neque arcem tradit, Põpeius, cui ille coràm vtrũque promiserat, Hierosolyma obsidet: in cuius vrbis obsidione vehementer laborat. quinetiã nisi Iudæi Saturni diebus ocioſi omnino fuissent, nunquã vrbẽ cepisset, sed illi, cùm dies festos agerẽt, tradebãt Romanis murũ ad percutiendũ: Romani, quoties dies hu-

Albani.

Phraates.

Mithridates à filio occisus.

Syria Palæstina.

Hircanus.

Aristobolus.

Hierosolyma capta.

iuſcemodi rediiſſent, fortiſſimè percutiebãt. Itaque cùm nõ reſiſterent ipſo die Saturni, cuncti capti ſunt: dein omni pecunia direpta, ac regno Hyrcano reddito, Ariſtobolus ſublatus eſt. Cæterũ Iudæis vnde id nomẽ eſſe cœpit, equidem neſcio, quod nomen tamen latiſſimè patet. nã ad cæteros quoque homines ſpectat, qui etſi alterius nationis ſunt, tamen legẽ eorum imitãtur. Fuit hæc gens à Romanis ſæpenumero vexata: ita tamen creuerat, vt legis cõfidentia ſuperior eſſet. Iudæi diſtincti ſunt à cæteris gentibus, cùm in omnibus ferè rebus, quæ ad viuendi ritum pertinent, tum maximè, quòd aliorum deos omnes negligunt. Alius eſt, cui ſoli ampliſſimos & maximos honores habent. Simulachrum Hieroſolymis nunquã habuerunt, ſed ei Deo, cuius nomen dici non poſſe, quénque forma vacare arbitrantur, magnificè præter cæteros homines, religioſéque ſeruiunt. Huic etiam tẽplum ampliſſimum atque pulcherrimũ, niſi quòd vaſtũ & ſine tecto erat, ædificauerunt, diémque, qui Saturni nomẽ hãbet, conſecrauerũt: cui diei cùm alia multa ab illis propriè ſunt attributa, tum id potiſſimum, quòd eo die negotia nullo pacto tractant. Hæc ſunt, quæ ad hunc deum pertinere videntur. Quis autem ipſe ſit, aut vnde in tanto honore fuerit, & quemadmodum erga eum ſint affecti, cùm à multis antea dictum eſt, tum nihil ad præſentem hiſtoriam facit. Quòd verò ex ſtellis ſeptem, quæ Græcis planetæ, Latinis errantes dicũtur, dies diſpoſiti ſunt: primũ eſt ab AEgyptiis conſtitutũ, deinde ad reliquas gentes emanauit, nec olim id quidẽ (vt ego arbitror) cũ id nullo modo fuerit, quod ſciã, à veteribus Græcis intellectũ. Sed quoniã his tẽporibus & cæterarũ gentium, & ciuiũ Romanorũ ita propriũ eſt, vt in cuiuſq; patria quodã modo natũ eſſe videatur, placet de hac re, quẽadmodũ acciderit, paucis diſſerere. Cuius quidẽ rei duplex eſt ratio, nec ea difficilis, ſi quis animaduertat diligentius. Nã ſi quis eam harmoniã, quæ διὰ πασῶν appellata eſt, qua totius muſicæ fundamentũ contineri veteres crediderũt, ad eas ſtellas retulerit, quibus vniuerſus cœli ornatus variatus ac diuiſus eſt, & ad eum ordinem, quo ſingulæ earum mouentur, deinde ſumpto principio ab extremo orbe Saturni, proximis duobus relictis, quarti orbis principem numerauerit: poſt duobus aliis prætermiſſis, ad ſeptimum peruenerit, eodémque modo eaſdem ſtellas, earúmque principes deos percurrendo ad dies applicauerit, eos omnes inueniet muſica ratione quodammodo cum cœli ornatu conuenire. Atque hæc quidem ratio ſic ſe habet. Altera eſt huiuſmodi. Horas diei noctíſque

Iudæi.

Templum Iudæorum.

Dierũ ordo

Saturnus. *Iupiter.* *Mars.* *Sol.* *Venus.* *Mercurius.* *Luna.*

omnes recenſe, ita tamẽ, vt Saturnus primum locum teneat, alterum Iupiter, Mars tertium, Sol quartum, Venus quintum, Mercurius ſextum, Luna ſeptimum: nam hunc eſſe ordinem orbium AEgyptii arbitrantur. Id ſi facies, quatuor & viginti horis connumeratis, ſcias te ad primam horam diei ſequentis peruenisse. Rurſum ſi in iiſdem xxiiii horis ſupradicta ratione perges, lunæ primam horam diei tertii aſſignabis. Poſtremò ſi reliquos perſequêre, vnuſquiſque dies ſibi proprios deos habebit & accommodatos. Igitur hæc in hunc modum tradita ſunt. Cæterum ex rebus à Pompeio geſtis, magnam partem earum, etſi præclaræ ſunt, quas nullus ex veteribus Romanis adæquauit, tamen fortunæ tribuere, & militibus fortaſſe aliquis poteſt. Hoc verò omnium rerum eſt maximum atque pulcherrimum, quòd cùm poſſet totius Italiæ imperio potiri, Romæque propter ampliſſimam potentiam, quam habebat, ſolus regnare, id noluit, ſed ſtatim vt Brunduſium venit, exercitum dimiſit, nihil plebe aut ſenatu de eo decernente. Parta victoria, trophæa ſingularum rerum abs ſe geſtarum in pompam triumphi miſit, quorum vnum erat clarum & ornatum imprimis, cui aſcriptum erat orbis terrarum eſſe. Iiſdem tẽporibus Iulius Cæſar, & M. Cato florere cœperunt. Cæſar popularis & aſſentator ciuis eſſe, & Pompeio fauere, quem tamen non modò non diligebat, ſed ei clam quoque infeſtus erat, quem etiam propter honorum multitudinem in odium plebis trahebat. Cato ſæpe Pompeio aduerſari: nam Catoni mortalis nullus admirationi fuit: Rempublicam præter cæteros charam habere, eíque, quicquid ſupra modum excellebat, odio eſſe, propter ſuſpicionem poteſtatis: ſi quid plebeium erat, idcirco (quia erat imbecillum) charum eſſe: denique de rebus iuſtis etiam periculo imminente liberẽ loqui. Porrò multis partibus hiſtoriæ prætermiſſis, quæ valde ſunt ab his temporibus alienæ, præſertim cùm noui nihil afferant, aut vtilitatis, id vnum dicendum videtur, fuiſſe patefacta à Cicerone conſule, coniuratione Catilinæ, quæ ad Reipublicæ perniciem ſpectabat, & coniuratis omnibus, qui capti fuerant, ſupplicio affectis, Aulum quendam Fuluium Senatorem à patre ſuo interfectum. Cæſari autem facinus aliquod præclarum facere ſemper cupienti, cùm Luſitaniæ præeſſet, equus fiſſis vnguibus anteriorum pedum natus eſt. Is equus ferox & elatus Cæſarem vehebat, ſeſſorem præterea admittebat neminem. Ex eo Cæſar in maximã ſpem venit, conſúlque cùm eſſet, reuerſus ex Luſitania, leges populares tulit. Qua in re

M. Cato. Cæſar.

Aulus Fuluius à patre ſuo occiſus.

Equus Cæſaris.

perterritis cæteris omnibus, coactíſque tacere, vi & grauitate orationis, ei Cato per ſe ſolus obſtitit, quem iam ex ipſa Curia abſtractum Cæſar in carcerem erat coniecturus. Sed dum Cato ſe æquo animo deduci patitur, cõſequuntúrque permulti, quorum vnus M. Petronius à Cæſare increpatus, quòd ſenatu nondum dimiſſo abiret. Malo (inquit) in carcere cũ Catone, quàm hîc eſſe tecum. Pudore affectus, Catonem dimiſit: Ciceroni verò, à quo multis conuitiis fuerat laceſſitus, ne reſpondit quidem, quippe natura mitis erat, nec admodum iracundus. Clodium tamen in ipſum concitauit, ac per eum, vt Roma exularet, fecit. Itaque Ciceronis bona publicata, ædes diſturbatæ, ipſe procul ab vrbe expulſus eſt, millia paſſuum circiter quadringenta ſexaginta ſeptem. Id quidem in Cæſare fuit, vt qui ipſi negotiũ facerent, eos propter magnitudinem animi deſpicere ſimularet, ſed per alios ſine vlla ſuſpicione inimicos vlciſceretur. Ciceronem fugientem in Macedoniam Philiſcus, qui ei iam inde Athenis fuerat familiaris, verbis philoſophicis conſolatus eſt. Sed is non multo tempore pòſt ſtudio & diligentia Pompei Romam reuertitur. Cæſarem res præclarè geſtæ in Gallia, cuius adminiſtrationem in quinquennium ſortitus fuerat, mirificè extulerũt. Nam etſi barbari multitudine & magnitudine Romanis antecellebant, tamen Romani belli ſcientia atque armis ſuperiores erant. Quinetiam quæ contra ferocem animum & temerarium impetum Gallorum opponeretur, prudentia Cæſaris inuẽta eſt. Etenim eos tot præliis ſuperauerat, tantámque eorum multitudinem oppreſſerat, vt cùm Romani tot gentes, quarum ne nomina quidem antea ſciebant, ab eo debellatas eſſe intelligerent, ob eam rem dies XV, quod antè factum non fuerat, ſacrificauerint. Iiſdem temporibus Ptolomæus rex AEgypti, poſtquam AEgyptii contra eum rebellaſſent, quòd ipſis vi magis quàm iure imperaret, Romam perfugit, vbi muneribus allíciebat potentiſſimos quoſque, vt à Populo Romano in regnum ſuum reſtitueretur. Miſerunt præterea AEgyptii Romam legatos centũ, ad regem accuſandum, quos ille omnes potuit venenis per inſidias necare. Id ſcelus Populo Romano grauiſſimum eſt viſum. Sed & Dionem, qui eius legationis principem locũ obtinebat, à quo conſtabat eum accuſatum iri, pariter interfecit. Cuius ſceleris ideò nullas pœnas dedit, quòd Pompeius eum domũ ſuam receperat, atque multis modis adiuuabat. tantum Romæ per id tempus poterat largitio. Cyprus inſula in regno Ptolomæi tum primum in Populi Romani poteſtatem venit. Eadem

Cato in carcerem.

Cicero exul.

Stadiorũ tria millia. DCCL.

Gallĩ.

Ptolomæus.

Theatrum Pompei. tempestate Pompeius theatrum, quod nũc percelebre est, ædificauit, in quo leones quingẽti diebus quinque absumpti sunt: præterea elephanti decem & octo cum armatis hominibus certauerunt, quorum pars statim, pars non multo pòst interiit. nã eorum populus misertus est contra Pompei voluntatem: propterea quòd saucii non solùm certandi finem fecerunt, sed etiam lugubri voce missa circumeuntes rostra sua in cœlum intendebant. Ferunt ab hoc genere animaliũ non modò patriam linguam, sed ea quoque, quæ in cœlo fiunt, intelligi. Itaque noua luna, priusquam ea veniat in hominum conspectum, ad aquam limpidam proficiscuntur, vbi se abluunt. Accepi præterea id

De Elephãtis.

Demetrius. theatrum non esse à Pompeio, sed à Demetrio liberto eius ex pecunia, quam cum eo militando quæsierat, ædificatum: sed Pompeium id sibi vendicasse, ne propterea malè audiret, quòd libertus eius tam magnã pecuniã conflasset, vt tantos sumptus potuisset sustinere. Cæsar primus Romanorum Rhenum transiit, deinde in Britanniam profectus est, Pompeio & Crasso consulibus. Ea regio minimum abest à continenti Celtica, ab ea parte, qua Morini sunt, millia passuum quinquaginta sex, porrectáque in pelagus ad reliquam Galliam pertinet, & Iberniam ferè omnem, quæ regio an esset, omnino à veteribus tũ Græcis tum Romanis est ignoratum: nouis verò, essétne continens, an insula, in dubitationem venit. Itaque scripsêre permulti in vtrãque sententiam, qui propterea nihil certi habebant, quòd neque vidissent ipsi, neque ab eius regionis hominibus audiuissent, sed vt otio & garrulitate abundabant, ita coniecturam faciebant. Progrediente verò tempore antea quidem Agricolæ prætoris, modo autem Seueri imperatoris temporibus insulam esse, certò cõpertum est. Igitur Cæsar in Britanniam profectus, rebus non planè gestis ex animi sententia, & acceptis à Britannis obsidibus paucioribus quàm putabat, in Galliã reuertit, quòd audierat Gallos res nouas moliri. Eadem tẽpestate Tiberis siue immensis imbribus de cœlo, siue nimio vẽto fluxum eius in mare arcẽte, subitò in planitie vrbis inundauit, ædésque multas deiecit, ac multos mortales perdidit. Cæsar iterum traiecit in Britanniam, vicit bello Barbaros, iísque tributis imperatis, & obsidibus acceptis, in Galliam reuersus est ad bellũ gerendũ. Porrò vt Cæsar Gallias, ita Crassus & Pompeius sortiti fuerãt, vel potius occupauerant, ille Syriam, hic Hispaniam. Dum Pompeius ducibus belli in Hispaniam missis Romæ sedet, rémque publicã administrat, Crassus in Parthos studio & cupiditate pecuniæ quæ-

Britannia.

Stadia CCCCL.

Tiberis stagnauit.

Cæsar bis in Britanniam.

Syria Crasso, Hispania Põpeio, & Gallia Cæsari.

rendæ exercitum ducit, quanuis ei prodigia ad Zeugma iuxta Euphratem (ſic enim is locus à tranſitu Alexandri dictus eſt) parum proſperè euenerunt. Nam aquila aurea (ſic enim appellatur ea, quæ ſacellum habet perexiguũ, in quo collocata eſt, quæ longiſſimæ haſtæ affixa geſtatur in omnibus exercitibus ex delectu comparatis: cuius quidẽ haſtæ pars inferior peracuta eſt, ita vt poſſit in terram defigi) ea inquam aquila cum Craſſo Euphraten tranſire noluit, ſed terræ perinde adhærebat, atque ſi in ea nata fuiſſet, donec eam multitudo, quæ circumſtabat, cõuulſit, ipſáque vi conſequuta eſt. Præterea pons, antequam omnes tranſiiſſent, fractus eſt. Quibus rebus cùm milites animos demitterent, eos Craſſus conſolabatur his verbis. Bono animo eſte (inquit) ô viri: vobis enim iuro, neminem veſtrum hac eſſe reuerſurum, nam redire per Armeniam cogito. Milites his verbis, quòd ea via iuraſſet neminẽ reuerſurum, multo magis conciderunt. Parthi, qui olim ſub imperio Perſarum in exigua regionis parte habitabant, neque magnam admodum potentiã fuerant adepti, poſtquã labefactato Perſarum imperio res Macedonum floruerunt, deinde ſucceſſores Alexandri multis magníſq; inter ſe ſeditionibus debilitari & frangi cœperunt, primũ duce quodã Arſaco, à quo reges eorum deinceps ſunt Arſacidæ nominati, in medium prodierunt, atque Aſia potiti, eam per ſatrapas retinuerunt. Sunt omnes equites ſagittarii, ad quã rem plurimũ eis cõfert cœli regioníſque opportunitas. nã cœlũ, quod imprimis ſiccũ eſt, neruos arcuum intentos facit: regio verò tota plana eſt, & ob eã rem equis accõmodata. Hi populi Romanis infeſti ſunt: itaque Craſſus contra eos, atque eorũ regem Orodem exercitum duxit. Ibi ipſe cum Craſſo filio, cunctóque ferè populi Romani exercitu interiit. Parthi quoque auro in os Craſſi infuſo, hominem irriſerunt. Erat enim Craſſus vſque adeò diues, & pecuniæ cupidus, vt eorum veluti pauperum miſereretur, qui ſuis redditibus exercitum Romanum alere non poſſent. Inde Parthi cùm iam Antiochiam vſque veniſſent, atque omnia, quæ obuiam facta eſſent, occuparent, à Caſſio Lõgino impediti, domum reuerterunt. Hunc exitum Craſſus contra Parthos habuit, cuius calamitatis acerbitas propter magnitudinem memoriæ hominum commendabitur ſempiternæ. Hoc prælio facto, bella ciuilia maxima atque duriſſima Romanis extiterunt, Pompeio & Cæſare diſſidentibus: quorũ bellorum multæ cauſæ feruntur, ſed certiſſima cauſa fuit primarum partium, & dominandi cupiditas. Pompeius enim etſi antea Cæſarem

Zeugma.

Aquila.

De Parthis.

Vnde Arſacidæ.

Orodes rex.

Quare dia.

Caſſius Longinus.

Cauſa bellorũ ciuilium.

auxerat, tamen eius fortunæ & gloriæ postea cœpit inuidere: atque cùm initio potentiam eius impedire clam studuisset, deinde grauiter & aperte se inimicum ostendit. Cæsar, qui nihil de dignitate sua detrahi patiebatur, quique potius omnium maximus esse cupiebat, relicta Gallia, Romam contendit, scilicet imperatum adhuc Pompeium offensurus. Cæsar enim propter belli apparatum, militéque tanto tempore in bellis Gallicis exercitatos, & tot victoriis exultantes, ac donis eius promissisque permotos, paratissimus erat. Ex quo factum est, vt Pompeius Roma decesserit, & paulo pòst Italia. is secum habebat senatum ferè omnem, atque pecuniã. Itaque qui Romæ remansisset, quanuis non esset partium Cæsaris, eum tamen æquè hostem iudicauit. Cùm Dyrrachium veniisset, conuocatis sociis, milites exercebat. Igitur per id tempus multa ab optimis & potentissimis viris præclarè gesta ac dicta fuerunt. Sed quia summa rerum omnium ad Cæsarem & Pompeium venerat, horum, quia summam rerum scribimus, facimus mentionem. Cæsar à Lepido, qui postea fuit in triumuiratu, dictator dictus est: quo magistratu susceptо, vltrò se statim abdicauit: quanuis eius factis perinde atque Pompeius vteretur. nam vterque, quod paratos exercitus haberent, omnia pro libidine ac voluntate faciebant. Cæsar, cùm ei pecunia opus esset, donaria cæteráque omnia ex Capitolio abstulit. Cúmque Fortunæ sacrificaret, taurus priusquã feriretur, extra vrbem profectus, ad lacum quendam peruenit, eúmque enatauit. Quo facto aruspices Cæsari, si Romæ remaneret, exitium: si mare transiret, salutem ac victoriam fore prædixerunt. His rebus confisus Cæsar, contra Pompeium exercitum duxit. Quo iam profecto, pueri in vrbe in duas partes sua sponte distributi, ac partim Pompeiani, partim Cæsariani nuncupati, absque armis quodammodo certauerunt: tandem verò, qui nomen à Cæsare habebant, victoriam reportauerũt. Cæsar, cùm ignorãte Bibulo, cui maris præsidia commissa fuerant, trãsisset Apolloniam, & alia loca finitima Pompei præsidiis destituta occupauit. Ea regio in pulcherrima terræ parte maris ac fluminum sita est. Sed id omnium maximè admiratus sum, quòd cùm magna copia ignis ad superum flumen existat, tamen ad proximam terram non valde diffunditur, sed neque eam, in qua est, adurit, aut facit aridiorem: quinetiam herbas, ac virides arbores proximè habet, augetur imbribus, & sublimè tollitur. Cæsar cunctante Antonio, cui mandatum erat, eos qui Brunduſii remanserant, adducere, solus nauigare in Italiam constituit: & tanquam

Cæsar dicitur Dictator.

Apollonia.

tanquam quiuis alius nauiculam conſcendit, ſéque à Cæſare miſſum eſſe dixit, ac gubernatorem etiam aduerſo vento ſoluere coegit. Iam procul à terra nauigabant, cùm ventus vehementer vrgere, & tẽpeſtas eos grauiter conturbare cœpit. Quãobrem cùm gubernator inuito Cæſare regredi conaretur, Cæſar ſe, quis eſſet, patefecit, tanquam eſſet ex eo vim tempeſtatis placaturus, Bono animo es, inquit, nam Cæſarem vehis: tam magno enim animo erat, atque in tantam ſpem venerat, ſiue ex vatum prædictionibus, ſiue alia ratione, vt præter ea quæ viderentur, faceret idoneam fidem ſalutis, tamẽ nihilo magis trãſiit. Pompeius ſperans ſe eum, priuſquam cum Antonii copiis coniungeretur, facilè confecturum, diligenter in Apolloniam cum exercitu properauit, atque Apſum flumen, ad quod erant caſtra Cæſaris, tranſire conatus eſt: ſed ponte grauitate oneris collapſo, cæſáque parte militum, qui iam pertranſierant, à ſuis deſtituta, idcirco animum deſpondit, quòd ei ſtatim in ipſo belli principio malè ſucceſſiſſet. Dum ea gerũtur, venit Antonius: itaque Pompeius timens, Dyrrachium confugit. nam Brunduſio excedere, quouſque Bibũlus vixit, Antonius auſus non erat: ſed poſtquam Bibulus multis laboribus defatigatus mortem obiit, & Libo dux præfectúſque claſſis factus eſt, Antonius hominem cõtempſit, atque inde ſoluit. Dyrrachium erat Κόρκυρος Corcyrenſium, quo nomine à Romanis propter ſcopulorum difficultatẽ quidam appellatum ferunt. Nam cùm damni appellatio latinorum lingua magni incommodi ſignificationem habeat, ipſis, vt poſſent eò traiicere, mali ominis eſſe videbatur. Igitur Pompeius, poſtquam Dyrrachium confugit, extra oppidum caſtra locat, eáque profundis foſſis, & magnis aggeribus munit: ibi perſæpe, ſed tamen ſerò pugnatum eſt. Cæſar Dyrrachium ſpe deditionis inter paludes atque ipſum mare nocte adortus, in loca anguſta venit, ſed inde multi antè, à tergóque irruunt, qui nauibus vecti repente eum inuadunt: ipſe eos confertos trucidat: ſed tamen, quin ibi interiret, parum abfuit: mox inde in Theſſaliam properauit. Pompeius tanquam eo prælio ſuperior fuiſſet, imperatoris nomen accepit, etſi nihil propterea agebat inſolenter, atque poſtea Cæſarẽ inſecutus, in Theſſaliam peruenit. Hîc cœpere exercitus conferri. Pompeius nemini ſecundus, Cæſar omnium primus eſſe cupere: ambo, qui duces eſſent, & victoriam obtinerent, digniſſimi, reíque militaris ſupra omnes homines periti. Pompeius Aphrica, Sertorio, Mithridate, Tigrane, ac maritimis victoriis fretus erat. Cæſar

Bibulus.

Libo.

Dyrrachium.

Pugna Pharſalica.

de Gallia, Hiſpania, Rheno, Britãnia gloriabatur. Cũ iam vtrinque irruptio facta eſſet propter vtriuſque appetitum dominandi, atque eiuſdem gentis homines inter ſe confligerent, res erat miſerabilis & calamitoſa, eodem tempore aduerſarios agnoſcere, mox ſauciare: vocare ad ſe, deinde occidere: ſimul patriæ mentionem facere, & ſpoliare: multa etiam ipſis interfectoribus, quæ domum referrent, mandare. Pompeiani videbantur equitatu & ſagittis ſuperiores eſſe, itaque eminus contra eos, quos intercludebãt, repente iaculari & cõturbare, mox regredi, deinde eos iterũ atque iterum inuadere, locis ſæpenumero huc & illuc commutatis. Cæſariani hæc obſeruare, ſuos ordines cõuertere, deinde iaculantibus occurrere, ac cùm propius acceſſiſſent, viros equóſque capere, poſtremò alacriter pugnare. Nam pedites leuis armaturæ ob eam rem erant vnà cum equitibus inſtructi. id non ſemel, vt ſuprà dixi, ſed ſimul ſæpe in variis locis gerebatur. Igitur cùm illi eminus, hi cominus pugnarẽt, cúmq; percuterent alii, alii percuterentur: hi fugerent, illi inſequerentur, multæ pedeſtres equeſtréſque pugnæ eſſe videbantur. Dum hæc geruntur, multa præter opinionem acciderunt. Qui alterum fugaſſet, mox ipſe terga vertebat: qui fugiſſet, ſtatim aggrediebatur: percuſſerat aliquis, ipſe ſauciebatur: lapſus erat, ſtantem occidebat: plerique etiam nullo accepto vulnere moriebantur: multi vix ſemiuiui alios interficiebant: lætabantur alii & canebant, alii mœrebãt & lamentabantur: omnia clamore gemitibúſque complebantur. Tandem cùm vtrinque diu æquo Marte pugnatum eſſet, Pompeius, quippe qui magnã partem exercitus Aſiaticam, & minus exercitatam habebat, victus eſt. Id illi antea fuerat diuinitus ſignificatum, quòd fulmina de cœlo in caſtra eius cecidiſſent, apéſque militaribus ſignis inſediſſent. Cæſar equitibus & ſenatoribus captis perhumaniter eſt vſus: quinetiam literas inuentas in ſcriniis Pompei, quibus multorum erga illum beneuolentia atque odium in Cæſarem ſignificabatur, neque legit, neque deſcripſit, ſed eas ſtatim igni combuſſit, ne iis fortaſſe commotus, grauius aliquid committere cogeretur. quamobrem permultos ſibi deuinxit. Põpeius, quòd ſe ſuperiorẽ fore Cæſare ſperaret, ea, quæ ſibi magno vſui futura erant, non prouidit: neque enim caſtra in idoneis locis collocauerat, neque, quò victus perfugeret, conſtituerat. Deinde, cùm poſſet ſine periculo cunctando rerum potiri, tamen ſiue ſua ſponte, tanquam eſſet omnino victor futurus, ſiue coactus à ſuis, conflixit. Itaque repente victus, grauiter

Humanitas Cæſaris.

perterritus eſt, vt nec conſilium vllum opportunum, aut ſpẽ firmam in periculis habuerit. nam metus tempore ratio omnis & conſilium deeſt. quibus rebus ſi quis antè animum ſuum præmunierit, metum omnem ſuperare egregiè poteſt: ſin minus, facilè vincì. Itaque relicto munito loco, in AEgyptum profectus ibi per inſidias obtruncatus eſt. Poſt id facinus AEgyptii, quod antè minimè voluerant, Cleopatre ſe dediderunt: deinde venerunt in ditionem Populi Romani. Placet enim eiuſmodi facinorum ſceleſtorum ea, quæ in promptu ſunt, etiam præter rationem hiſtoriæ, aut rerum geſtarum ordinem potiſſimùm referre.

Fractus animo Põpeius.

Pompeius occiſus

Iulius Cæſar.

POmpeius potentiſſimus Romanorum eſt habitus, ita vt Agamemnon, quòd ipſe quoque mille nauibus imperaſſet, vocaretur. Is intra illos octo dies, quibus olim de Mithridate & piratis triumphauerat, occiſus eſt. Id verò multo magis eſt admirandum, quòd cùm Caſſios omnes ciues Romanos ex aliquo reſpõſo ſuſpectos haberet, ei nullus eorum vnquam inſidias parauit, ſed apud mõtem, cui Caſſius nomẽ erat, mortem obiit, in eóque ſepultus eſt. Cæſarì verò omnia adeò proſpere ſuccedebãt, vt cùm in Helleſpõtum cum nauicula traiiceret, inciderit in claſſem Pompei: qua ex re non ſolùm nullum damnum ſuſtinuit, ſed eos quoque ab ſe perterrefactos eſſe gloriatus eſt. Is in AEgyptum proficiſcẽs, vt vidit allatum ad ſe caput Pompei, collachrymauit: qui tamen huius inanis & fictæ ſimulationis cauſa ridiculus erat. Nã cùm iam inde initio dominationem expeteret, eum ſe deſiderare, eiuſque mortem grauiter ferre ſimulabat, quem olim non ſecus oderat, quàm aduerſarium & hoſtem: qui etiam ob nullam aliam cauſam in AEgyptũ feſtinauerat, quàm vt eum, ſi quo pacto conſequi poſſet, conficeret. Cùm autem opera Caluini legati Athenas cepiſſet (nam is vltrò poſt mortem Pompei ad Cæſarem venerat) omnes Athenienſes impunitos reliquit. hoc vnũ inquiens, eos, cùm multa deliquiſſent, à mortuis conſeruari.

Cæſarin Helleſpontum.

Cæſar uiſo capite Pompeæ fleuit.

Caluinus. Athenienſes deditionem fecerunt.

Annulus Pompei. Annulum Pompei, in quo, quemadmodū in Syllæ annulo trophæa tria insculpta erāt, Romam misit, quo mortuum iam esse Pompeium Romanis persuaderet. Ipse interim captus amore Cleopatræ, in AEgypto commorabatur. nam ita libidinosis amoribus seruiebat, vt cum aliis quàm plurimis mulieribus, in quas incidisset, consuetudinē haberet. Cleopatra autē pulcherrima fuit, tum verò flore ætatis, & facūdia omnibus præstabat, erátque apud omnes, cū quibus versabatur, gratiosa. Ea fortè, cū per id tēpus cum fratribus suis dissideret, ac primū apud Cæsarē per amicos causam ageret, deinde verò ab illis se prodi cōfirmaret, ipsa suam causam agere instituit: quam vbi vidit, & dicentē audiuit Cæsar, statim captus est, móxque Ptolomæū accersiri iussit, ab eáque magis stare, quàm vtrīque iudex æquus esse cœpit. Itaque adolescens, postquam intus sororem de improuiso conspexit, exiluit ira concitatus, congregatáque iam hominū multitudine, prodi se vociferabatur. Eo die Cæsar AEgyptiorū tumultum vix reprimere, aut eos sibi reconciliare potuit. quinetiā paulo pòst, cùm non haberet apud se milites, nam eos dimiserat in diuersas partes Syriæ, quasi ipsorum opera minus indigeret, in maximum periculum atque discrimē venit propterea quòd ipsum Achillas dux AEgyptiorū inuasit, introiítque in vrbem Pharum, atque eius vrbis habitatores interfecit. Qua re animaduersa AEgyptii, qui continentē incolebant, factis pontibus auxilio venerūt, cæsíque frequentibus Romanis, reliquos ad naues cōpulerunt: quorū magna pars in mare prolapsa est, & Cæsar ipse grauiter affectus. Oberant ei imprimis vestimenta: nam quòd purpurea essent, in eum AEgyptii facilè iaculabātur: sed is positis vestimentis enatauit, pòst nauiculam conscendit. itaque saluus euasit, literis, quas nādo in sinistra manu gerebat, ab aquæ iniuria conseruatis. Huius vestem AEgyptii suspenderunt in trophæo, quod statuerant. Verū vbi milites conuenerūt, ipse AEgyptum in suam ditionem potestatémque redegit, dedítque Cleopatræ, cuius causa bellū gesserat. Ex AEgypto profectus ad Pharnacen Mithridatis filium, qui Pontum sibi vēdicabat, eum, quo die aggressus est, superauit: deinde in Italiam venit. Fuit Cæsar diligens in pecuniis faciendis. Quippe potentiam duabus rebus, pecunia scilicet, & militibus parari, conseruari, atque augeri dicebat, eáque sese mutuo consequi: exercitum commeatu retineri, rursum commeatum armis comparari: ídque non tantum dicebat, sed etiam sentiebat. Cùm Romæ esset, milites ex Campania, vbi erant, vt inde in Aphri-

Cleopatra.

Achillas.

Cæsar nando euasit.

cam traiicerent, Romam magnis itineribus venerunt: quorum aduentum vt Cæsar intellexit, statuit contra eos mittere prætorianas cohortes: sed veritus, ne illæ etiam aliquid seditiosè molirentur, continuit se, tantùm ad eos iam in suburbia ingressos, paucos obuiam misit, qui rogarent, quid vellent, & quamobrem venissent. Qui cùm Cæsari se dicturos respondissent, eos ipse inermes venire, enses solos gestare (neque enim depositurum) ita in vrbem ingredi passus est. Hîc cœpere milites vehementer instare, vt se missos faceret: simul ostendere, se magnos labores sustinuisse, nec dum tamen ea quæ sperauerant, fuisse cõsequutos. Id milites dicebant, non quò vellent priuatam & quietam vitam agere, sed quòd existimarent his verbis, Cæsare perterrito, se omnia ex animi sententia confecturos. At Cæsar contra omnium expectationem, Vos verò, inquit, rectè. Itaque statim omnes tãquam amplius nullo vsui forent, dimisit: denique datis postremis muneribus, promisit iis, qui per legitimum tempus militassent, ea quæ dari consueuerunt. Tum cœpere milites obstupefacti consilium mutare, séque in posterum strenuos milites fore polliceri. Is negare se illorum opera indigere, ídque astutè, valde enim indigebat. illi Cæsarem vehemẽter rogare, ab eóque, quòd tumultuati essent, veniam petere: qua ad extremum data, ac confidentissimis quibusque militibus dimissis, cæteris vsus est. Porrò tumultuosos & seditiosos milites nactus occasionem in bellis consumebat, atque hostes per eos cõficiebat. Post hæc consecuta celeritate, qua multa prospere gerebat, hyeme in Aphricam transmisit. Cúmque è naui egrederetur, fortè euenit, vt in terram caderet: quem vt milites conspexerunt pronum cecidisse, ipsi quoque animis concideruunt, atque grauiter ferentes, tumultuati sunt. Cæsar ne dubitauit quidem, sed porrecta manu, quasi de industria cecidisset, terram apprehendit: dein eam osculatus, Teneo te (inquit) Aphrica. Eo tempore Cato & Scipio Aphricam obtinebant, cum quibus Iuba Lybs erat societate coniunctus. Cato prudentia, iustitiáque antecellebat: Scipio nobilitate generis, & dignitate superior erat. idcirco Catone concedente exercitui imperabat: quo tandẽ à Cæsare superato, Iuba ita metu perculsus est, vt iam desperata salute cum Petreio legato Scipionis, qui & ipse rebus suis diffidebat, in certamẽ venerit, eo animo, vt in eo vterque moreretur. Cæsar quendam nomine Salustium, qui fortè tum apud ipsum erat, à quo etiam de iisdem rebus

Seditio militũ.

Teneo te Aphrica.

Mors Iubæ & Petrei.

Salustius.

historia conscripta est, Aphricæ verbo quidem, vt præesset, iussit, re autem vt diriperet & expilaret, idque fecit. Nã etsi multa contra expilatores prouinciarum scripsit, tamen constat eum aliter feciſſe, nec non grauiter accusatum, tandem impunitum à Cæsare relictum esse, licet se ipse in historia magnis laudibus extulerit. Post hanc victoriam Romani ad gratiam Cæsaris, quem vt antea semper metuebant, multa decreuerunt, eúmque super æream statuam orbis terrarum collocatum, semideũ esse subscripserunt. Cùm autem continuis quatuor diebus triũpharet de Gallis, AEgypto, Pharnace: Iuba atque Arsinoen reginam AEgypti inter captiuos duceret, dum eum propter magnitudinem & multitudinem rerum gestarum cæteri admirabantur, soli milites irridebant: amorem Cleopatræ, & cõsuetudinem, quam puer cum Nicomede rege Bithyniæ habuerat, exprobrabant. itaque canebant, Cæsar Gallias subegit, Nicomedes Cæsarem. Post hæc frequentes clamabant, Si rectè facies Cæsar, punieris: sin malè, regnabis. Quibus verbis significabant, Cæsarem, si libertatem patriæ redderet, quod ipsi iustum existimabant, supplicio affectum iri, quia contra leges feciſſet: si verò dominari pergeret, vt instituerat, quod factũ improbi ciuis erat, tum demum imperaturum. Cæsar vt non molestè ferebat, cùm ei amorem Cleopatræ obiicerent, ita calumnias de Nicomede iniquo animo patiebatur. quod factum cùm adhibito etiam iureiurando negaret, magis irridebant. Postremo supplicationis die relicta plebe in forum suum introiit crepidatus, & variis floribus coronatus: inde comitãte vniuerso ferè populõ, atque multis elephantis faces gestantibus, domum deductus est. Post deinde multa & varii generis spectacula ædidit, theatro ad venationem extructo: id postea amphitheatrum appellatũ est, quòd sedes absque scena vndequaque haberet. Planè de reliquo genere animantium accurate differere longũ esset, de Camelopardali dicendum videtur, quæ bellua tum primùm Romam venit. Ea, quod quidẽ ad reliqua spectat, camelus est, nisi quòd membra sine proportione habet: sunt enim posteriora paulò humiliora, vt si à natibus incipias, paulatim altior esse, & quasi ascendere videatur: atque ita cùm sit, corpus ad anteriora crura & ceruicem ad iustam altitudinem extendit. Color est veluti pardalis variatus, idcirco commune vtriusque nomen habet. In his certaminibus cùm alii multi certauerunt inter se, tũ nonnulli ab elephantis quadraginta expugnati sunt. Postremò nauale prælium non in mari, sed in terra fecit, loco

Cæsar Gallias subegit.
Nicomedes Cæsarem.
Theatrum.
Amphitheatrum.
De Camelopardali.
Ναυμαχία.

in campo Martio defoſſo, immiſſáque aqua, ac nauibus introductis. Pugnauerunt captiui multi, & qui erant rerum capitaliū damnati. Fuit quoque equeſtris pugna, cui Troia nomen eſt, à pueris nobiliſſimis antiquo more pugnata, cum quibus iuuenes itidem nobiliſſimi ex curribus certauerunt. Hominum interfectorum Cæſar magnam culpam ſuſtinuit, quòd nondum ſanguine ſatiatus aut expletus videretur: multo verò maiorē, quòd infinitam pecuniam in ædendis huiuſmodi ſpectaculis cōſumpſiſſet. nam vulgò circumferebatur, quòd eam per iniuriam feciſſet, idcirco in eos vſus impendiſſe. Porrò autem magnificentiſſimi apparatus argumentū eſt, quòd ne ſol ſpectatoribus moleſtus eſſet, peripetaſmata ſerica ſuprà extenſa fuerunt: qui pāni facti primò ad barbarorum voluptatē, ab illis ad nos ad muliebres delitias fuerunt importati. Poſt hæc milites tumultuati ſunt, neque antè deſtiterunt, quàm Cæſar repente veniſſet, atque vnum ex iis captum manu ſua trahi ad ſupplicium iuſſiſſet. Multas leges tulit, ſed imprimis dies anni parum antea inter ſe conſentientes. Nam tum, cùm lunæ ratione menſes congruebant, in præſentē ordinem adduxit, prioribus ſexaginta diebus, ſeptem aliis adiectis, qui ad perfectam rationē facere magnopere videbantur. Id Cæſar ex Alexandria, in qua commoratus erat, reportauit: niſi quòd apud illos ſinguli menſes triginta diebus conſtant, deinde toti anno quinque dies adiiciuntur. Cæſar verò iiſdem menſibus ad eos quinque duos quoque, quos vni detraxit, addidit, adiūcto ad extremum quinto cuique anno, eo die, qui quatuor partibus compleretur. Itaque ſic annos ordinauit, vt rara ſit horarum cōmutatio. nam annos mille quadringentos ſexaginta vnum vno alio die intercalari tantummodo conſtat indigere. Cùm filii Pompei in Hiſpania maximū bellum mouerent, ipſe cum iis pugnat: quæ pugna cùm permagna fuiſſet, & ita pares vtrinque exercitus, vt etiam belli duces, quia de ſumma rerū decertabatur, ex equis deſcenderent, atque graui imminente periculo inter cæteros pugnarent: Bagonas, qui fortè cùm aliis ducibus non erat, aliunde in caſtra Pōpei irruit. Quod vt vidit Labienus, relictis ordinibus illum eſt conſequutus. Pompeiani rati Labienum fugere, illico animos deſponderunt, neque poſtea, cùm id, quod verum erat, reſciui ſſent, colligere ſe aut recipere potuerunt. Hanc Cæſar poſtremam victoriam reportauit: etſi ſperabat longè maxima ſe confecturum. Nam in quo loco pugnatum eſt, ramus palmæ ſtatim poſt victoriam natus eſt: quæ res tamen nihil de Cæſare, ſed de Octa-

Troia.

De diebus, menſibus, & annis.
Suet. 40.

Bellum cum filiis Pompei.

Labienus.

Prodigium palmæ.

uio eius sororis filio porrẽdebat. Is tum erat in exercitu, & multis laboribus susceptis, periculisque aditis, clarus erat futurus. Igitur Cæsar rerum potitus perfecit, quanquam ciuibus inuitis, vt publico decreto in conuentibus regia veste indui, coronáque laurea ornari perpetuò sibi liceret: cuius rei causam, quòd calluus esset, afferebat. Idem mollioribus vestibus vtebatur, & interdum caligis paulo altioribus, ac rubri coloris. Quam mollitiem corporis Sylla adeò suspectam habuit, vt eum occidere voluerit. Deprecãtibus autẽ nonnullis, Ego (inquit) hoc vobis gratificabor, vos verò hunc malè præcinctum cauete. Quã rem etsi Cicero non intellexit, tamen imprudens ait, Nunquam putaui Põpeium ab homine malè præcincto superatum iri. Decretũ publicè fuit, vt Cæsar imperator nominaretur: nõ quemadmodũ imperatores dicuntur ii, qui ex magno prælio victoriam reportauerunt, aut qui in magna potentia sunt, sed quomodo ii, qui quòd summum imperium habent, idcirco nostris temporibus imperatores appellantur. qua ratione Cæsarem primum omniũ imperatorem, deinde post illum cæteros Romanorum imperatores numeramus. Cæsari statua eburnea iuxta statuam Bruti eius, qui reges exegerat, est collocata: qua ex re eũentum rerum admirari licet. Futurum enim erat, vt à Marco Bruto, qui ex illo superiore genus ducebat, ipse ex insidiis necaretur. Cùm alia multa faceret contra mores institutáque maiorũ, tum singulis annis plures consules faciebat, adeò vt postremo anni die, cõsule vita functo, Caninium in locũ demortui consulẽ suffecerit. De quo Cicero iocosè, Consulẽ (inquit) habuimus vigilantissimum & fortissimũ, qui in toto suo consulatu somnũ non vidit: Carthaginem & Corinthũ vrbes antiquissimas atque florẽtissimas, quæ fuerant à Romanis deletæ, instauraui, in eásque colonias deduxit: quæ sicut antea vnà eodémque tẽpore dirutæ fuerant, ita tum vnà reficiebantur, ac florere incipiebant. Cùm iam compararet exercitum contra Parthos, eum M. Brutus, & C. Cassius insidiis factis interfecerunt, furore atque amentia impulsi, vt autor historiæ metuens Cæsares scribit. Sic enim fortasse loqui decebat senatorem, & nobilem virum, qui illustrem historiam componebat. Reuera autem, vt & Plutarchus in parallelis ostendit, prudentes eò venere, & cum dignitate suscepto consilio, vt se rémque pub. in libertatem vendicarent: nam tales eos fuisse constat. Dion verò vnius viri dominationem reipublicæ præponendam putat, ídque planum facere iis rationibus conatur. Cùm tanta sit (inquit) vrbis Rõmæ magnitudo, quæ

Cæsaris statua eburnea iuxta statuã Bruti posita est.

Dictum Ciceronis in Caninium.

Plutarchus.

quæ pulcherrimi atque ampliſſimi orbis terrarum imperiũ tenet, in quo diuerſis & contrariis inter ſe moribus multarũ gentium homines viuũt, quæ omnibus diuitiis referta, variis actionibus & fortunis priuatim publicéque vtitur, fieri non poteſt, vt in republica mediocritas teneatur, multóq; ait eſſe facilius, vnũ bonum & moderatũ virũ, quàm multos inueniri: poſtremò neceſſe eſſe grauiora damna, acrioréſque iniurias à multis, quàm ab vno exiſtere. Cæſari autẽ adulatores mortis cauſam fuiſſe idẽ author teſtis eſt. ab his enim nouis ſummíſque honoribus elatus & inflatus, eorundẽ calumniam poſtea non effugit. Cœperũt iſti menſem, in quo natus erat, Iuliũ appellare: deinde Cæſarem ipſum, deum & dominatorẽ rerum omniũ Iouem coràm nominare: poſtea tẽplum ei facere, eíque templo ſacerdotẽ Antoniũ, vt Dialẽ quendam, præeſſe voluerunt: decretis, quæ de his rebus facta ſunt, in columnis argẽteis aureis literis ſcriptis. Id idcirco faciebãt, quòd eiuſmodi decretis eũ exultãtem, atque omnia ferè admittentem viderent, partim quidem aſſentantes, partim verò illudentes, vt ob eam rem in inuidiam veniret, & odium acerbiſſimum, itaque celerius, id quod euenit, moreretur. Regũ nomen, quo fuit à pleriſque nominatus, recuſauit: de quibus tamen cùm tribuni confidenter quæſiuiſſent, eſſéntque ſuppliciũ ſumpturi, ac de ſtatua eius diadema quod ei fuerat impoſitũ, liberè detraxiſſent, eos iratus tribunitia poteſtate priuauit, & ſenatu mouit: quæ res hominibus ſuſpicionẽ attulit, eum nomẽ regiũ affectare, ſed ad id accipiendũ cogi quodãmodo velle: itaque tũ magno odio apud omnes fuit. Subſcriptũ à quibuſdã fuit Lucii Bruti ſtatuæ, Vtinã viueres: itẽ tribunali M. Bruti, nã is tũ erat prætor vrbanus: ſella verò, de qua iudex pronũciat, tribunal appellatur, Dormis Brute, nectu quidẽ Brutus es, nos verò Bruto egemus. Maximè autẽ in ſuperbiã & arrogantiã eius odium cõcitatum eſt. Nã cùm ſenatus vniuerſus ad ipſum veniſſet ſalutandi cauſa, eũ ille ſedẽs recepit. id peccatũ defendebant nõnulli excuſatione τῆς διαῤῥοίας, quæ cùm eũ antea arripuiſſet, nec dũ planè conſtitiſſet, meritò dicebãt ſediſſe. ſed hanc cauſam ideo minus multis probauit, quòd paulo pòſt cùm inde ſurrexiſſet, pedibus domũ reuertit. Sed Cæſari futura cædes multis portentis antea ſignificata eſt. Martis enim arma, quæ tũ apud ipſum more maiorum ſeruabantur quia Põtifex erat, ſonuerunt: præterea fores cubiculi in quo dormiebat, ſua ſpõte apertæ ſunt: ille nihilo magis dubitabat. Nã aruſpici, qui olim, vt eum diẽ caueret, præmonuerat, ridens fertur dixiſſe, Vbi (inquit) ſunt reſponſa

Adulatores.

Antonius Cæſaris ſacerdos.

Ceſetius & Marulus.

Signa cædis Cæſaris.

& vaticinationes tuæ? Non vides (inquit) eum diem, quem metuebas, veniſſe, & me viuere? tum ille, Venit, (inquit) necdum præteriit. Igitur coniurati, qui inſidias fecerant, ſedentem in ſenatu vndique circunſtant, eíque de improuiſo irruentes vulnera infligunt. Hîc M. Bruto grauiter percutienti dixiſſe fertur, Καὶ σὺ τέκνον, Et tu fili. Poſt Cæſaris necem Lepidus armatis militibus forum occupauit, quòd diceret ſe Cæſarem eſſe vindicaturum: verè autem rebus nouis ſtudebat, & ſibi dominationem quærere nitebatur. Brutus verò & Caſſius in Capitolium aſcenderunt. Igitur cùm Romæ in maximo periculo eſſet, Cicero habita oratione ciues in concordiam reduxit. Antonius huic recõciliationi operam & ſtudium ſuum nauauit, nõ quòd pacis author eſſet, ſed quia per id tempus priuatus ciuis, & dominandi cupidus, nolebat in illa ſeditione & tumultu dominationem ab alio comparari. Cùm inde ſimul abirent, Brutus ad Lepidum propinquũ ſuum, Caſſius ad Antonium proficiſcitur. Inter cænandũ cùm ſermonem, vt par eſt, de multis rebus habuerunt, tum verò Caſſium Antonius interrogauit, An nunc etiam, inquit, pugionem ſub axilla geris reconditum? Certè, inquit, longè maximum, ſi quidem tu quoque regnum affectabis. Poſt hæc teſtamẽto Cæſaris publicè recitato, in quo ſeptuaginta drachmas populo viritim legauerat: deinde ipſo Cæſare mortuo in foro poſito: poſtremò habita de eo Antonii oratione, plebs ira accẽſa atque cõmota, Cæſarem in foro combuſſit, poſtea ſepeliuit, tum arã ei dedicare, ad eamque, tanquam eſſet deus Cæſar, ſacrificia facere conata eſt: deinde effrænata & furioſa contra interfectores contendit, atque Helium Cinnam tribunum plebis, errore nominis ducta propter alium Cinnam ſocium & participem coniurationis, interemit: neque prius ceſſauit, quàm conſules eandem aram euerterunt, latis legibus de quibuſdam temerariis ac nefariis hominibus è ſaxo Capitolino præcipitãdis, ſanxerúntque execrationibus publicis, neminem in reliquũ tempus dictatorem fore. tanquam enim in ſolo verbo factorum acerbitas eſſe videretur, nõ ex armis, aut cuiuſque moribus, aut ex ipſis rebus nomina magiſtratus, in quo res ipſæ geruntur, calũniabãtur. In hoc tumultu id prætereundum non eſt, quòd Caius Caſca tribunus plebis, cùm reſciuiſſet Cinnam ex ſimilitudine nominis occiſum eſſe, timuit, ne ipſe quoque necaretur, quòd Seruilius Caſca homo locuples, idémque tribunus plebis ex illo grege interfectorum erat. Itaque paucis literis immutatis, ſimul communionem ſanguinis, & cõſilii differentiam vno-

Lepidus.

nomine ſignificauit. Antonius ad exiſtimandas & ponderandas res ab Cæſare geſtas conuerſus, vt primùm tabulas eius habuit in ſua poteſtate, ex his multa deleuit, multa repoſuit, poſt verò quàm plurima expilauit, ex priuatis ciuibus, populis, atque regibus magnam pecuniam conflauit: quorum nonnullis regionem, aliis libertatem, aliis ciuitatem, multis immunitatem vēdidit: ad extremum contempto Octauio, vt puero adhuc & rerum imperito, quaſi hæres non ſolùm pecuniæ Cæſaris, verùm etiam potentiæ, omnia adminiſtrabat. Et quia Lepidus magnam habebat poteſtatem, filiam ſuam in matrimoniū filio eius dederat, eúmque Pontificem Maximum fieri curauerat, vt nihil de ſuis rebus inueſtigaret curioſius. Deinceps de cæteris imperatoribus dicendum eſt, hoc opere in tot partes diſtributo, quot imperatores Romæ poſt Iulium fuiſſe comperimus.

Octauius Cæſar Augvstvs.

CAius Octauius Pias, nam id fuit nomen filio Attiæ ſororis Cæſaris, Velitris oppido Volſcorum natus, pupillus ab Octauio patre relictus eſt apud matrem, & fratrē eius Lucium Philippum: cúmque adoleuiſſet, à Cæſare non diſcedebat. Cæſar enim, quòd nullos liberos ſuſcepiſſet, quódque iam in eo magnam ſpem poſitam haberet, valde eum diligebat, eiúſque curam habebat, quippe quē nominis ſui & pecuniæ hæredem, ac imperii ſucceſſorem erat relicturus: præſertim cùm Attia ſine vlla dubitatione confirmaret, eum ſe ex Apolline concepiſſe, in cuius templo obdormiēs, rata eſt cum dracone commiſceri, peperítque expletis ad pariēdum menſibus. Adhæc antequam pareret, ſomniauit viſcera ſua ſublime in cœlum tolli, & in totum orbem terrarū diffundi. Item eadem nocte Octauius ſolem ex vulua vxoris oriri in ſomnis vidit. Cúmque puer iam natus eſſet, Nigidius Figulus ſenator ſtatim ei filii ſummum imperium prædixit. Nouerat is ſupra omnes homines ſuæ ætatis totius cœli ordinem & curſum: tenebat ſtellarum vim atque differentiam, quid ipſæ per

Nigidius Figulus Aſtronomiæ peritiſſimus.

ſe, aut cum aliis coniunctæ poſſint & efficiant: quorum tamen ſtudiorum, quòd occulta eſſe & vana videbantur, culpã ſuſtinuit. Is igitur vt vidit Octauium ſerius propter partum vxoris in curiam venientem (nam tum fortè ſenatus erat) ſtatim exclamat, Nobis Octaui dominũ genuiſti: deinde ea re perculſum Octauium, atque idcirco puerulum necare volentem prohibuit. Nã vt hoc tẽpore (inquit) moriatur filius tuus, fieri certè nullo pacto poteſt. Cùm verò puer ruri paruulus educaretur, aquila de manibus eius panẽ rapuit, mox euolauit: atq; vbi paulo pòſt reuolaſſet, ei reddidit. Itẽ eo adhuc puero, & Romæ cõmorante, Cicero ſomniauit, eũ cathenis aureis ſuſpẽſum è cœlo in Capitoliũ pẽdere, eíque flagellũ ab Ioue datũ eſſe: cúmque ipſe puerũ ignoraret, poſtero die in Capitolio obuiã ei factus eſt: quẽ vt agnouit, ſomniũ iis qui aderant præſentes, narrauit. Sed & Catulo, qui antea Octauiũ nunquam viderat, viſum eſt in ſomnis, à nobiliſſimis quibúſque pueris Iouẽ Capitolinũ adiri, & ab eo Romæ ſtatuam in ſinum Octauii demiſſam fuiſſe. Qua re exterritus, properauit in Capitoliũ precandi cauſa: ibi fortè aſcendentẽ Octauium inuenit, eiúſque faciẽ reuocauit ad ſomniũ, ídque poſtea verũ eſſe confirmauit. Præterea vt primùm ex pueris exceſſit, cùm ſumeret virilẽ togã, ea ab humeris vtrinque fracta vſq; ad pedes demiſſa eſt: quæ res cùm per ſe nihil boni portẽderet, eos qui aderant præſentes, conturbauit, quia eo tempore, quo primùm togã virilem ſumebat, euenerat. Atque tũ fortè Octauius, Tenebo (inquit) omnẽ ſenatoriam dignitatẽ in mea ditione & poteſtate. id quod poſtea factũ eſt. Igitur Cæſar his rebus permotus omnibus, de eo quàm plurimũ ſperare cœpit, eúmque introducere ad nobiliſſimos viros, & ad regnandũ exercere: poſtremò docere accuratè omnia quæ cõuenire videbantur ei, qui ſummũ imperiũ benè geſturus eſſet, & cum ampliſſima dignitate. Nã in omni genere dicẽdi Græcè & Latinè exercebatur: militiæ labores perferebat: perdiſcebat omnia quæ ad rẽpublicã, quæue ad regnũ pertinerent: fuítque Octauius ſtudiorũ cauſa, cùm Cæſar necaretur, in Appollonia, ad ſinum maris Ionii. nã eò Cæſar præmiſerat, quòd bellũ contra Parthos pararet. Itaque de morte Cæſaris accepto nũcio, vbi ſe ab eo hæredẽ factũ intellexit, nihil cũctandũ ratus, ſtatim Cæſaris nomẽ ſumpſit, hæreditatémque adiit, ac res hæreditarias adminiſtrare cœpit, atq; ita Octauius antea vocatus, tũc Cæſar, pòſt Auguſtus, ad magnas res gerẽdas animũ applicat, eáſque fortius adminiſtrat atq; diligentius quàm omnes viri, prudentius, quàm ſenes omnes. Nã

Somnium Ciceronis.

Somnium Catuli.

principio vt priuatus, quasi solius hæreditatis successor, cũ paucis nullo magnifico apparatu in vrbẽ ingressus est: tũ Antoniũ, licet ab eo iniuriã acciperet, coluit, plebémque sibi deuinctã habere conatus est. Itaq; cùm Antonius in foro de superiore loco ius diceret, neque admisisset Octauiũ ad se venientẽ colloquẽdi causa, vt viuo patre cõsueuerat, sed eũ expelli & eiici per lictores iussisset, cũcti grauiter & iniquo animo tulerũt: potissimũ quòd Cæsar, vt cõflaret inuidiã Antonio, & sibi multitudinis animos ad beneuolentiã alliceret, amplius in forũ non veniebat. Quocirca metuẽs Antonius, Cæsari recõciliari voluit: cũ quo rursũ propter aliquã suspicionẽ dissensio facta est. Interea senatus decreto securũ esse iubet Sextum Põpeium Cnei minorẽ filium: simul decernit, vt quæ pecunia numerata ex hæreditate patris in ærariũ redacta fuerat, ea filio reddatur. Is tũ maximas copias habebat, viceráq; Bethica pugna Caiũ Asiniũ Pollionẽ, multásque vrbes partim vi, partim de volũtate ipsarũ ceperat. Huic cùm Antonius prædia ab se occupata nõ restitueret, Lepid⁹, qui finitimã Hispaniã obtinebat, persuasit, vt cũ eo in gratiã rediret, quò posset omnia recuperare facilius. Porrò in vrbe omnia cõfusa & cõturbata erãt propter Cæsaris & Antonii dissensionẽ. Etenim iura ciuibus minime reddebãtur, propterea quòd isti simulata causa libertatis, cũcta ad dominãdi cupiditatẽ trahebãt. Antonius, quia cõsulerat, apertè amplissimã potentiã vsurpabat: sed multitudo studio in Cæsarẽ accẽdebatur, nõ solũ permota patris authoritate, sed etiã adducta spe, quã de eo cõceperat. Ad hæc valde Antoniũ oderat, quòd petulãter viueret, & homo imperiosus esset. Cassius autẽ & Brutus erãt in prouinciis, quas sortiti fuerãt: hic in Macedonia, ille in Syria. Igitur Antonius omnib⁹ copiis ad Galliã occupãdã profectus est. Cæsar milites Antonii, quàm maximè potest, suos facere, atq; eorũ nonnullos propter eã quã erga patrẽ habuerãt beneuolentiã, cõtra Antoniũ ducere, eíq; impedimẽto esse in tẽpore conatur. Senatus, persuadẽte Cicerone vetere odio in Antoniũ, eũ hostẽ iudicat, pecunias & milites ad Cæsarẽ mittit. Quibus rebus omnibus cùm nõdũ Antonio par esset, eò properè ambos cõsules cum magnis copiis ire iubet. Eodẽ ferè tẽpore multa portẽta visa sunt: præter cætera enim fax ardens oriẽte sole ad occasum cõmeauit, & noua quædã stella multis diebus apparuit, splendórque solis diminui & extingui, ac tribus orbibus contineri visus est: quorũ vnus ignea corona cinctus esse putabatur: quæ omnia fatalẽ casum reipublicæ portendebant. Postquam pecunia ad bellum gerendũ opus esse compertũ est,

Antonius hostis iudicatur.

omnes ſuarum facultatum quintam & viceſimam partem contribuunt: ſenatores verò etiam in ſingulos lateres, quos habebãt in ædibus vrbanis, non ſuis ſolùm, ſed etiam alienis, in quibus habitabant, quatuor obolos perſoluunt. Inſuper ditiſſimi quique ſeparatim alia permulta conferunt: præterea arma, cæteráque militibus neceſſaria multæ ciuitates, multíque priuati homines gratis ſuppeditant. tum enim ærarium exhauſtum erat. Igitur magna pars hominum à Cæſare cõtra Antonium ſtabat, *De fortuna Cæſaris & Antonij.* ſetſi neuter eorũ in cura & cogitatione Reipublicæ verſabatur, ſed ab vtroque pari ſcelere, diſpari tamen fortuna & opinione cuncta afflicta erãt & labefactata. Cæſariani fortunatiſſimi eſſe, proſpicere & conſulere Reipublicæ, eámque ex animo curare videbantur. Contrà Antoniani miſerrimi, hoſtes patriæ, ac ſceleratiſſimi homines eſſe dicebantur. Placet autem cuncta ſigillatim perſequi: nam mihi quidem in eo magna vis eſſe videtur, ſi acta & euentus rerum ex cuiuſque conſiliis, quemadmodum ea inter ſe conſentiant, iudicauerimus. Fortuna Antonium in varios caſus miſit. Is enim principio Hircium & Cæſarem fœliciſſimè intra munitiones continuit: deinde Iunium venientem ad opem collegæ ferendam factis inſidiis ſauciauit, quo ex vulnere paulò pòſt mortuus eſt. Verùm inde cõtra Hircium & Cæſarẽ conuerſus, occurrente Hircio ſe in caſtra ſua recepit, quòd belli laboribus defatigatus, & de via feſſus erat: atque quia caſtra tueri non poterat, cum paucis ad Lepidum confugit. Conſul fortiter pugnando caſtra cepit, in qua tamen pugna ipſe occiſus eſt. Apud cæteros, qui ſe periculis commiſerant, fuerunt bellicæ laudis & victoriæ inſignia: ſed poteſtas omnis, & rerum bene geſtarum gloria penes Cæſarem fuit: quanquam in maximis periculis è caſtris non exierat, quippe adoleſcens erat decem & octo annos natus. Fracto Antonio, ſenatus Cæſarem ſuſpectum habere cœpit, atque id agere, vt imperium deponere, ac priuatus eſſe cogeretur. Qua re cognita, Cæſar ſtatuit milites, quos apud ſe habebat, vtriuſque conſulis paulò antè in bello contra Antonium defuncti, ſibi donis & promiſſis deuincire, atque clam legatos ad Antonium & Lepidum mittere, eóſque ad reconciliationem cohortari. Miſit quoque milites ad ſenatũ, *Dicti militis in ſenatum.* ac per eos conſulatũ petiit: quem dum ei negaret ſenatus, quidã è militibus manu gladium, quem gerebat, attigit, Mox (inquit) niſi vos Patres conſcripti Cæſarem conſulem facietis, hic eſt facturus. Huic Cicero ita reſpondit, Siquidem (inquit) ita conſulatum petitis, obtinebit. Poſt hæc Cæſar cum exercitu Romam

contendit. ſenatus principio eum prohibere, atque vrbem tueri nitebatur. Sed cùm iam Cæſar adeſſet, impenderétque vrbi grauiſſimum periculum, mutato conſilio, frequens obuiam ei proceſſit, vrbémque inuitus permiſit. Ea res mirificè extulit Cæſarem, tum etiam, quòd primo die comitiorum in campũ Martium ingreſſus, ſex vultures vidit, & paulò pòſt duodecim, cùm apud milites concionaretur. quod ille ad Romulum, atque eius auguria referens, ſperauit ſibi regnum futurum. Porrò militibus magnam pecuniam largitus eſt, iiſque maximas gratias egit, propterea quòd ſine eorum præſidio & cuſtodia in ſenatum venire non audebat. Adoptatus in familiam Cæſaris, ex eo Caius Iũlius Cæſar Octauianus dictus eſt. nam hæc eſt eorum, qui adoptantur conſuetudo, vt adoptantium quidem nomen accipiant, priſtinum verò aliqua ratione formatum ac paulùm mutatum ſeruent. Inſuper Auguſtus cognominatus eſt, quo nomine reliqui poſt eum imperatores appellati ſunt. Igitur Cæſar vbi milites ſibi deuinctos habuit, redegítque ſenatum in ſuã poteſtatem, ad vlciſcendam necem patris animum appulit. Itaque contra interfectores contendit: pòſt properantibus Antonio & Lepido cum magnis copiis, cum ipſis fœdus inire ſtudet, quòd eos opprimere non poterat, & quòd ſperabat Brutum & Caſſium iam potentiſſimos viros per eos confici poſſe, ſéque poſtea ſeparatim vtrúnque eorum eſſe ſuperaturum. Itaque ad paruam Inſulam eius fluuii, qui Bononiam præterfluit, conueniunt, nec illi quidem ſoli, ſed pari militum numero comitati. Pòſt vbi ſatis exploratum eſt, ne quis eorum in occulto gladium haberet, in congreſſum colloquiúmque veniunt, ibíque dominationem in omnes communem eſſe inter ſe iubent: præterea contra communes inimicos coniurant, etſi propria quædam & præcipua ſibi relinquunt. Cæſar enim Lybiam & Siciliam accipit: horum alter Hiſpaniam, alter Galliam: inde Romã profecti, proſcriptorum tabulas in albo proponunt, multo certè crudelius, quàm in Syllæ dominatione factum fuerat. Sylla enim inimicos tantummodo ſuſtulerat, amicis verò ſuis pepercerat: at iſti non modò perdebant inimicos, ſed etiam amiciſſimos quoſque in poteſtatem aduerſariorum mutuo tradebant: quibus traditis, acciperent infeſtos ſibi homines, eóſque ad extremum vlciſcerentur. ex quo fiebat, vt in his nulla firma amicitia eſſet, ſed irarum ardor acerbiſſimus. Priuſquam Romã eum exercitu venirent, multa prodigia viſa ſunt, quibus eorum magna potentia, & grauiſſimi caſus demonſtrabantur. Nam

Octauianus.

Triũuiratus.

Album.

Portēta cōtra Lepidum & Antonium.

Lepido anguis gladium Centurionis cuiuſdam circumplicauit, & lupus ingreſſus in caſtra, intra tentorium Lepidi cœnātis venit, ac menſam complexus, ampliſſimam potentiam eius oſtēdit, ſed in ea conſeruanda difficultatem. Antonio verò foſſa lacte circunfluens, & concentus de nocte auditus, magnas animi voluptates ſignificauit, ob eáſque exitum pernicioſum. Sed Cæſari aquila ſtatim inito cum ambobus fœdere, ſupra tentorium ſtetit, móxque coruos duos aduolantes, qui ex alis eius plumas euellere conabantur, occidit: itaque ex vtroque victoriam portendit. Interim milites Antonii, Fuluiæ vxoris eius filiam, quam ipſa ex Clodio habuerat, Cæſari, etſi antè ſponſalia cum alia fecerat, deſponderunt, Antonio ſcilicet eam rem procurante, quæ res etiam non eſt à Cæſare recuſata. Dum hæc geruntur, cædes indigniſſimæ maximæque, vt antea Syllanis temporibus, fiunt. Etenim vrbs tota interfectorum hominum referta erat, capita pro roſtris poſita, reliqua corpora proiecta iacebant, atque à canibus & volucribus comedebantur. In his rebus hanc ſolā proprii & alieni rationem habebant, quòd eorum nemo inimicum ſuum, qui eſſet alterius amicus, vlciſci poterat, niſi pro eo alium tradidiſſet. ita aut ira vetere incitati, aut futura ſuſpicione adducti, amici ſalutem ſupplicio inimici poſtponebāt, permutabántque facillimé. Nam amici pro inimicis, ſocii pro hoſtibus inuicem dabantur: & commutabantur aut pares cum paribus: aut plures cum vno: aut cum pluribus pauciores, quaſi venales eſſent, pretiis & licitationibus factis. Tū enim ſimplex erat permutatio, cùm pares erant inter ſe: ſin minus, pauci pro multis moriebantur. Commune autem imprimis eorum fuit, vt cum locupletibus inimicitias gererent, non eas quidem ſuſceptas ex aliqua ſimultate vel odio, ſed quòd erat in ipſis ſumma auaritia, & infinita pecuniæ cupiditas. Antonius & Lepidus his nefariis & truculentis ſceleribus potiſſimùm aſtringebantur: ſed & Cæſar in eadem culpa eſſe videbatur, communicato cum illis imperio. natura quidem certè crudelis non erat, in moribus patris educatus. Præterea, modò ad res gerendas acceſſerat, nec, cur ciues odio haberet, cauſa erat: denique ipſe ſe diligi & amari cupiebat: quin rerum potitus, ex quo tempore regnū habuit, non ſolùm nihil tale commiſit, ſed multos etiam conſeruauit.

Stupenda ſcelera.

Cæſar mitis natura.

Tanyſiæ virtus.

Magno argumento eſt, quòd Tanyſia matrona nobilis, cùm Titum Iunium virum ſuum proſcriptum in arcam coniecisſet, ac eam apud Philopœmenem libertū repoſuiſſet: cúmque propinquus eius diem feſtum celeberrimum acturus eſſet, curauit

Cæſarem

Cæsarem per Octauiam fororem ipsius solum ex triumuiris eò venire, ibíque de improuiso accedens, Cæsari rem omnem aperuit, allatáque arca, virum ex ea eduxit. Quam rem Cæsar admiratus, omnibus veniã dedit: etsi capitale erat, si quis proscriptum hominem occultauisset: hoc amplius Philopœmenem in equestrẽ ordinem perduxit. Itaque Cæsar tali ingenio præditus erat. Sed neque Lepidus in propinquos suos & alios erat inexorabilis: Antonius verò acerbè & crudeliter nulla misericordia permot⁹ occidebat nõ modò eos quos proscripserat, sed eos quoque qui proscriptis opẽ ferre conarentur: quorũ capita etiã inter epulas spectabat, eáque spectatione nefaria & calamitosa magna ex parte satiabatur. Eodẽ modo Fuluia non tam odio impulsa, quàm studio pecuniæ quærẽdæ, sæpe morte afficiebat homines viro suo incognitos. itaq; is, vt caput cuiusdã ad se perlatũ vidit, hunc hominẽ (inquit) ignorabã. Sed capiti Ciceronis allato contumelioßissimè maledixit, iussitq; in Rostris, quò magis inter cætera emineret, collocari in præcelso atque ædito loco, vt vnde in cõcione auditus fuerat in ipsum dicere, ibi cũ amputata dextra conspiceretur. Idẽ caput, antequã inde exportaretur, Fuluia sumit in manus, conscectatur conuitiis, spuit in faciẽ, supra genua collocat, ex eóque ore aperto linguã extrahit, deinde pũgit acu, quã ad ornamẽta capitis sui vtebatur: ad extremũ illudit ei maledicè & cõtumelioßé. Sed vt illis tẽporib⁹ variæ cædes factæ sunt, ita pleriſque salus multis modis data est: quorum partem prætermittere visum est, eáque tantùm quæ cõmemoranda esse videbãtur, referre. Igitur cùm quidam seruus in spelunca dominũ inclusisset, eúmque non multò pòst alius indicasset, ita vt mors ei haud dubia impenderet, seruus veste cum domino commutata, ingredientibus properauit obuiã, & quasi ipse dominus esset, occidi se passus est: ita illi rati se, quem volebant, interfeciſſe, abierunt. hic postea aliò se contulit. Sed & alius pariter mutatis cum domino vestibus, in opertam lecticã ingressus, domino persuasit, vt eã deferret: pòst vbi ambo deprehẽsi sunt, seruus ne conspectus quidem necatus est, dominus quasi lecticarius euasit. Id serui dominis beneficio eorũ affecti præstiterunt. Cæterum stigmatias quidam non modò non prodidit dominũ à quo notis fuerat cõpunctus, sed etiam ad eum seruãdũ prõptissimus fuit. Cùm enim clàm dominũ exportaret, eumq; inimici re cognita insequerentur, hominẽ sibi sortè factũ obuiam interemit, eíque vestem detraxit, ac domino induit: deinde mortuo in rogum impoſito, acceptáque veste domini, annulóque eius, perse-

Philopœmenes.

Ciceronis caput.

Seruorũ fides erga dominos.

quentibus occurrit, iis ait se fugere, quòd dominum occidisset, atque eius rei fidem ex spoliis & notis fecit: qua ratione nō modò conseruauit dominum, sed ab his quoque beneficium accepit. Verùm memoria nominis istorum, quòd obscuri homines erant, nullis monumentis consecrata est. In eadem causa etiam est is, qui quò patri suo opem & salutem ferret, eum pro mortuo extulit. Porrò Quintum Ciceronē M. Tullii oratoris fratrem filius in occulto habuit, & quantum potuit conseruauit. nā eum ita abdidit, vt nullo pacto posset inueniri, cúmque ob eam rem verberibus & tormentis afficeretur, nihilo magis indicauit. Quintus autem postquam ea res ei nunciata est, admiratus filii cōstantiam, atque eius misericordia permotus, vltrò prodiit, seque inimicorum potestati permisit. Marcus verò Terentius Varro, quòd vni ex proscriptis idem nomen erat, metuens ne quod Cinnæ euenerat, sibi quoque eueniret (erat enim tribunus plebis) literam de suo nomine detraxit, & ob eam causam irrisus est. Per hæc tempora permulti etsi proscripti non erant, tamen vel quòd inimicitias gererēt, vel quòd locupletes essent, occidebantur. Plerique etiam proscripti, qui incolumes euaserant, postea restituti sunt, & magistratus gesserunt. Ex quo intelligi potest, quanta sit varietas rerum humanarū & inconstantia. Multi ad Brutum & Cassium confugiebāt, plurimi ad Sextum Pompeium, quòd classi præerat, & aliquanto tempore in mari potens erat, tenebátque Siciliam prouinciam. Postea quā proscriptio de eo facta esset, cúmque veniret in proxima loca Italiæ, pecuniam, receptúmque, & honores promittebat iis, qui ex impetu percussorum ciues eripuissent ac seruassent: itaque permultos conseruauit. Triumuiri autem non solùm occidebāt eos quos in albo proscripserant, sed eos etiam quos iam missos feciſſe videbantur, quodammodo perdebant, dum eos ex locupletibus egentes facerent. nam ab his exigebant pensionem ædium quas habitabant, capiebántque redditus prædiorum, & pecunias maximas inter milites distribuebant, eósque fouebant ac alliciebāt multis muneribus, vt dato prius stipendio, eos haberent ad omnia facinora paratiores. Quamobrem cùm bona damnatorum vænalia proponerent, cæteros quidem minis deterrebant, quò minus emerent: pòst verò solis militibus ea paruo prætio vendebant. Sed in hoc maximo mœrore & acerbissimo luctu vrbis, rem crudelem fecerūt, ac omnibus modis irridendam. Iusserunt enim ciuibus, vt ista proscriptione lætarentur, grauiter minati, nisi parerent. Eo pacto cuncta ad corū ar-

Quintus Cicero, & eius filius.

bitrium libidinémque gerebantur, ita vt regnum Iulii Cæſaris aureum fuiſſe videretur. Poſt id tempus tabulas rurſum in albo proponunt, ex quibus nemini quidem mortem afferunt, tamen viuos fortunis ſpoliant, exigentes à ſingulis ciuibus decimam partem bonorum, vt aiebāt: verè autem vix cuique decimā partem reliquerunt. Iidem Iulio Cæſari ſepulchrum fecerunt in foro, vbi combuſtus fuerat, eóſque, qui ad ipſum confugerent, tutos & inuiolatos eſſe voluerunt, ædibus in quibus fuerat occiſus, ad purgandā aluum relictis. His rebus geſtis, Lepidus Romæ remanſit: Cæſar & Antonius contra Brutum & Caſſiū profecti ſunt. Nam hi vbi intellexerunt remp. arbitratu Antonii & Cæſaris adminiſtrari, contēpta Creta & Bithynia, quas prouincias ſortiti fuerant, contendunt, hic in Syriam, ille in Macedoniam: quæ prouinciæ non ſolùm erant opportunitate temporum, ſed etiam pecuniis, & magnis copiis florentiſſimæ. eas cōfeſtim ſine pugna capiunt, deinde Aſiam omnem in ſuam redigunt poteſtatem, deditione populorum, ſi res ita ferebat, & vi facta iis qui reſiſterent. Erant per id tempus magiſtratus in ſingulis prouinciis, quorum alii ad Brutum propter eius dignitatē & gloriam ſtatim ſe recipiebant: cæteri, qui Antonii & Cæſaris partes ſuſtinebant, facilè capiebantur. In eo fuit numero Dolobella, à quo Tribonius Smyrnæ ex inſidiis necatus fuerat, eiúſque caput ad ſtatuam Cæſaris proiectum, quòd cædis eius particeps fuiſſet. Fuit & frater Antonii in Macedonia, quem Antonius eò miſerat, vt exercitui præeſſet. Hi omnes obſtupefacti Brutum admirabantur propter ea quæ ab omnibus ciuitatibus facta erant. Nam Athenienſes Bruto & Caſſio ſtatuas ex ære iuxta ſtatuam Armodii Ariſtogitonis publico decreto poſuerant. Imprimis autem id eos celeriter auxit, quod à triumuirorum crudelitate & ſcelere longiſſimè aberant, præſertim Brutus: quódque ad ſenatum referebāt omnia, eíque ſe reſque ſuas omnes permittebant: id enim ſenatui erat gratiſſimum. idcirco confirmabat ea omnia quæ ab illis geſta eſſent, quouſque ſeruire omnino coactus eſt. Hi poſtquam intelligunt ſenatum redactum eſſe in ſeruitutem, & cædes nefarias in vrbe factas, omnibus copiis in vnum conductis, properè contendunt de libertate dimicaturi. Dum autem adhuc eſſent in Aſia, adfuerunt Antoniani, qui, vt Ganium flumen tranſierunt, in Philippis Macedoniæ caſtra locant. Illi vbi venerunt ex Aſia, ex aduerſo caſtra ponunt, eorúmque duas partes faciunt, quò magis liberos & expeditos milites habeant, eíſque facilius queant impe-

Brutus & Caſſius.

rare: deinde fossa vallóque circundant. quæ res communiter vtrunque exercitum munitum & tutum præstabat. Cùm ita essent inter se oppositi, vtrinque crebræ excursiones fiunt: & quāquam prælium aliquanto tempore cōmissum non est, tamen ad extremum congressi sunt. Hanc pugnā præcesserunt nonnulla portēta, quibus eius belli exitus & casus reipublicæ demonstrabantur, quòd eam Deus Opt. Max. in meliore statu & conditione regni erat collocaturus. Nā vt tum res erant, pax & cōcordia ciuibus diu nō poterat insidere. Respublica enim potētissima, & in summo fastigio collocata, modum tenere nullo pacto potest. Itaque etsi Romani pro retinēda libertate plurima bella susceperūt, tamen tandē cadere & seruire coacti sunt. Sed huiusmodi portēta iis quibus ea curæ sunt, puto relinqui oportere: multóq; melius Dion, vt opinor, feciſſet, si ea supra modū admiratus nō esset, sibíque Polybiū proposuisset aliqua ex parte adimitandū. *Polybius.* Ille enim historiā de Carthaginis & Græciæ captiuitate cōscripsit: itémque de graui diuturnáque clade, quā Romani antea ab Annibale acceperāt, nusquam tamē monstra eiusmodi referre, aut calamitates vrbibus antè significatas esse, dicere videtur. Id si facit, ratus ea nunquā accidisse, culpa nō caret: portētorū enim plena est historia. quòd si euenisse putauit, tamen ea scribere noluit, veniam meretur: historiam enim conficiebat. Ego verò ex his omnibus quæ temporibus Cæsaris & Antonii acciderūt, hoc vnum referā, quo commutatio rerum, vt ego arbitror, *Res mira.* significabatur: flumina quædā in Italia in contrarias partes fluxisse, quædam prorsus exaruisse. *Pugna in Philippis.* Pugna autem in hunc modū cōmissa est. principiò vtrinque vnus tuba sonuit, pòst reliqui omnes, sed primùm ii qui continebantur certo & præfinito loco, vt tuba canerent: deinde alii, vt animos militū ad prælium ineundum excitarent: mox repēte silentiū factum est. Illi rursum sonos acutissimos fuderunt, & vtrinque exercitus conclamauit. Tū cœpere milites grauis armaturæ scuta hastis percutere, eásque contra se inuicem torquere. Funditores & sagittarii tela lapidéque iacere, equitatus irruere subsequētibus militibus grauis armaturæ. Ita res ad manus atque ad pugnā venit. Fit grauis impetus, distringūtur gladii: id primū omnes agunt, vt multos vulnerent, ipsi verò nullū vulnus accipiāt. Pòst vbi animi, vt fit, ira incēdi & inflāmari cœperunt, accurrūt propius, & temerè irruunt. Hîc rationē nullam habēt sui, neque sentiunt accepta vulnera, quòd mors dolorē anteuertat. Itaque morientium nullus est gemitus, nulla lamentatio: etenim absque cruciatu corporis

ſtatim moriebantur, imprimiſque vtriq; in ſuis locis cõſiſtebãt. neque enim recedebãt aliò, vt quenquã inſequerẽtur, ſed in iiſdẽ locis in quibus eſſent, ſauciabãt, paritérque ſauciabãtur. Cumque hoſtes occidiſſent, ibidẽ ipſi nõ multò poſt cadebãt. Mãſit ea pugna, quouſq; dies iã inclinaret. Igitur ſi Brutus cũ Antonio prælio decertaſſet, & Caſſius cũ Cæſare, ipſi pares inter ſe fuiſſẽt. Sed dũ Brutus Cæſarẽ imbecillũ vicit, atq; Antonius Caſſio, qui parei in bellicis rebus nõ erat, ſuperior fuit, victores quodãmodo victi diſceſſerũt. Caſtra enim Cæſaris & Antonii, & quæ in caſtris erãt, omnia capta ſunt: Cæſar mirabiliter ſaluus euaſit. Nam ei, antequam prælium cõmitteretur, medicus ſomnium narrauit, quo eum caſtris excedere iubebat. Caſſius quoque incolumis ex prælio amiſſis munitionibus profugit: ſed cũ exiſtimaret Brutum iam occiſum eſſe, cumque quidam è victoribus ad eũ properaret, mortem ſibi ipſe intulit. Brutus quanuis poſtea exercitũ Caſſii recepiſſet, tamen iterum ſibi confligendum eſſe non putabat, quòd ſperabat cunctando ſe poſſe omnes ſine periculo cõficere. Cæterum de nocte conturbare eos maximo tumultu conabatur, quos etiam aliquãdo alueo fluminis auerſo intra munitiones concluſit. Dum Brutus hæc ageret, Cæſar & Antonius commeatu & pecuniis maximè indigebant, ob eámque rẽ nihil dederãt militibus, quò damna, quæ captis caſtris in rebus eorũ facta erant, reſarcirent. Ad hæc copias nauales iam à Bruto ſuperatas amiſerant: ita in armis ſpes relicta erat, non modò victoriæ, ſed etiam ſalutis quamobrem experiri & tentare omnia etiam cum periculo cupiebãt. Brutus quoque, quòd crebrò milites ab eo deficiebãt, idem facere coactus eſt: iámque acies inſtructæ erãt, cùm duæ aquilæ volantes ſuper vtrunque exercitũ inter ſe concertarent, finẽ belli prænunciantes, propterea quòd ea quæ ad Brutum ſpectare videbatur, victa eſt. Bruto ſuperato, plerique militum in diuerſas partes fugæ ſe mandarunt, quos victores inſequebantur: etſi neminem eorũ occidebant, aut capiebant, ſed noctu locati in inſidiis prouidebant, ne rurſum cogerentur. Brutus deſperata ſalute, ratus turpiſſimum eſſe capi, & indigniſſimum, ad mortem confugit. Itaque cùm exclamaſſet illud Herculis, O miſera virtus, quàm tu res eras nugatoria: equidem ſerio in te exercebar, at tu ſeruiebas fortunæ: cohortatus eſt aliquem ex ſuis, vt ſe interficeret. Quo facto Antonius corpus eius ſepultura affecit, niſi quòd caput Romã miſſũ orta tẽpeſtate, cũ Dyrrachio ſoluiſſẽt, in mare proiectũ eſt. Morte Bruti cognita, vxor eius carbonẽ abſorbuit: ita mortua eſt. Cũq;

Capta caſtra Cæſaris.

Bruti morituri ſententia.

permulti clariſſimi viri cum Bruto eſſent, plures eorum ſtatim mortem ſibi conſciuerunt, quàm captiui deceſſerint. In his fuit
Fauonius. Fauonius amicus Catonis: reliqui in Siciliam ad Sextũ ſe receperũt. Antonius pecuniæ faciẽdæ cauſa in Aſiam profectus eſt. Cæſar Romam venit, vt eſſet impedimento Lepido, ſiquid moliri conaretur, atque vt Sexto bellũ inferret. Per id tẽpus Fuluia
Fuluia. ſocrus Cæſaris & Antonii vxor, contempto Lepido ita adminiſtrabat omnia, vt nihil à ſenatu decerneretur vel à plebe contra eius voluntatẽ. Cum ea erat Lucius Antonii frater. Igitur poſteaquam Cæſar venit, in pace aliquanto tempore fuerunt, pòſt verò diſſidere cœperunt, atque in apertum odium venire. Nam Cæſar propter inſolentiam ſocrus, quam ferre non poterat, filiam eius repudiauit, vt virginem adhuc: quam rem iureiurando confirmauit. Cùm autem apertas inimicitias gererent, proderat in primis Fuluiæ odium hominum, quod paulò antè in Cæſarem concitatum fuerat. Cauſa odii hæc fuit. Quòd cùm Cæſar Italiam omnẽ teneret, niſi ſiquid veterani milites ab eo dono ceperant, aut ex publico emptum poſſidebant, ope auxilióque ſeruorum, aliiſque rationibus adiutus, bona dominis eripiebat atque auferebat, eáque deinceps dabat ſuis militibus. Cùm autem ii, qui partis bonis priuabantur, grauiter ferrent, atque, vt par erat, indignarentur: ita eos interrogare ſolitus erat, Vnde igitur, inquit, veteranos remunerabimur? quaſi aut bellũ gerere, aut tot promiſſa facere quiſquam ei iuberet. Sed cùm Lucius & Fuluia iniuria affectos à Cæſare beneficiis ſibi deuincirent, eíſque omnibus in rebus auxiliarentur: Cæſar & quidem inuitus remittere aliquid de crudelitate ſua, nec amplius quenquam fortunis ſpoliare viſus eſt. Quare non modò apud Senatum, ſed etiam apud omnes charus haberi cœpit, milites autem grauiter ferre. Idcirco interfecerunt Centuriones, alióſque permultos, qui eorum tumultum compeſcere, eóſque placare nitebãtur. Parum quoque abfuit quin ipſe Cæſar ab iis fuerit interfectus. Etenim qualibet cauſa incitati, vim iracundiámque ſubibant: neque prius deſtiterunt, quàm propinquis ſuis & patribus, liberíſue eorum qui in prælíis cecidiſſent, prædia quæ ab aliis poſſidebantur, reſtitui iuberet. Quo impetrato, milites Cæſari fuerunt amiciores: ſed populus Romanus iterum acerbè tulit, ita vt ipſi inter ſe venirent ad manus, & pugnarent continenter. Quare timore permotus Cæſar, ſtudebat cum Fuluia & Lucio reconciliari: id tamen per legatos impetrare non potuit. propterea quòd multi ſenatorii & equeſtris ordinis cum Fuluia

erant,cum quibus consilia communicabat, eáque nonnunquã, quod mirum fortasse videbitur, accingebat gladium, signáque distribuebat inter milites,atque apud eos sæpenumero concionabatur. Quapropter Cæsar ad veteranos confugit (erant veterani,qui militia dimissi erant,vbi per legitimum tempus militauerant) Cùm igitur essent in Italia complures veterani,ab iis contendit, vt se Fuluiæ conciliarent, componerentque controuersias omnes, de quibus eos iudices sumebat. Itaque veteranorum magna multitudo Romam venit: deinde frequentes in Capitolio tabulas,in quibus scripta erant fœdera quæ Cæsar cũ Antonio fecerat,legi coràm iusserũt:ibi Cæsari præsenti,absentibus autem per legatos diem dicunt, quam ad diem Romam ipsi veniant causam suam acturi. Die constituta,cùm Cæsar paratus esset iudicium accipere,illi non adfuerunt, timore fortasse adducti,aut certè quòd ea res indignissima videretur. Irridebant igitur veteranos, & senatum Caligam vocabant ex vsu caligarum militarium. Veterani nihilominus Lucium & Fuluiã iniustè facere pronunciant, réque Cæsaris comprobant. Quo facto Cæsar Lucio & Fuluiæ bellum indixit,mox ea quæ in fanis religionis causa erant, cæteráque ex quibus pecuniam facere poterat, nec ea solùm quæ Romæ, sed etiam omnia quæ in Italia,& in ditione ac potestate eius reposita erant, sustulit. Dũ Cæsar bellum appararet, Lucius & Fuluia, cõparatis etiam rebus ad bellum gerendum necessariis,copias cogunt. Tandẽ autem datis acceptísque vtrinque magnis incommodis, Cæsar superior fuit,atque oppidũ in quo Lucius erat,diuturna obsidione faméque afflictum cepit. Et quanuis Lucius cum paucis saluus & incolumis euaserit, tamen complures senatorii & equestris ordinis perierunt: Fuluia verò cum liberis ad maritũ perfugit. Iulia Antoniorum mater primùm in Siciliam profecta ad Sextum Pompeium,ab eodem honorificè ad filium remissa est. Claudius quoque Tiberius Nero cum iis fuit qui se ad Antonium receperãt. Nam cùm haberet præsidia in Campania, intelligerétque Cæsarem bello superiorem fuisse, fugit cum Liuia Drusilla, filióque suo Claudio Tiberio Nerone, vt postea mira res accidisse videatur, quòd Liuia Cæsari quem antea fugerat, nupserit,atque Tiberius is,qui cum parentibus suis fugæ se mandauerat, Cæsari in imperio successerit. Nam vtrunque postea factum est. Cæsar postquam vrbem grauissimis morbis affligi propter famem videt, Sexto Pompeio maris imperium obtinente, iámque Italiam inuadente, cum eo decertare nauali

Fuluia Antonij uxor gladium accingebat.

Cæsar ad ueteranos confugit.

L. Antonius uictus.

Fulua.

Iulia Antoniorum mater.

Claudius Tiberius Nero.

prælio conſtituit, ac primùm naues ex pellibus facere conatus eſt, vt ii ſolēt, qui in Oceano nauigant, quas contextas viminibus integebat crudis boum coriis, quæ non aliter extendebat, quàm in rotundis ſcutis fieri ſolet. Itaque irridebatur, putabatúrque, ſiquid cum iis tentaſſet, in maximum periculum eſſe venturus: ſed alia claſſe comparata vſus, tamen victus eſt. Hic ſtuduit ſtatim cum Sexto pacē facere, ſed eum in fœderibus faciendis cōcordem non habuit. In his rebus cùm occuparetur Cæſar, Antonius ex Aſia amore Cleopatræ in AEgyptū profectus eſt: quo

Labienus. tempore Labienus qui præfuerat equitibus Pompei Magni, vel potius filius eius hic Labienus fuit, qui primò ad Parthos ſe cōtulit, deinde vnà cum filiis Pompei bellum cum Cæſare geſſit, iiſque ſuperatis, ad Parthos confugit: Orodi Parthorum regi perſuaſit, vt bellum inferret Romanis. Huic Orodes Pacorum

Parthi in Syriam. filium tradit, deinde eum ab ſe cum exercitu dimittit. Ab iis Syria omnis præter Tyrum capta eſt: Palæſtina quoque, Cilicia, ac vrbes Aſiæ, quæ in continenti ædificatæ erant, omnes ferè captæ ſunt. Quæ quanquam ad Antonium perferebantur, tamē homo temulentus, & amoribus irretitus, nec ſocios curabat, nec hoſtes. Tandem verò coactus, quòd omnia occupata eſſe intelligeret, AEgyptū reliquit: cur id faceret, bellū Sexti in cauſa eſſe dicebat. Inde venit in Græciam, vbi cum matre & vxore coniunctus, Cæſarem hoſtem, Sextum verò ſibi amicum fecit. Poſt hæc in Italiam tranſiit, ac repente occurēs Publio Seruilio, qui Cæſaris exercitum contra eum ducebat, multos occidit, mul-

Fuluia moritur. tos etiam cepit. Hoc prælio facto Fuluia moritur, tūc ambo ab armis diſcedunt: & quanquam eorum copiæ atque ſpes contrariæ erant, tamē quia poſt mortem Fuluiæ res ita poſtulare vi-

Reconciliati Antonius & Cæſar. dēbatur, inter ſe conciliantur. In eo fœdere Cæſar Sardiniam, Dalmatiam, Hiſpaniam, & Galliā ſortitus eſt: Antonius ea quæ trans mare Ionium, quæque in Europa Aſiáue erant in ditione ac poteſtate populī Romani. Lepidus enim Lybiam, Sextus Siciliam tenebat. Contra hunc cùm Cæſar & Antonius bellū apparārent, in maxima damna incurrerunt, quòd ipſe omnes qui Romæ eſſent, infeſtos eis inimicóſque reddidit: vſque adeò mari

Mena libertus. potens erat, præſertim quòd Menæ liberti ſui opera & conſiliis vteretur. Tum Romanos, quia Sardinia occupabatur, vexabatúrque maritima regio, res frumentaria defecit. Quamobrem cùm ingens fames eſſet, eáque grauiter affligerentur, hortabātur Cæſarem & Antonium ad pacem cum Sexto faciendam, ob eámque rem multum clamorem profundebāt. Sed vt nihil proficere

ficere se intelligunt, celeriter ad eos interficiendos contendũt. Qua re animaduersa Cæsar, etsi iam suos vulneratos habebat, tamen vestem discidit, suppléxque eorum fidem obtestari, & misericordiam implorare cœpit. Antonius maiore vi adhibita restitit: tandem verò legatos de pace ad Sextum mittere coacti sunt. Per id tempus L. Cornelius Balbus Gaditanus vir consulatum gerebat. cuius mentio fit in historia propterea, quòd ita omnibus copiis circunfluebat, tantáque erat magnitudine animi, vt omnes homines suæ ætatis facilè superauerit. moriens enim drachmas circiter x x v populo Romano viritim reliquit. Eodem quoque tempore lex Falcidia, quæ nunc etiam obtinet in hæreditatibus, vt grauatus hæres quartam partem retineat, à Publio Falcidio tribuno plebis lata est. Interea Cæsar & Antonius multa faciebant contra ius fásque: nam complures nõ modò alia ratione indignissimos, sed etiam seruos in senatorium ordinem cooptabant. Etenim Maximum quendam, qui quæstoris officio functurus erat, agnitum, dominus in seruitutem vindicauit. Alius quoque inter milites, vt miles deprehensus, è cliuis Capitolinis præcipitatus est, data prius ei libertate, vt maiorem authoritatem haberet animaduersio. Cæsar autem & Antonius tandem cum Sexto in colloquium venerunt, cum quo initis fœderibus, pacéque facta, tantus præ gaudio clamor eorum qui aderant præsentes, fuit, tot belli scilicet laboribus exantlatis, & pace longo tempore expetita, vt montes maximè personarent, ob eámque rem magnum timorem facerent. Põpeiani non sustinebant, quousque in terram venissent (erant enim in nauibus) sed statim saliebant in mare: nonnulli quoque se in profundum iaciebant, séque deinceps natantes mutuò salutabant, & complectebantur. Post hæc conuiuia vicissim vtrinque acta sunt: primùm à Sexto in naui: deinde in continenti à Cæsare & Antonio. Poterat Sextus vtrunque, cùm essent in naui cum paucis, interficere, idque Menæ consilium erat: tamen noluit, sed cum Antonio iocabatur familiariter, à quo ædes eius paternæ quas in Carinis habebat, occupabantur. Est autem locus in vrbe, cui Carinæ nomẽ est: quæ appellatio cùm ad partem quoque nauis inferiorem pertineat, facetè dicebat, eos in Carinis epulari. Idem filiam suam despondit M. Marcello Cæsaris ex sorore nepoti. itaque hoc bellum dilatũ est. Antonius ex Italia in Græciã reuersus, multa fecit cõtra mores institutáq; maiorũ. Etenim damna multa attulit ciuitatibus, in iisq; cupiditates suas expleuit: denique Dionysius appellari voluit. Qua re

L. Cornelius Balbus.

Lex Falcidia.

Pax facta cũ Sexto.

Menæ cõsiliũ.

Carinæ.

Antonius Dionysius.

animaduerſa Athenienſes Mineruã ei diſponderunt. Is nuptias ſibi placere reſpondit, ab iiſque quadraginta millia aureorũ exegit dotis nomine. Cúmque eſſet in his rebus occupatus, in Aſiam præmiſit Publium Ventidium, qui Parthos, qui in munitis locis caſtra poſuerant, à quibus etiam inuadebatur, contra opinionẽ Labieni, cui paulò antè res ex ſententia ſucceſſerãt, magna vi in fugam conuertit, Syriáque expulit, ipſum denique Labienum cepit: ac propterea Romæ triumphauit. Hic ex eo tempore cùm propter magnificentiam & ſumptum cæterarum rerum clarus erat, tum verò, quòd Palatium incendio conſumptũ reſtituit, atque ſtatuis quas à Cæſare acceperat, videlicet poſtea redditurus, adornauit. eas enim, cùm Cæſar paulò pòſt repeteret, non reddidit: ſed ei ita facetè reſpondit: Mihi quidem, inquit, ſeruorum copia non eſt, tu verò ſeruos tuos ad Palatium mitte, atque inde ſtatuas accipe. Cæſar autem eas reliquit, metuens, ne ſi inde eximeret, peculatus accuſaretur. Poſt hæc Liuiã vxorem duxit, cuius amore olim captus fuerat. Erat Liuia vxor Neronis, quicum fugerat, vt ſuprà dictum eſt, ex eóque puerũ ſex menſiũ in aluo continebat, eam Nero quaſi pater, non maritus eſſet, Cæſari vxorem dedit, ibíque cùm epulum fieret, in eóque puerulus quidem garrulus interueniſſet, quales ſolent eſſe ii, qui nudi à mulieribus delitiarum multitudinis cauſa educantur, vidiſſétque Liuiam vnà cum Cæſare eſſe, Neronẽ verò ſeorſum cum alio ſedere, ad eam acceſſit, mox ait: Quid hîc agis Domina? ecce enim vir tuus (Neronem moſtrabat) illic ſedet. Liuia, cùm Cæſari nupſiſſet, peperit Claudiũ Druſum Neronem, quem Cæſar educauit, deinde ad patrẽ miſit. Tiberius non multo pòſt moritur, Cæſarémque eidẽ Druſo, Tiberióque liberis ſuis tutorem relinquit. Interea plebs de his rebus multum ſermonem habebat, ſed id potiſſimum circumferebatur, τοῖς δὲ πυχοῦσι τρίμηνα παιδία, quòd fortunatis hominibus liberi tertio menſe naſcerentur, idque poſtea in prouerbii conſuetudinem venit. Sub hæc tempora Mæna à Sexto ad Cæſarem defecit, quẽ Cæſar Sexto repoſcenti non modò non tradidit, ſed eum in honore habuit, atque in equeſtrem ordinem cooptauit, conceſſo ei iure aureorum annulorum. Eſt autem ius aureorum annulorum, quod ſolus princeps libertis dat: propterea quòd olim ciuibus Romanis, niſi iis qui ſenatorii erant aut equeſtris ordinis, aureos annulos ferre non licebat. Sextus hac re permotus, à pace recedit, præſertim quòd Cæſar promiſſa ſibi non exoluebat: nam is etiam querebatur à Sexto fœdera aliqua ex parte

Centũ myriades drach.

Ventidius ad Parthos.

Captus Labienus, victi Parthi.

Liuia nubit Cæſari.

Fortunatis tertio menſe filios naſci.

Ius aureorum annulorum.

violari. Cæsar Lepidum & Antonium venire iubet ad bellũ Sexto inferendum. Sed dum illi non statim paruerunt, Cæsar solus cum Sexto bellum gessit: quo in bello primùm aduersa fortuna vsus est. nam non solùm quibusdam præliis naualibus inferior fuit, sed etiam magnavi tempestatis complures naues amisit. Quibus rebus Sextus efferebatur, diripiebat & vexabat Italiã, séque Neptuni filiũ appellabat. Qua re cognita, Cæsar in omni ferè Italia naues ædificari iubebat, multas aliunde cõducebat, cõscribebat milites, congregabat pecuniã, ita vt in nauibus ædificandis, ac quærendis pecuniis, exercendísque remigibus bienniũ consumpserit. Hac ratione, hæc aliáque permulta, quæ ad Italiam & Galliam spectabant, prouidebat. M. Bipsanium Agrippam comparandæ classi præfecit, eúmque, quòd iam bellum contra Gallos confecerat, & secundus ciuiũ Romanorum belli gerendi causa Rhenùm transierat, accersiri iussit, atque ei, vt triumpharet, concessit, mãdauítque, vt milites qui in ea classe futuri erant, in laboribus exerceret. Agrippa cũ Lucio Caio consul erat, qui idcirco triumphare noluit, quòd sibi turpissimũ esse existimabat, efferri gloria in aduersa fortuna Cæsaris. Classem verò celerrimè comparauit: tum quòd ea loca sine portu erant, opus magnificum & præclarum fecit. Nam apud Cumã, quæ ciuitas est in Campania, inter Misenum & Puteolos, locus quidẽ interiectus instar Lunæ incuruus & inflexus est: eúmque exigui montes ambiunt, vacui ab arboribus & nudi, paucis tamen exceptis: præterea tres sinus maris habet: quem locum vbi Agrippa obseruasset, in eo portus tutissimos fecit. Iam verò, quæ in eo loco vidi, quia commemoranda esse videntur, paucis exponam. Nam in his montibus, quos iuxta sinus maris esse paulò antè dictum est, fontes sunt ignis & aquæ pleniſſimi: & qui constet ex altero separatim, omnino nullus inueniri potest. Nec verò per se ignis aut aqua frigida esse videtur: sed quia commiscẽtur, aqua calida, & ignis quodammodo humidus est: atque cùm aqua per canales in cisternas influat, eius vaporem ii qui ea loca incolunt, inducũt per tubos in altissima domicilia, ac postea calefiunt in illis. Nam is vapor quanto lõgius à terra abfuerit, & ab aqua, tanto magis exsiccatus & aridus est. Quamobrem vtrinque ædes magnificæ ædificantur & sumptuosæ, quæ sunt vitæ hominis & valetudini aptissimæ. Idem quoque mons eam terræ naturam efficit, vt igni exuri non possit. quippe vim eius & flammas contraria vis aquæ, quæ cum eo commiscetur, restinguit. Sed cùm ignis ea quæ proxima sunt, dissipet atq;

M. Bipsanius Agrippa.

Puteoli.

consumat, fit vt ea pars terræ quæ mollis & humida est, calore liquefacta, & dilapsa diffundatur: quæ verò aspera est & dura, cõsistat. Ex quo necesse est in glebis eius terræ cauernas existere: quæ si in locis aridis collocatæ sunt, in puluerem rediguntur: coniectæ verò in aquã, & mixtæ puluere, consistunt: atque adeò, quãdiu in aqua sunt, concrescunt, magísque obdurantur. Cuius rei causa afferri potest, quòd ea pars quæ arida est, igni augetur propter naturæ similitudinẽ, ab eóque frãgitur: sed admixta re humida, ita refrigeratur, vt propterea cõcrescat, atque omnino cõsolidetur. Cùm igitur Baiæ eiusmodi sint, in eas Agrippa venit, fecítque portus, naues celeriter cõparauit, ac remiges delegit. Tum in vrbe multa portenta nũtiata sunt, sed in primis cõplures delphinos ad Aspidem oppidũ Aphricæ concertãtes inter se interiisse: in eodémque oppido pluisse sanguinem, eundémque statim à volucribus in varias partes allatum esse. Porrò quod Liuiæ euenit, magnam ei attulit voluptatem. nam aquila in sinum eius coniecit gallinam albam, quæ ramum lauri ferebat, in qua baccæ erant: quæ res cùm magnum aliquid significare videretur, Liuia gallinæ magnam curam habuit, seuítque laurũ, quæ cùm creuisset, lauream suppeditabat iis, qui parta victoria triumpharent. Sed Liuia Cæsarem in sinu suo atque omnino in potestate erat habitura. Eodem tempore Antonius ex Syria in Italiam venit, propter bellum Sexti, vt aiebat, à quo magna clades Cæsari allata esset: sed postea cum Cæsare dissidere cœpit, ita vt ei propè bellum intulerit: tamen rursum cum eo opera Octauiæ reconciliatus est. nam eam, quia soror erat Cæsaris, superiore fœdere in vxorem duxerat. Antonius Cæsari naues dat, ab eóque milites accipit, quorum opera contra Parthos vteretur. Hæc illi faciebant, non beneuolentia adducti, sed quòd commodi sui causa ita faciendum esse putarent. Antonius quoque Octauiam Corcyra statim in Italiam remisit. Cæsar comparata classe, transmisit in Siciliam: cúmque ei bello nauali Agrippam præfeciset, ipse pedestres copias ducebat, obseruabátque omnia quæ gererẽtur. Sextus quoque classe tradita Demochari cuidam, è terra pugnam spectabat. Igitur Agrippa pugnã cum Demochare committit: quæ cùm æqualis vtrinque multo tempore fuisset, essétque iam ad noctem perducta, tandem Cæsariani superiores fuerunt. Pugnatum est apud Mylas vrbem Siciliæ. victos verò non sunt longius insecuti, vt mihi quidem videtur: ídque vero similius est, tum quòd eos comprehendere nõ potuissent propter nauium magnitudinẽ, tùm quòd imperiti

Baiæ.

Portenta.

Ramus lauri.

Antonius Octauiam sororem Cæsaris uxorẽ duxerat.

Demochares.

rerum nauticarum metuebāt, ne ad proximam terram naufragia facerent. Quidā tamen existimant Agrippæ satis fuisse hostes in fugam conuertere, quòd Cæsari, nō sibi victoriam peperisset. Nam familiaribus suis dicere solebat, hunc esse morē principum, vt nolint quenquam habere se potiorem. Nam ea quidē, inquit, quæ facilem & exploratam victoriam vidētur esse habitura, ipsi gerere statuūt: pessima verò quæque & difficillima aliis committere. Quod si eueniat, vt opportuna negotia aliis māda re cogantur, grauiter & acerbè ferunt propter laudem & gloriā eorum, qui ea gesserint. Neque enim vinci se volunt, aut parū fortunatos videri: multò verò minus rerum præclarè gestarum gloriam apud alios esse facilè patiuntur. Itaque sæpe cohortabatur eos, qui se saluos & incolumes esse vellent, darent operam, vt principes liberarentur omniū rerum difficultate & molestia, sed tamen eis rerum gestarum gloriam reseruarent. Hæc Agrippa vt dicere, ita facere cōsueuerat. Sed cùm præliū nauale cōmissum esset, intelligerétque Cæsar Messina Sextum abiisse, portúmq; esse omni præsidio destitutū, nactus occasionem belli eam non prætermisit, sed statim cum nauibus quas ab Antonio acceperat, Messinam cōtendit: nec tamē fœlix fuit ad casum fortunámque belli, propterea quòd Sextus ei cū classe ac pedestribus copiis occurrit. Cæsar enim contemnens Pompeianos, quòd iam ab Agrippa superati fuissent, cum iis conflixit, quo in prælio non solùm amisit magnam partem classis, sed ipse quoque in maximum periculum & discrimen venit, cùm non posset ad suos, qui in Sicilia erant, perfugere, satisque ei fuit, se recipere in proximam continentem, atque ibi tutò esse. Sed cùm exercitum suum in Insula interceptum esse animaduerteret, iniquo animo ferebat, nec antè animū recepit, quàm piscis vltrò è mari saliēs ad pedes eius accidit, atque à vatibus ob eam causam responsum est, Siciliam in eius fore potestate. Cornificius autem, qui Cæsariano exercitui in Sicilia præfectus erat, periclitabatur, ne si in loco consisteret, inopia cibariorum expugnaretur: quòd si recederet, ne vnà cum exercitu periret, circunstantibus hostibus, & eminus iaculantibus, ac opportunis locis inuadentibus. Tamen quia Agrippa transierat in Siciliam, Mylásque ceperat, ac hostes insecutus ad eum venerat, præter spem euasit. Qua ex re propter suam & militum salutem tanta lætitia efferebatur, vt Romæ, quoties foris cœnaret, elephanto veheretur. Igitur etsi Cæsar eo tēpore Sicilia non est potitus, tamē paulò pòst coniunctis cum Lepido copiis, postquā

Dictū Agrippæ.

Cæsar victus in Sicilia fugit.

Cornificius.

in eam transiuisset, opera Agrippæ vicit Sextum prælio nauali. Quare Sextus de Sicilia diffidens, fugæ se in Asiam mandauit, ibique, quòd res nouas moliretur, ab Antonio missis militibus occisus est. nam eum Cæsar non est insecutus, propter dissensionem quam fecerat cum Lepido. Lepidus enim, quòd bellum ex æquo gessisset, æquum esse statuebat, se quoque Sicilia potiri, quanuis Cæsar eo veluti legato in rebus omnibus vteretur. Sed cùm multa, quæ contra Sextum parauerat, cum eo cõmunicasset, cœpit eum suspectum habere: quam suspicionẽ tamen non patefecit, ne eum apertè inimicum & hostem haberet. Pugna autem celerius, quàm volebat, cum Sexto commissa: eóque superato, vt antè dictum est, cum Lepido, priusquam ipse aliquid moliretur, apertas inimicitias gessit. Lepidus petebat ea quæ ex primis fœderibus ad se pertinebant, præterea Siciliam sibi vendicabat, quòd in ea expugnanda socius fuisset, ob eámque rẽ Cæsarem in ius vocabat, cùm tamen secũ haberet copias, quas adduxerat ex Libya. Adhæc Cæsar nihil respõdit, sed ratus ius in armis esse, quòd ipse potentior esset, confestim aduersus Lepidum cum paucis contendit, vt eum perterreret, cui deerant omnia quæ ad bellum gerendum pertinebant: ac primùm vt amicus ~~in castra Lepidi in~~gressus, pauca apud ~~milites conciona~~tus est: sed postquam nihil dicit ad eorum voluntatem, magis concitati sunt, ac facto in ipsum impetu nonnullos ex iis militibus, quos secum habebat, occiderunt: ipse, quòd ei celerrimè auxilia venerunt, saluus euasit, eósque ~~omnibus copiis post~~ea adortus est. Tum milites Lepidi vniuersi Cæsarẽ ~~adierunt,~~ ipsé~~que~~ Lepidus cum pulla veste supplex fuit, atque ob eam rem, ~~omnem dominationem amisit, vixitque in I~~talia sine præsidio. Cùm autẽ Antonius esset in Græcia, Ventidius legatus eius Pacorum filium Orodis regis Parthorum bello deuictum interfecit, qui supra cæteros reges propter iustitiam & mansuetudinẽ apud suos charus fuerat: præterea Parthos omnes qui in ea pugna superati sunt, expulit ex Syria. Tum Antonius Ventidio ob res præclarè gestas inuidere cœpit: at ille se sua potestate abdicauit, nec Antonius opera eius amplius vsus est: tamẽ post mortem Antonii primus ciuium Romanorum de Parthis triumphauit, qui triũphus fuit ei decretus à senatu, & maximè, quòd eodem die eandem cladem Parthis intulisset, quã ab iis populus Romanus Crassi tẽporibus acceperat. ex quo præter opinionẽ omnium magnã gloriam adeptus est. Nam cùm antè per triũphum Pompeii Strabonis cum reliquis captiuis ductus fuisset, de

Cæsar aduersus Lepidum.

Parthis ipſe poſtea triumphauit. Tunc Antonius Soſium præfecit Syriæ & Ciliciæ: à quo cùm alia multa præclarè geſta, tum verò ab eo Hieroſolyma expugnata ſunt, ac primum quidē capti ſunt ii, qui templum eius vrbis defendebant: poſt deinde reliqui omnes ipſo die Saturni: tantáque fuit eorū religio, vt cùm antè vnà cum templo capti eſſent, à Soſio contenderint, vt liceret ſibi, poſtquam idem dies rediiſſet, de more ſacrificare. Antonius Herode rege apud eos conſtituto, Antigonum, qui per id tempus in iis regnum obtinebat, cruci alligatum fuſtibus cædi iuſſit: quod nulli regi antea acciderat à populo Romano. Poſt hæc in Parthos exercitum duxit, cúmque ad Phraata veniſſet, cœpit eam vrbem obſidere: quo tempore tamen nihil magnum gerebat, ſed à Barbaris, qui extra vrbem erant, multis magníſque incommodis afficiebatur. In hac obſidione vrbis Phraates clam ad Antonium quoſdam ire iuſſit, qui ei perſuaderent, vt ad ſe legatos mitteret: ita facilè fieri poſſe, vt, quæ petębat, obtineret. Deinde legatis miſſis ab Antonio, ſedens in ſella aurea, reſpondit, eóſque multis conuiciis conſectatus, ac neruo arcus quem habebat in manibus, ſæpe pulſato, promiſit, ſi mox inde caſtra moueret Antonius, ſe pacem eſſe cum eo cōfirmaturum. Erat Phraates omnium hominū ſceleratiſſimus, qui Orode patre, ac fratribus ſuis interfectis, regnum Parthorum occupauerat. Antonius cùm hæc à legatis accepiſſet, metuens Phraatem quia ſe iactauerat inſolentius, inde caſtra mouit: deinde paulò pòſt exercitum in maximum periculum adduxit: ex quo tamē contra opinionem euaſit. Nam milites eius labores militiæ vehementer pertulerunt: cúmque in inſidias incurriſſent, cœperūt coniunctis ſcutis teſtudinem repentè facere, flexíſque genibus cōniti. Barbari rati eos defeſſos eſſe ex vulneribus, abiectis arcubus, ex equis deſcendūt, diſtrictíſque gladiis proximè accedūt, ſcilicet omnes interfecturi. Romani inſurgunt ſubitò, & ſigno dato cunctas phalanges explicant: inde irruentes videlicet inermes armati, imparatos parati, ſagittarios leuis armaturæ milites, barbaros Romani confertos trucidant. Teſtudo autem in hunc modum fit: Impedimenta & milites leuis armaturæ cum equitibus medium locum tenent, ii qui ſunt grauis armaturæ, quíque vtuntur ſcutis longiſſimis, ad alas inſtruuntur, & reliquos inſtar laterculi circundant: cæteri, quorū ſcuta ampla ſunt, conferti in medio agmine conſiſtunt, atque ſcuta ſua non ſupra ſe ſolùm, ſed etiam ſupra cæteros extollunt, ita vt nihil præter ſcuta videatur, quæ cùm dēſa ſint, omnes defendunt à telis cu-

Caius Soſius.

Hieroſolyma capta.

Herodes rex Iudæorum.

Teſtudinis forma.

iuſuis generis, tantúmque roboris habent, vt ſupra eam teſtudinem non modò homines ire, ſed etiam equos agere poſſint, & vehicula, quoties fuerint in concauo & anguſto loco, cui rei propterea teſtudo nomen eſt, quòd fortiſſima ſit, atque tectiſſima. Ea duas ob cauſas vtuntur: vna eſt cùm propugnacula quædam adoriri volunt, ſic enim plerunque nonnullos extollunt, vt eos ſupra muros collocent: altera cauſa eſt, quòd ita intercluſi ſagittariis ſimul omnes reſiſtunt. Nam equos genua flectere, ſéque inclinare docent. Ita hoſtibus opinionem præbent laſſitudinis, quibus ob eam cauſam irruentibus ſubitò inſurgunt, eíſque terrorem iniiciunt. teſtudo enim fieri ad hunc modum ſolet. Antonius regem Armeniorum dolo cepit, quòd ſibi in bello contra Parthos ſubſidio non veniſſet: quem cùm vinctū primò cathenis argenteis ſecum adduxiſſet, pòſt aureis conſtrictum ad Cleopatrā duxit: cum qua deinceps relictis armis ſeſe dedidit voluptatibus, atque filios eius reges regum appellauit. Nec ſolùm inter eos partitus eſt Armeniā, & quas habebat prouincias, ſed etiam Indiam & Parthiam. Interea Cæſar milites exercebat, dum Pannonios & Dalmatas in ſuam ditionem & poteſtatem redigeret. In quibus præliis & laboribus nōnunquā etiam vulneribus acceptis periclitabatur. Per id tempus Agrippa Romæ aquam, quæ defecerat, vitio aquæductuū, ſumptu ſuo reſtituit, atque in complures partes vrbis deduxit: præterea refecit ædificia publica, viáſque omnes ſine vllo ſumptu publico. Cloacas verò ita purgauit, vt per eas in Tiberim nauigaretur. Cúmque in circo errare homines animaduerteret, in numero circuituum, quos Græci δελφίνους vocāt, delphinos & ouata opera fieri iuſſit, vt ex iis circuitus curriculorum oſtenderentur. Ad hæc oleum ſalémque omnibus dedit ciuibus: balneáque gratis per annum viris mulieribuſque conceſſit, in quibus lauarentur. Conduxit etiam tonſores in mercatu, vt nemo quicquam impenderet de ſuo. Præterea Miſſilia de loco ſuperiore in theatrū iecit, in quibus argentum erat, aliáque res permultæ. Res quoque vænales multas in medio poſitas populo ad diripiendum dedit. Aſtrologos & magos omnes ex vrbe expulit. Hæc omnia Agrippa, cùm eſſet ædilis, fecit. Cæterum rege Medorum à Parthis deuicto, Armenia Mediáque in poteſtatem Parthorū venit. Quibus rebus geſtis Antonius & Cæſar hoſtes eſſe paulò pòſt cœperunt, atque alter alterum multis modis criminari. Cæſar obiiciebat Antonio, quòd Cleopatræ daret ea quæ eſſent populi Romani: quaſi præſtigiis quibuſdam factum eſſet, vt ei

Agrippa.

Delphini.

Miſſilia.

Cæſar & Antonius hoſtes.

vt ei veluti mancipium ſeruiret, cuius rei cauſa non planè Antonio, ſed Cleopatræ bellum indixit. Antonius Cæſarem accuſabat, quòd ab eo iniuriã accepiſſet, à quo Antonii adhuc ſuperſtitis tabulas teſtamẽti apertas eſſe & publicatas ferebatur. Fuerunt & aliæ cauſæ: nã cùm ſtatuiſſent longo tempore antè bellũ inter ſe gerere, cauſæ eis non defuerunt. Huius belli apparatus omnes vicit ſuperiores: nam vtrique auxilio fuerant quàm plurimæ nationes & gentes. Cum Cæſare erant Gallia, Hiſpania, Illyria, atque Lybes, qui antea fuerant in ditione populi Romanĩ, exceptis his, qui circum Cyrenem incolebant: itémque ii, apud quos Bogud & Bocchus regnũ obtinuerant. Sardinia quoque & Sicilia, aliæque inſulæ proximæ ſupradictis regionibus opem ei ferebant. Antonius ſecum habebat Aſiaticos eos qui parebant populo Romano: item Thraciam, Græciam, Macedoniam, AEgyptios, Cyrenæos, cũ finitimis nationibus & inſulis: præterea omnes ferè reges & principes, aut eorũ legatos, qui vicini erãt prouinciis populi Romani, quas Antonius tenebat. Idẽ Antonius, antequã bellũ gereretur, iurauit militibus, ſe parta victoria in duobus menſibus proximis imperiũ depoſiturũ, traditurúmque omnem poteſtatẽ ſenatui populoq; Romano, víxque ei perſuaſum eſt, vt id ſexto mẽſe faceret, quò facilius res in meliore ſtatu collocarẽtur. Ante id bellũ hæc portẽta viſa ſunt: Bubo primùm volauit ad tẽplum Concordiæ, deinde ad reliqua, in quibus etiã cõſidebat, niſi Dion ridiculus eſt, qui dicat volatibus bubonũ, & ſimiarũ introitibus in tẽpla, & ſi qua ſunt eius generis, bella & calamitates tam magnas declarari, aut etiã eruptione AEtnæorũ igniũ finitimis ciuitatib⁹ vaſtatis. Porrò quòd draco biceps viſus ſit in Hetruria, longus pedes lxxxv, ſítque, cùm multa vaſtaſſet, fulmine percuſſus: ſi verũ eſt, mirabile profectò eſt. Romæ autẽ pueri ſpõte ſua in duas partes diuiſi, ac partim Antoniani, partim Cæſariani nũcupati, cùm biduũ certauiſſent inter ſe, Antoniani victi ſunt. Quæ res caſum Antonii futurũ præmonſtrauit. Eidẽ quoque ſua ſtatua interitũ portẽdit, quæ in Albano collocata, cùm lapidea eſſet, multũ ſanguinem miſit. Pugnatũ eſt apud Actium, vbi nũc eſt Nicopolis. Antonio amici maximè offenſi erant, quòd in eo bello ſociã ſibi adiunxiſſet Cleopatram, propter quã victus eſt prælio nauali, quod in hunc modum factum eſt. Naues Antonii erant nauibus hoſtiũ longè maiores, in quibus triremes paucæ, quinqueremes & deciremes cõplures, reliquæ erãt inter has mediæ: in his altiſſimas turres ædificari, atq; magnũ numerũ hominũ imponi in turrib⁹

Draco biceps.

iuſſerat: ex quo efficiebatur, vt pugna diſſimilis eſſet. nam Cæſariani, quòd minores & celeriores naues haberent, impetum in hoſtes faciebant, à quibus, ne ſauciarentur, cauebant diligenter. Aut enim ſubmergebant naues eorum, aut ſi id non facerẽt, recedebant, antequam ad manus venirent, rurſúmque irruebãt in eoſdẽ ſubitò, aut iis relictis, alios aggrediebãtur, quibus celeriter confectis, alios atque alios petebant, vt quàm maximè poſſent, offenderent imparatos. nam quòd vires hoſtium, quódq; pugnare cum iis timerent, vbi eos aggreſſi erant, non expectabant diutius: ſed vbi de improuiſo irruiſſent, ne tẽpus darent ſagittariis contra ſe iaculandi, procul à telis fugiebant, vulneratis aut perturbatis hoſtibus, ne ab iiſdem poſtea caperentur. Antoniani Cæſarianos ad hunc modum celeriter contra ſe nauigantes percutiebant, crebris lapidibus, telíſque in eos coniectis: quòd ſi acceſſiſſent propius, manus ferreas iniiciebant: quæ ſi opportunè cecidiſſent, ipſi ſuperiores erant: ſin minus, ſubmergebantur, ſuis nauibus impetu hoſtium fractis: quem ſi conabantur refugere, in alia pericula incidebant. nam duæ tréſue naues cõtra vnam magno curſu ferebantur. Aliæ earum præſtabãt quod poterant: aliæ affligebantur. Igitur erant ex Cæſarianis gubernatores potiſſimũ & remiges labore defeſſi: ex Antonianis milites. atque Cæſariani, quòd celeriter impellerẽt nauigia, ac ſubitò in contrarias partes agerent, comparabãtur cum equitibus, qui equos concitant & reflectunt. Antoniani armatis hominibus ſimiles erant, ex quo victores eſſe videbantur & victi. Nam illi ad naues horum proximè accedentes remos frangebant: hi de ſuperiore loco ſubmergebant illos lapidibus, & aliis machinis. Sed cùm diu pariter eſſet pugnatum, accidit vt Cleopatra, quæ poſt tergum pugnantium erat iactabatúrque fluctibus, nõ potuerit exitum belli ancipitem atque incertum expectare, ſed muliebri & AEgyptio animo propter dubium certamẽ ſuſpenſa metu & ſolicita expectatione in fugam ſe contulit, ſuíſque ſignum dedit: quos Antonius, poſtquam ſubitò vela feciſſe, ac tũ fortè ſecundiſſimo vẽto in alto nauigare intellexit, eos ſubſecutus eſt. Qua re cognita, cùm cæteri milites animos demitterent, & vehementer conturbarentur, Cæſar ſuperior fuit, eo prælio nauali ad quartum nonas Septembris confecto: quem diẽ, etſi mihi mos non eſt ita faciendi, tamen propterea notaui, quòd eo die penes vnum Cæſarem ſumma rerũ fuit, vt ex eo anni principatus eius numerentur. Cæſar vrbem ædificauit in eo loco, in quo ſibi victoriam pepererat, eámque Nicopolim appellauit:

Manus ferreæ.

Quo die Antonius victus.

præterea eum locũ, in quo caſtra habuerat, ornauit lapide quadrato, & roſtris nauium quas ceperat ab hoſtibus: poſtremò Apollini templum ſine tecto fieri iuſſit. Agrippa in eo bello Cæſari magno vſui fuit: nam & Antonii quaſdam vrbes euertit, in quibus habebat bellicos apparatus, & eius aduerſarios crebrò vicit. Quas ob res ei atque Mecœnati tantam poteſtatem detulit Cæſar in rebus omnibus, vt literas quaſcunque ad Senatum, vel ad alios mitteret, ipſi prius legere poſſent, & ex eis quæ vellẽt immutare: cuius rei cauſa annulum ab eo acceperant, quò literas obſignarent. nam duo ſigna fieri iuſſerat, quibus eo tempore multum vtebatur, quorum in vtroque primò ſphinx erat pariter impreſſa: ſed poſtea in eis ſuam imaginẽ imprimi voluit: quibus ſignis omnia deinceps obſignauit, iiſque reliqui poſt eũ imperatores præter Galbam vſi ſunt. Nam is ſigillo accepto à maioribus ſuis vſus fuiſſe dicitur, quod habebat canem ex prora nauis caput inclinantem.

Mecœnas.

Duplex ſigillũ.

Sphinx.

Monarchia Auguſti CAESARIS.

Acto prælio nauali, Antonius qui fugerat in AEgyptum cũ Cleopatra, vbi poſt aduẽtum Cæſaris ab amicis ſociiſq; relictus eſt, mortẽ ſibi conſciuit, atque in ſinu Cleopatræ obiit. Cæſar iam ceperat Alexandriam, & Cleopatram ſolutam à vinculis in cuſtodia palatii retinebat. ea ſupplicabat Cæſari, vt ad ſe veniret, cupere ſe pauca cum eo colloqui. Deinde poſtquam Cæſar promiſit ſe venturum, negligenter ornata in luctu & ſqualore erat: ſed ita, vt valde venuſta eſſe videretur: ſedebátque in lecto, ſtatuis Iulii Cæſaris patris eius multis variiſque iuxta ſe collocatis: continebat etiã in ſinu literas omnes, quas ad ſe olim Iulius miſerat. Itaque poſtquam Cæſar venit, exiliens ſubito rubore perfuſa, Domine (inquit) nam id nomen tibi datum à diis immortalibus, mihi ademptum eſt: vides patrem tuũ quẽadmodum ſæpe ad me venit: intelligis, quos honores mihi tribuit, & quomodo mihi regnum AEgyptiorum dedit. vt igitur (inquit) eum audias de me aliquid dicentem, accipe has literas,

In Cleopatræ ſinu ſe Antonius interfecit.

& lege, quas ad me ſua manu ſcripſit. Hæc cùm diceret, oculos cõiiciebat in Cæſarẽ, & lamentabatur ſuauiter, vtebatur molli & delicato ſermone: interdum dicebat, Quid mihi iſtæ tuæ literæ proſunt Cæſar: mox addebat, Sed tu quidẽ mihi es in hoc ſuperſtes: ac rurſum, Vtinã (inquit) habuiſſem te ſuperſtitẽ: mox cõtrà, Sed hũc cùm habeo, te certè habeo. Cæſar licet eã intelligeret, tamẽ diſſimulabat: tandem verò oculis ad terrã ſpectantibus reſpõdit, Fac (inquit) bono animo ſis ò mulier: nam tibi quidẽ certè nihil accidet mali. Cupiebat eã Cæſar Romã adducere, vt nobilem Cleopatrã, & omnium ſermone celebratã per triumphũ duceret. idcirco eam benè ſperare iubebat, & curã eius habebat maximã, neque eã priuabat ſuo famulatu. Quã rem Cleopatra (quippe ſtolida nõ erat, ſed ſtrenua mulier & intelligẽs) cùm eſſet facilè ſuſpicata, pulcherrimã veſtẽ induit, ornatáq; elegãtiſſimè, ac in lectulo recũbens mortua eſt, aſpide ad ſe in vrnula portata, vel vt quidã putant, brachio cõpuncto acu, qua ſolebat capillos ſuos criſpos facere: quæ quòd venenata eſſet, interitũ ei perceleremattulit. Cæſar cognita morte Cleopatræ, grauiter & moleſtè tulit, voluítq; corpus eius videre, præterea medicamenta parari, & pſyllos adhiberi iuſſit, ſi fortè poſſet vllo pacto vitã ei reſtituere. Hi pſylli omnes maſculi ſunt: mulier enim pſylla eſſe non poteſt. Eorũ ea vis eſt & poteſtas, vt queant ſubitò venenũ ſerpentiũ cuiuſuis generis fugere, priuſquam homo interierit, nec eorum morſu vulnerantur aut læduntur. Solent ex aliis pſyllis naſci, atque infantes ſuos in hunc modum experiri, vt vel eos, vbi primùm nati ſunt, coniiciant inter ſerpentes, vel faſcias eorum: quæ res nihil nocet infantibus, à quorum etiam veſtibus ſerpentes conſopiuntur. Itaq; pſylli huiuſcemodi ſunt. Sed cùm Cæſar nullo pacto poſſet efficere, vt Cleopatra reuiuiſceret, eam eſt admiratus, atque eius miſericordia permotus, magnam animo moleſtiam cepit, quòd totius victoriæ laude & gloria priuatus eſſe videretur. Igitur Antonius & Cleopatra hunc finem habuerunt. Cæſar autem Alexandrinis pepercit propter Alexandrum conditorem eius vrbis, & propter Arrium philoſophum, cuius opera vtebatur in ſtudio Philoſophiæ, ſed re vera id fecit, ne graue damnum inferret tantæ hominum multitudini, quæ antea ſæpe ſeruierat vtilitatibus & commodis populi Romani. Deinde voluit corpus Alexãdri videre, vidítque & contrectauit, ita vt ferant naſum illius ab eo paululum fractũ eſſe. Sed cùm Alexandrini in primis cuperent ei corpora Ptolemæorũ oſtendere, ea non aſpexit: Cupiui enim

Mors Cleopatræ.

Pſylli.

Cæſar corpus Alexãdri uidit.

(inquit) regẽ, non mortuos videre. Qua de cauſa Apim quoque adire noluit, quòd ſe deos adorare non boues diceret cõſueuiſſe. AEgyptũ verò tributariam fecit, eíque præfecit Cornelium Gallum: nam eam ſenatori concedere nõ ſolùm non eſt auſus, ſed neque ſenatorem quenquã in AEgypto paſſus eſt cõmorari, niſi ſicui hoc ipſe nominatim permiſiſſet. Pecunia verò in AEgypto cõflata, partim ad milites peruenit, partim ea imperium Romanorũ locupletatum eſt, & tẽpla eorum ornata. Itaque AEgyptus ſubacta eſt, quod futurũ eſſe Dii antè manifeſtè oſtẽderant. Nã in ea loca imber non ſolùm aquæ, ſed etiam ſanguinis effluxit, in quæ ne ros quidẽ antea ceciderat. Præterea draco miræ magnitudinis, vt primùm ab AEgyptiis viſus eſt, ſtatim mirũ in modũ ſibilauit. Stellæ quoque viſæ ſunt, quas Græci Cometas vocant. Apparuerunt etiam imagines hominũ mortuorum, & ſimulacra deorum mœſta fuerunt. poſtremò ipſe Apis mugitus ingẽtes & miſerabiles ædidit, ac vim lachrymarũ profudit. Poſt hæc Cæſar Romã venit, de quo multa ampliſſima & ornatiſſima decreta à ſenatu facta ſunt, quæ cõmemorare non eſt neceſſe. Sed ante omnia glorioſè triumphauit, & ornamenta Cleopatræ in templo poſuit. Itaque Cleopatra licet bello victa & capta fuerit, tamen omniũ ſermone celebrata eſt: nam ea in tẽplo Veneris aurea conſpicitur. Cæſar ob res fœliciter adminiſtratas cõplures dies feſtos egit: in quibus equus fluuiatilis, & Rinoceros tũc primùm introducti ſũt in theatrũ. Eſt autẽ Rinoceros ſimilis elephãto, cornu iuxta naſum habẽs, qua de re hoc nomine appellatus eſt. Per id tẽpus M. Craſſus per Græciã & Macedoniã in Iſtrũ miſſus eſt, vbi crebris præliis Myſos & Baſternas deuicit, Eldonémq; regem eorũ ipſemet occidit. Deinde Thraces ſubegit, ac Getas magnis affecit incommodis: cuius rei cauſa Cæſari decernebantur honores ampliſſimi. Itaq; populus Romanus cùm fuiſſet vel in ditione regũ, vel in authoritate reipublicæ ac magiſtratuũ ſeptingentos quinque & viginti annos, rurſum cœpit in regiã poteſtatẽ venire. Quãquã Cæſar in deliberationẽ venit, & conſultationẽ de armis deponẽdis, ac rebus omnibus ſenatui populóque Romano permittendis, eámque deliberationẽ habuit cum Agrippa & Mecœnate, cum quibus cõmunicabat omnia arcana cõſilia. Ex his Agrippa conſulebat iuſtius, vt imperium deponeret, rémque publicã reſtitueret. Mecœnas maiorem rationẽ habebat vtilitatis: aiebat enim regnũ iuſtũ & legitimè cõparatum imprimis conducere rerũ magnitudini. Cæſar Mecœnati aſſenſus eſt, magiſque regnũ confirmauit, ſum-

AEgyptus tributaria.
Cornelius Gallus.
Prodigia.
Apis.
Rinoceros.
Cæſar deliberauit de imperio deponẽdo.
Mecœnatis ſententia.

pſitque nomẽ imperatorium, non illud quidem vetus, quo parta victoria olim imperatores appellabãtur: ſed hoc, quo ſignificatur ſummum orbis terrarum imperium, quod & Cæſari patri eius, filiiſque, & deinceps nepotibus decretũ fuit. Poſt hæc Cẽſor factus cum Agrippa, ſenatum meliorem effecit: non quòd Senatorem quenquam mouerit ſenatu, ſed quòd eos cohortatus ſit, vt qui ſibi conſcii eſſent ſui generis, aut antè actæ vitæ, de ſe ipſi iudicium facerent: præterea cauit, ne ſenatores ex Italia, niſi iuſſu aut permiſſu ſuo proficiſcerentur: id quod etiam obtinet vſque ad hæc tempora. Non enim ius eſt ſenatoribus proficiſci, niſi in Siciliam, aut in prouinciam Narbonenſem. Poſſunt autẽ in has prouincias abire non habita licentia, propterea quòd proximæ ſunt, & quòd eas incolunt homines inermes. Agrippæ Cæſar ſororem ſuam in matrimonium dedit, & quoties vnà in caſtris erant, ei concedebat, vti ſimili tentorio vteretur: quinetiam ab vtroque ſigna militibus dabantur. Igitur confectis bellis ciuilibus accidit vt populus Romanus à Cæſare bene & ratione regeretur, eúmq; deinceps ſapientiſſimi quique nõ modò non oderant vt regem, ſed etiam charum habebant, vt optimum & præſtantiſſimum virum. Vrbem enim afficiebat beneficiis quàm plurimis, quod partes eius ruinoſas reficeret atque reſtitueret, quódque daret operam, vt eſſet optimus ſtatus ciuitatis. Præterea priuatim homines beneficiis ſibi deuinciebat, ob eámque rem erat chariſſimus. Quibus rebus confiſus & ornatus, conuocato ſenatu, cœpit agere de regno deponendo, ac republica reſtituenda: tamen ei contra voluntatem accidit: niſi id ei magis ex animi ſententia dicamus euenisſe, quòd ficta hæc fuerit & ſimulata poſtulatio. Nam qui per vim & iniuriam regnũ occupauerunt, cupiunt id videri ſibi de voluntate ciuiũ eſſe delatum, ob eámque cauſam ad hanc delinitionem & ſimulationem procedunt. Dum hæc Cæſar petit, conclamant omnes partim doloſo & malitioſo conſilio, partim timore adducti, qui eã rem ſuſpectam haberent: nonnulli etiam ex animo, qui paulo erant prudentiores, principe deinceps opus eſſe, & quæ eò ſpectabant, congerebant omnia, quouſque eum imperare coegerunt. Nam iam quibuſdam odio erat populi principatus, quòd ſæpe ſeditionem faceret: tum eis Cæſar placebat, & reipublicæ commutatio. Itaque iuſſerunt ſtipatoribus Cæſaris duplex ſtipendium dari eius, quod cæteri milites merebãtur, vt ſe firmiore præſidio defenderet. Quocirca imperium eius hoc modo à ſenatu populóque confirmatum eſt. Sed cùm vellet popularis

Cæſar Cenſor cũ Agrippa.

Cæſar tẽtauit regnũ deponere.

videri, curam eorum quæ publica erant, administrationémque
suscepit, quòd res ita postulare videbatur, tamen negauit se o-
mnibus nationibus & gentibus imperare velle, eásque quibus
imperabat, se in potestate diutius habiturum. Igitur quarum gẽ- *Quasdam sibi*
tium vires debiles erãt & imbecilles, eas in senatus reliquit po- *prouincias re-*
testate, quòd eas diceret posse nullis armis summo in otio tene- *tinuit.*
ri, ac proinde senatum ex imperio fructus maximos atque iu-
cundissimos esse capturum: potentissimas quasque gentes ipse
tenere statuit, vt quàm plurimos labores susciperet, adirétque
pericula propter otium senatus. Verè autem id fecit, vt illi iner-
mes & imbecilles essent, atq; vt ipse armatus secum milites ha-
beret. Quanquam promisit post decem annos se non modò re-
gnum, sed eas quoque prouincias, quas antea sortitus fuerat, re-
licturum, concessurúmque senatui, tamen id non fecit, sed lapso
eo tempore, alterum decennium, eóque transacto, rursum a-
liud ei decretum est. Itaque sæpe prorogato sibi decẽnio, regnũ,
quandiu vixit, obtinuit: ex quo deinceps factum est, vt Impera-
tores omnes licet in imperio præfinitum tempus non habeant,
sed in perpetuum facti sint: tamẽ decimo quoque anno diem fe-
stum celebrent, & sibi prorogent imperium. Post hæc complu-
ra decreta de Cæsare facta sunt. Decretum est enim, vt ante pa-
latia sua haberet lauros propositas, ex quibus penderet corona
quæ facta esset ex quercu, quasi ipse hostes perpetuò vinceret, &
ciues conseruaret. Porrò regiæ Palatiã appellantur, non quòd *Palatia.*
sint ita casu & fortuitò nominatæ, sed quòd Cæsar habitabat in
palatio, atque ibi suos milites habebat. Domus enim Romuli
Palatium dicebatur à loco, in quo esset ædificata. Quamobrem
licet alibi habitet Imperator, tamen domus vbi habitat, pala-
tii nomen habet. Ad hæc Cæsar Augustus à senatu populóque
Romano cognominatus est. nam etsi Cæsar valde cupiebat Ro- *Romulus.*
mulus appellari, tamen sensit ob eam rem suspicionem esse ab
se regnum affectari: non igitur amplius id nomẽ vsurpauit, sed
Augustus dictus est, quasi hominum naturam excederet. nam *Augusti appel-*
ea quæ sacrosancta & in maximo honore sunt, augusta esse di- *latio.*
cuntur. quamobrem Græci eum σεβαστὸν nominabant, scilicet cul-
tu & honore dignissimum. Cuius nominis appellatio quem-
admodum Imperatoris, ad cæteros qui eum subsequuti sunt,
pertinuit propter summum & amplissimum eorum imperium,
nec sunt reges aut dictatores appellati, oppressa & extincta re- *Dictator.*
publica, sed eorum facta & potestas Imperatoris verbo continẽ-
tur. Hanc autem vim habent supradicta vocabula, vt ex iis pos-

sint conscribere milites, colligere pecuniam, inferre bella, pacẽ facere, ac postremò senatoribus mortem afferre: sed quòd Censores sunt, de moribus nostris iudicium faciunt. Censent populum arbitratu suo, legunt in senatum, & senatu mouẽt: & quòd sint in omnibus sacerdotiis consecrati: pontifices faciunt, & sacris præsunt. Tribunitia verò potestas eos facit inuiolabiles: nã si quis eis maledicere, aut vim afferre visus fuerit, indemnatus vt sacrilegus occiditur. Igitur imperatores his nominibus fulciuntur, vt omnia habere videantur concessu populi. Id verò sibi vsurpauerunt, quod antea ciuium Romanorum datũ est nemini, vt soluti legibus esse dicantur, hoc est, omni legis necessitate liberati, nec iis quæ scripta sunt, subiecti. Itaque dempta nominis acerbitate, regiam obtinent potestatem. Nã Cæsaris aut Augusti appellatio nullam eis potentiã tribuit, sed altero familia significatur, altero splendor dignitatis. Patris verò cognomẽ fortasse eam eis potestatem in nos omnes dat, quam olim patres in liberos habuerunt, neque tamen propter imperium, sed reuerentiæ & honoris causa ita nominati sunt, vt quos in potestate habent, perinde vt filios diligant, & hi eos vt patres reuereãtur. Igitur respublica in meliorem statum ac magis salutarem cõmutata est. Nam omnino fieri non poterat, vt ii quorum apud populum erat imperium, salui essent. Cæterũ ea quæ deinceps gesta sunt, non possunt eodem modo cum iis quæ præcesserũt, narrari, quòd antè ad Senatum & ad populum omnia referebãtur, licet procul accidissent. Ex quo fiebat, vt ea non solùm nota essent omnibus, sed etiã à multis scriberentur, tum etiam ex annalium monumentis veritas conquirebatur. Pòst verò magna pars rerum occultè geri & administrari cœpit. Quòd si qua diuulgata sint, idcirco fidẽ non habent, quia probari non possunt. nam omnia dici fieríue putantur in gratiam imperatorum, aut eorum hominum, qui plurimũ apud Imperatores possunt. Itaque multa, quæ nunquam acciderunt, omnium sermone celebrantur, multa quoque silentio prætereuntur, quæ acciderunt: cætera ferè narrantur aliter quàm facta sunt. Nam magnitudo imperii efficit, & multitudo rerum gestarũ, vt nequeant omnia accuratè perscribi. Si quidem in vrbe multa quotidie penè fiunt, & in prouinciis, quæ subiectæ sunt imperio, vt ea nemo certò sciat, præter eos, à quibus geruntur, plurimi ne audierunt quidem gesta esse. Quamobrẽ ea quæ restant prosequar, quomodocunque se habeant, sed ita vti ea putabo accidisse. Si quid præterea quæ vulgò circunferuntur ex iis quæ legi, audiui, aut vidi, nonnun-

Tribunitia potestas.

Imperatores soluti legibus.

Patris appellatio.

Difficile est historiam Imperatorum scribere.

nonnunquam possim coniicere. Postquã igitur Cæsar, vt paulò antè dixi, Augustus cognominatus est, ei subitò de nocte prodigium non paruum extitit. Tiberis enim in æquis & planis locis vrbis ita stagnauit, vt in iis nauigaretur: qua ex re vates Cæsarem maiorem in modum auctum iri prædixerunt, vrbémque omnino in eius futuram potestate. Itaque Augustus ea quæ pertinebant ad imperium, alacrius faciebat & diligentius, quasi id sibi omnium consensu datum esset. Multas leges condebat, non suo consilio, sed eas ad populum ferebat, atque omnibus iis qui possent, emendandi faciebat potestatem. præterea consultabat de multis rebus cum consulibus & optimatibus: nam & sorte quindecim senatores adhibebat in consilium in sex menses, cum quibus nonnunquam ius reddebat. Quinetiam senatus per se iudicabat, vt antea, dabátque responsa legatis quorundam regum & populorum: populus quoque ad magistratus eligendos congregabatur, etsi nihil fiebat contra Cæsaris voluntatem. Nam partim proponebat eos qui essent magistratus futuri, partim id more maiorum relinquebat in populi & plebis voluntate: sed tamen prouidebat, ne necessitudinis causa, aut largitione facta, precibúsue designarentur. Cúmque cuncta initio administrauerit in hunc modum, mihi de singulis dicendum est: id enim necesse esse nũc potissimum arbitror, quòd res valde sunt à nostra memoria remotæ, quod ego non dico Dionis nomine, qui fuit Imperatorum Alexandri & Seueri temporibus, sed vt Ioannes Xiphilinus Ioannis patriarchæ nepos, qui tempore Michaëlis Imperatoris filii Ducæ ex multis libris Dionis hanc Epitomen composui. Igitur cùm Augustus rebus bene administratis, & latis legibus magnam gloriam consequeretur, Cornelius Gallus cui fuerat AEgyptus cõmissa, propter magnitudinẽ honoris cœpit omnibus modis iniuriam facere. nam & vana quædam cõuitia iactauit in Augustũ, & suas statuas in omnibus ferè partibus AEgypti collocauit, iussítq; res ab se gestas in pyramidibus inscribi. Is à Largo amico suo accusatus magno dedecore affectus est, & suis facultatibus priuatus, quæ cùm decreto senatus ad Cæsarẽ peruenissent, mortem sibi cõsciuit. Quo facto multi in partes Largi transierunt, quòd ipsum augeri videbãt: in quibus tamen non fuerunt optimates. Nam Proculus, cùm primùm ei factus esset obuiam, cœpit nares suas & os manu occludere, atque ita significare iis qui aderãt præsentes, tutum nõ esse coram eo respirare. Præterea alius quispiam ad eum accessit cum testibus, tametsi erat in-

Senatus iudicabat.

Dion & Ioannes Xiphilinus. * 1071-8.

Historia Romana Dionis amplissima & plurima uoluminacõtinens.

Cornelius Gallus se interfecit.

Largus.

cognitus, eúmque interrogauit, an ſe cognoſceret: & cùm ille negaſſet, iuſſit id reſponſum in libello ſcribi, quaſi non liceret homini quantumuis improbo calumniari eum, quem antea nunquam vidiſſet. Auguſtus Aſtures vicit, & Cantabros gentes Celticas, opera Terẽtii Varronis & Titi Cariſii, cepítque multa oppida earum gentium, propter quas cùm templum Iani apertũ fuiſſet, ab eo clauſum eſt, quòd omni ex parte pacem Romanis peperiſſet. Idem poſtquam domus, quæ Antonii antea fuerat, pòſt Agrippæ, Meſſalæ data deflagrauit: Meſſalæ aliam dedit, & Agrippam apud ſe habitare iuſſit. Perid tempus Publius Seruilius prætor percelebre nomen habuit, quòd trecentos vrſos, totidémque alias feras Lybicas occidiſſet in quodam mercatu. Senatus Cæſarem, à quo magno honore afficiebatur, communicato ſæpe conſilio rerum gerendarum, mutuò colebat, eúmque vt Imperatorem decreto liberauit omnibus legum vinculis, vt ea quæ vellet faceret, & ab iis quæ nollet abſtineret. Hæc cùm Romæ gererentur, alius nouus exercitus populi Romani eodem penè tempore principium & finem habuit. Cùm enim Largus præfectus AEgypti eum duxiſſet in Arabiam, quæ Felix nominata eſt, in qua Samo regnum obtinebat, principiò nemo omnium eius regionis ad bellũ proceſſit, ſed ſolitudo, ſol, & aquæ, quarum natura moleſta erat, Largo magnam cladem attulerunt, cuius magna pars exercitus interiit, non quidem vſitato morborum genere, ſed quodam alio, quod cùm caput inuaſiſſet, ipſúmque aridum relinqueret & exiccatum, ſubitò opprimebat ægrotantes: vel cùm peruagatus eſſet cæteras partes corporis, deſcendebat in crura, eáque maximè affligebat. Huic morbo remedium nõ erat, præter oleum cum vino cõmixtum, quod vel ægrotus potaret, aut eo vngeretur. cuius tamen copia non erat: propterea quod neque regio ferret, neque ipſi ſecum multum aſportarent. Itaque barbari in eos quos valde laborare intelligerent, irruptionem fecerunt, ac primùm quidem cõgreſſi inferiores erant, & quædã loca amiſerant: poſt verò, quippe morbus vexabat Romanos, non modò ſua receperunt, ſed eos quoque qui ſuperfuerant, expulerũt è ſuis finibus. Hi Romani primi, &, vt ego arbitror, ſoli longiſſimè belli gerẽdi cauſa in hanc Arabiam progreſſi ſunt: peruenerunt enim ad ea loca celebrata, quæ Epibula appellantur. Auguſtus cùm antea ſæpe in graues morbos & periculoſos incidiſſet, tum rurſus factus XI. conſul cum Calphurnio Piſone, vehementer ægrotauit, vt nullam ſpem haberet ſalutis. Itaque quaſi eſſet paulò pòſt moritu-

Publius Seruilius prætor.

Largus.

Valetudo Auguſti.

rus, omnia conſtituit, conuocatis magiſtratibus & principibus ciuitatis: & quanquam omnes ſperabant Marcellum in hac re omnibus præpoſitum iri, tamen nullum ſucceſſorẽ reliquit. ſed cùm apud eos nonnulla diſſeruiſſet de repub. libellum Piſoni conſuli dedit, in quo ſcriptæ erant copiæ & redditus ciuitatis. Annulum Agrippæ tradidit. Sed cùm ita ægrotaret, vt nequiret quicquam facere eorũ quæ ſunt in primis neceſſaria, Antonius Muſa eum frigidis quibuſdam potionibus & lauationibus curauit, ac ſeruauit incolumem. Quamobrem Cæſar magnam ei pecuniam dedit, conceſſitque ius aureorum annulorum (erat enim libertus) nec ſolùm ei, ſed etiam cæteris omnibus, qui eandem artem profiterentur, vel eſſent in poſterum profeſſuri. Sed tùm is medicus beneficio fortunæ, vel diuino, vt ego arbitror, vſus eſt. Marcellus enim cùm non multò pòſt ægrotaret, atque eodem modo à Muſa curaretur, mortuus eſt. Mirabãtur omnes cur Cæſar noluerit Marcello imperiũ relinquere (is nepos erat Marcelli eius qui cum Annibale pugnauerat) quem vt generũ & nepotem charum habebat, tantíſque afficiebat honoribus, vt cùm is eſſet ædilis, voluerit tota æſtate forum peripetaſmatis ſuprà coopertum eſſe. At in hac re nondum ingenio adoleſcentis ſatis confidere videbatur: ſed vel reddi populo libertatẽ volebat, vel Agrippam conceſſu populi imperium obtinere: quippe ſciebat eum apud omnes eſſe chariſſimum. Poſteaquã conualuit, intellexítque Marcello ob eam rem non ſatis cũ Agrippa conuenire, ſtatim Agrippam in Syriam miſit, ne fortè inter eos fieret diſſidium ac diſſenſio. Agrippa tamen Roma ſubitò profectus non peruenit in Syriam, ſed cùm conſideratius temperãtiúſque faceret omnia, illuc duces belli miſit, ipſe in Leſbo remanſit. Quod autem poſtea factum eſt à Cæſare, valde approbatum atque laudatum eſt. nam Lucium Seſtium conſulem in ſuum locum deſignauit, etſi antea Bruti partes ſemper ſuſtinuerat, copiaſque cum eo cõiunxerat, atque tum adhuc memoriam eius libẽter vſurpabat, & ſtatuas habebat, ac eum ornabat laudibus. Præterea Cæſar cùm à populo dictator crearetur, cogeretúrque parere oblatis quatuor & viginti faſcibus, veſtẽ diſcidit. quo facto rectè inuidiam & odiũ electionis declinauit, quãuis honore atque authoritate dictatores antecelleret. Cúmque Primus quidã prætor Macedoniæ bellum Odryſis intuliſſet, dicerétque in iudicio, nonnunquam ſe de ſententia Auguſti, nonnunquam de Marcelli voluntate id feciſſe. Auguſtus vltrò in ius venit, deinde à prætore interrogatus, an Primo bellum gerere

Antonius Muſa.

Marcellus moritur. (53. 30) (Supr. 13. n. 2.)

Primus.

præcepisset, negauit: cúmque Licinius Murena patronus & defensor Primi multa in Cæsarẽ, vt res postulabat, diceret, eúmq; ita rogaret, Quid igitur hîc facis, aut quis te accersiuit? tantũ respondit, se vocatum à republica venisse. Iisdem tẽporibus AEthiopes qui vltra AEgyptum incolebant, vsque ad regionẽ quæ Elephantina dicitur, progressi duce ac præsente Candace regina, omnia quæ fierent obuiam, vastabant. Quo cognito Caius Petronius præfectus AEgypti contra eos contendit: illi regredi cœperũt, séque in fugam coniicere. Petronius eos in itinere cõsecutus, atque in patriam eorum attractus, cum iis præliũ fœliciter commisit, cepítque Tenapem vrbem regiam, quam retinuit relictis in ea præsidiis. Nam cùm nollet progredi lõgius, nec posset in ea regione diutius remanere, regressus est. Interim AEthiopes præsidia à Petronio relicta adorti sunt: quamobrẽ ipse exercitum reduxit, suósque liberauit, atque AEthiopes domum compulit. Sed cùm Augustus in Siciliam profectus esset, populus in creandis consulibus seditionem fecit. nam etsi exigua erat populi potestas, tamen vbi populus dominium habebat, ciues salui esse non poterant. Hanc ob causam Augustus indignatus, quòd Romæ semper esse non posset, nec eam auderet sine præfecto relinquere, Agrippam accersiri iussit, eíque Iuliam quæ tùm vidua erat, vxorem dedit, deinde eum Romam misit. Ferunt Mecœnatem id consilium Cæsari dedisse, propterea quòd Agrippam tot tantísque honoribus auxisset. nam eum, inquit, generum tuum esse, aut interire necesse est. Postquam transiit in Græciam, Lacedæmoniis magnos honores tribuit, quòd Liuia, cùm fugeret olim cum Nerone viro suo, apud eos commorata fuerat. Athenienses verò multis incommodis affecit, atque iis AEginam ademit. Cæcenos autem, & alias ciuitates, quæ contra quosdam ciues Romanos nonnihil videbantur commisisse, in seruitutem adduxit. Phraates per id tempus metuens ne Cæsar contra se exercitum duceret, captiuos ad eum remisit, & signa militaria quæ à Crasso acceperat: qua ex re Cæsar gloria efferebatur, quòd absque labore recuperasset ea quæ alii magnis præliis amisissent: ob eam causam sacra fecit, atque sedens in equo vrbem ingressus est. Tùm laudabatur, quòd sibi nihil præterea acquirendum esse putaret, quódque statueret contentus esse rebus præsentibus. Cùm esset in Asia, regnáque & principatus partim aliis confirmasset, partim ad alios transtulisset, condemnatis quibusdam regibus, nonnullis etiam laudatis, atque in

Candace.

Petronius.

Iulia filia Augusti Agrippæ nupsit.

AEgina.

Phraates signa & captiuos reddidit.

amicitiam receptis, quàm plurimæ legationes ad eum venerunt. Nam Indi qui antea quoque legatos miſerant, tunc amicitiam confirmauerunt datis muneribus, in quibus præter cætera fuerunt tigres, quæ tum primùm à Romanis viſæ ſunt: præterea adoleſcentulus abſque humeris ei datus eſt, qui pedibus perinde ac manibus in rebus omnibus vtebatur: pedibus arcum tendebat, mittebat ſagittas, tuba canebat. id quemadmodum faceret, neſcio, tantum ſcribo quæ verſantur in ſermone omnium. Eodẽ tempore Zamarcus Indus ſophiſtes, ſiue gloriæ cupiditate permotus, ſiue ſenectute, vt eſt mos regionis, viuus ſe in ignem coniecit. Cæſari Romam redeunti Romani ſe cõparabant, vt obuiam procederent: ſed is de nocte Romam aduectus eſt, vt ſemper conſueuerat, cùm vel in vrbem introiret, vel ex vrbe proficiſceretur. ſtudebat enim clàm vtrunque diligenter facere, vt nemini moleſtus eſſet. Cùm autem vellet ſenatores pauciores eſſe, certóque & definito numero cõtineri, pleríſque moleſtiam exhibuit, tùm ei à permultis inſidiæ paratæ ſunt: quanquam ipſe coegit permultos ſibi mortem afferre: in quorũ numero fuit Murena, qui cum eo olim conſtanter & liberè ſe geſſerat: quoſdam alios condemnauit, in quibus erat filius Lepidi: Lepidũ verò patrem tractauit cõtumelioſè, quem inuitum rure iuſſit in vrbẽ venire, ac poſtea ſemper in conuentus adduxit, vt propter authoritatis & dignitatis cõmutationẽ maiorem iniuriam ſuſtineret, eſſétque ludibrio & deſpectui. neque verò iuſſit eum interfici, neque ei, cùm pontifex eſſet, pontificatum ademit, quãdiu vixit. Cùm autẽ haberetur ſermo in ſenatu, vt ſenatores Auguſtũ viciſſim cuſtodirent, Antiſtius qui repugnare non eſt auſus, ſed neque volebat acquieſcere (is erat homo nobiliſſimus) Sterto, inquit, quamobrem nequeo apud Cæſarem excubare. hunc Cæſar, etſi alia contra voluntatẽ eius fecerat, tamen non puniuit. Cùm autem de ornatu mulierũ, & virorum continentia præcepta dare conaretur, irriſus eſt, quòd domi nõ haberet de iis rebus loquendi libertatẽ: cum multis enim rem habebat, Liuiáque quam viuo marito eius duxerat, erat, vt aiunt, ſubiectus. Itaque adducto ad ſe adoleſcente, qui duxerat in vxorem eam cum qua adulterium cõmiſerat, eóque grauiter accuſato, Cæſar in dubitationem venit, quòd neque auderet id facinus contemnere, neque in adoleſcentem animaduertere, tamẽ ita reſpondit, Seditiones, inquit, nobis attulerũt multa & grauia incõmoda, quæ recordari non eſt neceſſe, quare prouideamus in poſterum, ne quid huiuſmodi committatur. Florebant per id

Indorũ legati.

Adoleſcens abſque humeris.

Zamarcus Indus.

Liuiæ obnoxius Cæſar.

Pylades. Bathillus. tempus Pylades & Bathillus ſaltatores, propter quos cùm ſæpe fieret populi concitatio, Cæſar Pylad i iratus eſt. At ille dixiſſe fertur, Id tibi quidem conducit Cæſar, populũ propter nos occupatum & diſtentum eſſe. Cæterum conſuetudine Mecœnatis propter vxorem eius non perinde delectabatur, vt antea: nã Mecœnas eam vſque adeò diligebat (ei Terentia erat nomen) vt ea aliquando ſit auſa cum Liuia de pulchritudine contendere. Sub id tempus cetus latitudine pedum x x, triplicata verò longitudine, atque in omnibus præter caput mulieri ſimillimus ex Oceano in Celticam venit. Licinius quidem Iulii Cæſaris libertus, quem Auguſtus Galliæ præfecerat, adductus barbara & immani auaritia, prædituſque Romana dignitate, Gallis plurima damna & detrimenta attulit. Tanta enim fuit eius improbitas atque peruerſitas, vt cùm ſolerent ſingulis menſibus à Gallis tributa conferri, ipſe quatuordecim menſes fecerit. Hũc cùm Galli vehementer accuſarent apud Cæſarem, ferréntque grauiter, Cæſar partim eis concedebat, partim excuſabat Licinium: quædam negabat ſe ſcire, nonnulla ſe credere diſſimulabat, cætera occultabat, pudore ſcilicet affectus, quòd eum hominem Gallis præfeciſſet. Sed Licinius capto aſtuto & callido conſilio omnes irriſit: nam vt ſenſit Auguſtum ſibi iratum & offenſum eſſe, ac de ſe ſupplicium ſumptum iri, eum in domum ſuam introduxit, eíque theſauros oſtendit, magnam vim argenti & auri, aliáque permulta cumulatè in eum locum congregata: mox inquit, Domine, hæc omnia coegi & coaceruaui tua & populi Romani cauſa, vt ne nationes huiuſmodi copioſæ & locupletes ábs te deficerent: omnia quidẽ certè tibi ſeruaui, eáque in præſens do. Itaque Licinius ſaluus euaſit, quaſi in gratiam Auguſti vires barbarorum eneruaſſet. Cæſar Tiberium & Druſum vxoris filios contra hoſtes miſit. Hi vicerũt barbaros qui iuxta Danubium, & Celtas qui prope Oceanum incolunt: poſtea Druſus admodum adoleſcens mortuus eſt. Tiberius diu vixit, accepítque imperium Auguſti: quanquam Auguſtus Caium & Luciũ (quos Iulia filia ſua ex Agrippa pepererat) imperatores fecerat & deſignauerat, quò minus ſibi inſidiæ pararentur: nec enim expectauit, dum ad virilem ætatem peruenirent, ſed ſtatim eos ſucceſſores imperii renunciauit: quoniam thoracem quem ſub veſte gerebat, etiam cùm in ſenatum veniret, putabat parũ ſibi profuturum, tametſi ciues Romani adducti beneuolentia ad eũ ineunte anno venerant, argentúmque omnes dederant, diſpari tamen numero ille quoque tantundem, aut plus eo non modò

Vxor Mecœnatis.

Cetus.

Licinius libertus Iulij Cæſaris.

Conſilium Licinij.

ſenatoribus, ſed etiam reliquis omnibus reddiderat. Tãto enim amore erat in amicos inflammatus, vt cùm Mecœnas & Apulius malè audirẽt in iudicio, quòd adulteri cuiuſdam patroni & defenſores eſſent, ipſe in ius venerit, ac cùm ſediſſet in tribunali prætoris, nihil quidem admiſerit grauius, ſed accuſatori interdixerit, ne amicis ſuis propinquíſue conuitium faceret, atque inde ſtatim ſurrexit. Cùm autem Cornelium quendam de vita vxoris accuſaret, íſque in ſenatu reſpondiſſet, ſe de voluntate & conſilio Cæſaris eam duxiſſe: ira vehementer incitatus, nihil dixit acriter, nihílque fecit acerbè, ſed ſtatim exiluit è ſenatu, ac paulò pòſt reuerſus, Malui, inquit ad amicos, hoc facere, quanuis rectum non fuerit, quàm hîc manere, coactus maleficium aliquod committere. De Ouidio verò Pollione, qui mortẽ obiit iiſdem temporibus, mentionem faciam, quãuis nihil memoria dignum fecerit: quippe libertino patre natus erat, tamen quòd maximas opes habuit, & eius eſt nobilitata crudelitas, ſolet nomen eius hiſtoriis mandari. Porrò autem moleſtũ eſſet omnia quæ ab eo dicta ſunt aut facta, commemorare: ſed in piſcinis murenas habuit, quæ carnibus humanis veſcerentur, eíſque ſeruos propoſuit, de quibus voluit ſupplicium ſumere. Itaque cùm Auguſtum conuiuam accepiſſet, pincernam qui fortè ſcyphum cryſtallinum fregerat, murenis offerri iuſſit. Auguſtus, cuius ad pedes puer ſupplex iacebat, primùm conabatur ei perſuadere, ne id faceret: ſed dum ille non obtemperat, Affer, inquit, ad me cætera pocula quæ ſunt huius generis, & reliqua omnia quæ prætioſa habes, vt ego quoque iis vti poſſim: pòſt vbi allata ſunt, confringi iuſſit. Tùm Pollio, etſi magis perturbatus ac incenſus eſt omnium quàm vnius poculi iactura, tamẽ inuitus conquieuit. Idem poſtea moriens Auguſto domũ ſuam, & eum locum cui Pauſilypus nomen eſt, quíque eſt inter Neapolim & Puteolos, reliquit. Sed hanc domum Auguſtus, vt memoria nominis eius ex vrbe deleretur, funditus euertit, atque in eo loco porticum nomine Liuiæ ædificauit. Idem cùm in compluribus aliis locis, tùm in Hiſpania & Gallia multas colonias deduxit, extruxítque templum Quirino lxxvi columnis ornatum: cúmque ita tot annos vixiſſet Cæſar, viſum eſt quibuſdã id ei non caſu & fortuitò, ſed iudicio deorum immortalium, & fato quodam euenìſſe. Druſus autem Tiberii frater miſſus cõtra Celtas qui trans Rhenum incolunt, captis rebus omnibus quæ factæ eſſent obuiam, vſque ad Albim fluuium eſt progreſſus, qui à Vandalorum finibus maximus in eum Oceanum in-

Cornelius.

Pollio.

Murenæ carnibus humanis veſcuntur.

Pauſilypus.

Porticus Liuiæ.

Templum Quirini.

Albis fluuius.

Mulier Druſum increpat.

fluit, qui ſpectat ad Septentriones: ibi quædam mulier inuſitata magnitudine fertur ei occurriſſe, atque ita dixiſſe, Quò pergis Druſe cupide & inexplebilis? non enim potes hæc omnia ex fatis videre: quamobrem recede, nam tibi iam adeſt exitus vitæ, & rerum tuarum omnium. Itaque Druſus cùm diligenter etiam atque etiam reuerteretur, tamen in itinere morbo extinctus eſt.

Mors Druſi.

Ius trium liberorum.

Tum Liuiæ ſtatuæ poſitæ ſunt conſolandi eius cauſa, eáque in numero matrum, quæ tres liberos peperiſſent, ſcripta eſt. Lex enim antea quidem ex ſenatus, nunc autem ex Imperatoris authoritate eadem iura beneficii loco tribuit quibuſdam mulieribus, quæ data ſunt iis quæ ter pepererint, vt non ſubiiciantur pœnis ſterilium, ſed eius omnia ferè præmia tribuantur, quæ mulieres fœcundiſſimæ conſequuntur, quæ nō modò ſunt hominum, ſed etiam deorum inuenta, vt accipiant ſiquid à morientibus ſibi relictum fuerit. id enim huiuſmodi eſt. Cæſar nomina ſenatorum omnium ſcripta in albo propoſuit, quod ex eo tempore quotannis fieri ſolet, iiſque qui ſine cauſa deſiiſſent in ſenatum venire, mulctam dixit: poſt verò quoniam iam ſolebant impune relinqui propter magnam multitudinem eorum qui in pœnam inciderent, iuſſit quoties multi deliquiſſent, vt inter eos ſortes ducerentur, quibus ductis, quintus quiſque pœnas perſolueret. Senatores etiam abſente Cæſare conſultabant, ſcribebatúrque eorum ſententia, quanquam ſine effectu erat, quòd rata non eſſet ſine Cæſaris authoritate, hoc eſt, niſi certa eius ac manifeſta acceſſiſſet voluntas. nam ea eſt verbi ſignificatio, quæ Græcè vno verbo exprimi non poteſt. Imprimis cupiebat popularis eſſe: itaque cùm quidam qui commilito eius fuerat, egeret ipſius patrocinio, principio quòd ſibi per otium non liceret, cuidam ex amicis præcepit, vt cauſam eius defenderet: ſed cùm cōmilito indignatus ita reſpondiſſet, Ego verò, inquit, quoties tibi neceſſaria fuit opera mea, neminem ad te miſi, ſed præſens ipſe tua cauſa pericula ſuſcepi. Tum ei Cæſar aduocatus venit: cúmque quiſpiam amicus eius reus eſſet factus, atque vnà cum eo interrogatus & examinatus fuiſſet, re prius cum patribus communicata eum ſeruauit, nec ſolùm accuſatori non eſt iratus, cuius fuerat magna in accuſando licentia, ſed etiā eum, cùm morum reus citaretur, abſoluit, dixítque propter multorum hominum nequitiam, eam libertatem loquendi neceſſariam eſſe: de iis verò ſupplicium ſumpſit, qui nuntiabantur ſibi inſidias feciſſe. Cùm autem non liceret quæſtionem habere de ſeruo contra dominum, conſtituit, quotieſcunque id vſu veniret, vt vel reipublicæ

Authoritas.

publicæ venderetur, vel sibi: atque ita, cùm non esset amplius in rei potestate, torqueretur. Quamobrẽ eum alii accusabant, quòd futurum esse dicerẽt, vt domini mutatione lex abrogaretur: alii contendebant id esse necessarium, quòd multi his de causis magistratus adipiscerentur. Post hæc imperium, quanquam iam ab se depositum esse dicebat scilicet præterito altero decennio, rursum tamen inuitus suscepit. Mensem sextilem, etsi mense Septembri natus erat, Augustum cognominauit, quòd tum primùm consul esset factus, quódque sibi in eo multas magnásque victorias peperisset, de quibus rebus omnibus maximè gloriabatur. Sed ei mors Mecœnatis magnum & acerbum dolorem commouit. nam is cùm multum cæteris in rebus prodesset Cæsari, tum verò, quoties paulò vehementius irascebatur, iram eius placabat atque leniebat: idque ex eo licet animaduertere, quòd cùm Cæsar aliquando ius diceret, adesséque Mecœnas, ac præuideret eum multos mortales condemnaturum, conatus est reiectis iis qui circunstabant, ad Cæsarem proximè accedere: sed cùm non posset, ad eum scripsit in hæc verba, Tandem aliquando surge carnifex: deinde quasi aliud scriptum esset, epistolam ei in sinum coniecit: ita Cæsar, nemine capitis condemnato, statim surrexit, tantúmque abfuit, vt ex ea re molestiam ceperit, vt læsus sit maximé. nam quoties supra modũ irascebatur, coactus vel natura sua, vel rebus necessariis, libertate ac licentia amicorum corrigebatur. Mecœnas quanuis propter vxorem indignatus esset, tamen eum hæredem reliquit. Hic primus balneum aquæ calidæ in vrbe construxit, primúsque quasdam notas literarum inuenit ad celeriter scribendum, eásque complures per Aquilam libertum docuit. Eodem tempore propter incendia facta nonnulli curatores angiportuum à plebe constituti sunt, quos Græci στενοχώρους vocant. His toga vti magistratuum, & lictores duos habere in iis angiportubus quibus præsunt, datum est. Cæsar propter Caium & Lucium, quos Agrippa ex filia eius susceperat, nõ solùm quòd petulanter viuerent, sed etiã quòd essent adeò temerarii, vt Caius nondum adolescens consulatum petierit: graui dolore affectus, precatus est, ne vnquam inciderent huiusmodi tẽpora, in quæ olim ipse inciderat, vt minor x x annis consul fieret: cúmque adhuc instaret, respondit, id imperium deferendum esse ei qui nihil peccaret, quíque posset studiis populi Romani obsistere: deinde vt eos modestiores efficeret, Tiberio tribunitiam potestatem dedit in quinquenniũ, eíque Armeniã, quæ alienata erat à populo Romano, attribuit,

Sextilis Augustus.

Mecœnas.

Mecœnas inuẽtor notarũ.

Tiberius tribunus plebis.

euenítque iis omnibus temere, vt mutuò ſibi infenſi eſſent, dum illi ſe negligi putabant, dúmque Tiberius eos metuebat iratos: qui ob eam cauſam Rhodum miſſus eſt, quaſi doctrina opus eſſet & ſtudiis literarum, eóque non modò non duxit alienos, ſed neque familiares omnes, vt celerius omnino conſpectū, factáque Lucii & Caii vitaret: vel, vt quidam dicebāt, propter Iuliam vxorem, quam ferre amplius non poterat: eam enim Romæ reliquit. Auguſtus autem cùm infinita eſſet populi multitudo, cui frumentum dabatur, eam redegit ad hominum ducēta millia, & vt à quibuſdam dictum eſt, populo viritim ſexaginta drachmas dedit, præbuítque ſpectacula, aqua in Circū Flaminium introducta, in quo ſex & triginta crocodyli interfecti ſunt. Tum primùm duos præfectos prætorianorum creauit: nā ita mihi nominādi ſunt, cùm iam hoc verbum in vſum venerit.

Iulia. Porrò laſciuia Iuliæ tanta fuit, vt in foro, atque adeò in roſtris nocturno tempore comeſſationes ageret, & compotaret. Quam Cæſar vt tandem deprehendit, grauiter iratus eſt: nam & antea ſuſpicabatur eam minus pudicè viuere, etſi pro certo nō habebat, propterea quòd ii qui principatum tenent, omnia potius, quàm ea quæ ad ſe ſpectant, intelligunt: vtque non poſſunt clā ſuos quicquam agere, ita ſuorum facta nunquam optimè percipiunt. Ob hāc cauſam Cæſar vſque adeò commotus eſt, vt domi teneri non potuerit, ſed rem omnem detulerit ad ſenatum.

Pandateria. Scriboniamater Iuliæ. Iulia in Pandateriam inſulam finitimam Campaniæ relegata eſt, eámque eſt Scribonia mater ſponte conſecuta. Ii qui cum ea rem habuerāt, Iulius Antonius, qui ſpe regni id fecerat, cum quibuſdam aliis viris illuſtribus occiſus eſt, reliqui ſunt in inſulas relegati. Sed cùm aliæ quoque mulieres permultæ accuſarentur de iiſdem ſceleribus, non omnes accuſationes admiſit, ſed tēpus præſtituit, vt de iis quæ antè facta eſſent, non quæreretur: & cùm erga filiam nulla clementia vſus eſſet, dixiſſétque ſe malle patrem Phœbes, quàm illius fuiſſe: cæteris pepercit.

Phœbe. Caius. Tiberius. Erat Phœbe liberta Iuliæ & ſocia, quæ mortem voluntariā ſibi conſciuit, & ob eam rem ab Auguſto laudata eſt. Cùm Caius ad bellum contra Armenios miſſus eſſet, Tiberius in Chiū venit, eúmque in magno honore habuit, nec ſolùm Caio humilem ſe præbuit, ſed etiam cæteris omnibus qui cum ipſo erant, ſubmiſſus fuit.

Phraates. Cùm autem Phraates rex Parthorum de pace ad Cæſarem literas miſiſſet, Cæſárque Phraati ſimpliciter ſine regis nomine reſcripſiſſet, iuſſiſſétque de Armenia decedere, Phraates non ſolùm nō eſt timore perterritus, ſed etiam ad

eum reſcripſit arroganter, ſéque regem regum, illum tantummodo Cæſarẽ appellauit. Tamẽ quòd abierit ex Armenia, Cæſar ei reconciliatus eſt: quódque intellexit Caium eſſe in Syria, cuius odio domi motũ fieri poſſe ſuſpicatus eſt. His peractis rebus, defunctíſque Lucio & Caio, factum eſt vt Tiberius Rhodo in vrbem redierit. is propter ſtellarum cognitionem erat vates exercitatiſſimus, habebátque Thraſyllum virum in aſtronomia peritiſſimum, qui ſciebat optimè quid ſibi atque illis eſſet euenturum. Nam ferunt Tiberium aliquando ſtatuiſſe Rhodi Thraſyllum è muro præcipitare, quòd is ſolus omnes cogitationes eius cognoſceret: ſed vt eum mœſtum eſſe animaduertit, rogauítque cauſam mœroris, atque is reſpondit ſe periculi cuiuſdam ſuſpicionem habere, Tiberium admiratũ, quod propoſuerat, non feciſſe. Sic enim omnia certò ſciebat, vt cùm procul vidiſſet nauem in qua nuntius vehebatur, quem de reditu in vrbem mater & Auguſtus ad Tiberiũ mittebant, ſtatim quod ille nuntiaturus erat, prædixerit. Lucii autem & Caii corpora tribuni militum cum primariis ſingularum ciuitatum Romam tulerunt: ſcuta quoque aurea & haſtæ, quas ineunte adoleſcentia acceperant ab equitibus Romanis, in curia repoſita ſunt. Auguſtus cùm eſſet aliquando dominus à populo nominatus, non ſolùm vetuit ne quis ſe appellaret eo nomine, ſed etiam id cauit diligenter. Tertio autem expleto decennio, quartum imperium inuitus ſuſcepit: quo tempore mitius atque negligentius iraſcebatur ſenatoribus propter ſenectutem, nolebátque cuiquam infenſus eſſe. Palatio incendio conſumpto cùm multi ſibi multa offerrent, nihil accepit præter aureum à ſingulis populis, & à priuatis drachmam. Aureum appello more Romano genus monetæ, quinque & viginti drachmas cõtinens: eundem Græci quidam, quorum libros propterea legimus, quòd Attici ſunt, χρυσοῦν appellant. Auguſtus reſtitutum palatium omnino publicauit, vel propter tributa quæ à populo acceperat, vel quòd pontifex erat, vt in publico ſimul & priuato habitaret. Inſtabat populus Auguſto, vt filiam ſuam reſtitueret. is reſpondit, citius ignem cum aqua commiſceri poſſe, quàm illam reſtitui. Itaque populus multum ignem in Tiberim coniecit, ſed tamen nihil egit, quanuis eum poſtea coegerit, vt ſaltẽ eam ex inſula in continentem reduceret. Cæſari multi inſidias fecerunt, atque imprimis Cneus Cornelius Pompei Magni ex filia nepos: quos cùm nollet occidere, propterea quòd morte eorum non magis ſe ſecurum eſſe intelligebat: neque liberare, ne

Rex regum.

Thraſyllus mathematicus.

Haſtæ.

Nomen Domini.

Incendium Palatij.

Aureus nummus continet drachmas viginti quinque.

Reducitur Iulia.

ob eam rem cæteros contra se incitaret, adeò in magnam dubitationem venit, vt dies noctésque curis angeretur. Itaque Liuia eum interrogare cœpit, Quid hoc rei est mi vir, quamobrem non dormis. Tum Augustus, Ecquis posset, inquit, mea vxor vacuo animo esse, cui tot perpetuò inimici sunt: an nō vides, quot homines mihi & principatui insidias parēt, quos nō modò nō deterrent damnatorum supplicia, sed contrà, tanquā spe alicuius boni proposita, cæteri ad immaturā mortē contēdunt. Liuia postquam hæc audiuit, Mirū non est, inquit, quòd tibi insidiæ parētur: partim quòd alienū non sit ab humana cōditione, partim quòd in tam magno imperio multa facias, ex quibus par est plerosq; molestiā capere. Princeps enim nō solū nō potest omnibus placere, sed etiā quantumuis rectè imperet, ei multis irasci necesse est. Neque enim tā multi homines iusti sunt, quàm ii qui volunt iniuriā facere, quorū cupiditates expleri nō possunt. Boni autē viri & virtute præditi, partim multa & ea quidē magna expetunt, quæ non possunt assequi: partim cùm sint aliis inferiores, molestè ferunt: ob eámque rē vtrique culpā in principem coniiciunt. Itaque damnū quod ab his infertur, & ab iis qui non te, sed regnū tuum inuadūt, vitari nullo modo potest. Etenim si ciuis priuatus esses, nemo tibi iniuriam faceret, nisi qui prius à te iniuriam accepisset. Regnū autē atque eius cōmoda magis expetunt ii, qui potentiam aliquam habēt, quàm qui egentiores sunt: quod etsi est improborum hominum atque amentiū, tamen vt cætera vitia, ita hoc quoque natura comparatum est, quæ ex quibusdā hominibus nulla oratione, nullo metu possis extirpare ac tollere: neque enim lex vlla, aut timor plus potest, quàm ea quæ mortalibus à natura tributa sunt, quæ omnia si tùm animū tuum induces, cōtemnes cæterorū vitia, téque maioribus præsidiis, ac imperium tuum firmabis, vt id non multorū suppliciis, sed fida & diligenti custodia teneamus. Ad hæc Augustus respondit, Scio, equidē, inquit, mea vxor, cùm omnia quæ præclara sunt, tum imprimis summum imperium inuidiā habere, nec tutū vnquam ab insidiis esse. Nā nisi curæ nostræ, timores & negotia maiora essent, quàm priuatorū omniū, profectò diis omnino æquales essem: quæ res eò mihi maiorē molestiā affert, quòd ita fieri necesse sit, nec vllū possit inueniri remediū. Tum Liuia, Quoniam, inquit, plerique omnes homines ad iniuriā procliues sunt, ab iis caueamus, habeamúsque milites permultos, quorum alii cōtra hostes parati, alii apud te sint, propter quos omnes domi & fo-

Hortatur & admonet Liuia Augustū.

Respōdet Augustus.

ris tutò esse possimus. Tum Augustus, Mihi, inquit, necesse nō est cōmemorare, quàm multi sæpenumero à suis familiaribus interfecti sint: regna verò præter cætera hāc difficultatē habent, quòd nō solùm hostes, vt cæteri faciūt, sed etiam amicos & necessarios timemus, à quibus insidiæ multo pluribus factæ sunt (quippe qui nudi & dormientes cū illis dies noctésq; versentur, ab iísque cibū paratū & potionem capiant) quàm ab alienis & externis hominibus. Possumus enim amicos & familiares nostros hostibus opponere, amicis autē possumus neminē. Itaque solitudo nobis pariter atque multitudo grauissima est, metuendúmque est, esse sine custodia, sed multo etiam magis custodes metuendi sunt. Inimici quidem certè molesti sunt, sed amici multo magis, quòd eos oporteat, quamuis non sint, amicos appellare. Quòd si quis fortè sit fidos amicos nactus, tamen eis tantam fidem non habet, vt cum iis possit sincerè absque vlla suspicione versari. Igitur cùm hoc grauissimum est, tum verò alios insidiatores punire oportere: nam bonis viris puniendi necessitas magnum dolorem affert. Tum Liuia, Tu verò, inquit, rectè: at ego tibi consilium dabo, si quidem voles capere, nec debebis propterea reiicere, quòd cùm sim mulier, id tibi consulere audeo, de quo ne amici quidem te admonebunt, non quòd id planè non intelligant, sed quòd non audeant explicare. Iam verò, inquit Augustus, dic mihi quicquid est. Tum Liuia, Dicam, inquit, non grauatè: nam & ego commodorum partem simul & incommodorum habeo, quia te saluo & incolumi sum regni particeps, atque si quid mali tibi accidat, quod dii omen auertant, tecum vnà pereo. Igitur si natura quosdam homines incitet ad peccandum, profectò eius impetus reprimi non potest. Et vt ne multorū hominum vitia persequar, ea quoque quæ bona quibusdam esse videntur, quamplurimos commouent ad iniuriam faciendā. Nam nobilitas generis, copia diuitiarū, amplitudo dignitatum, fortitudo animi, & magnitudo potentiæ in errorē homines inducunt. Non enim potest vir generosus & nobilis vilis effici, nec fortis timidus, nec qui prudens est, stultus inueniri potest. Ex quo fit, vt hominibus facultates adimere, aut diminuere hominum studia, præsertim si nihil deliquerint, nullo pacto oporteat. Cùm enim ius non sit eos vlcisci, aut cruciare, antequàm peccauerint, nos ob eam causam malè audire necesse est. Age verò mutemus sententiam, & quibusdam ignoscamus. mihi quidem videtur multo plura corrigi posse humani-

nota.

Oratio Liuiæ.

tate & beneuolentia, quàm vlla crudelitate. Etenim ii qui veniam dant, nõ solùm chari sunt iis quibus se misericordes præbuerunt, ita vt illi studeant his meritam gratiam & debitam referre, sed etiam apud cæteros omnes summo in honore sunt, & coluntur ab omnibus, ita vt iis iniuriã facere audeat nemo. Cõtrà autem homines irati atque inexorabiles non tantùm odio sunt iis à quibus timentur, sed etiam sunt reliquis omnibus permolesti, ex quo fit vt iis pleriq; parent insidias, ne prius ipsi pereant. An non vides medicos quàm rarò veniant ad vrendum & secandum, ne morbos efficiant grauiores, & vt eos mitibus medicamentis curent atque molliant. Nec verò existimare debes, inter morbos corporum & has animorum perturbationes interesse. Nam ea quæ corporibus accidunt, sæpe solent cum animis nostris, quanuis incorporales sint, cõuenire: metu enim cõtrahuntur, ira turgescunt & tument. Mœror quoque quosdam tardos efficit, alios acuit audacia, ita vt corpus & animus nõ multum inter se differant, & ob eam causam egeant consimili medicina. Lenis enim & placida oratio ferocitatem reprimit, quemadmodum aspera mansuetum hominem ferocem & infestum facit: præterea data venia immanem & ferum continet atque coërcet, non aliter atque supplicium mitem & placidum incendit. nam facta violenta quanuis iustissima sint, omnes cõcitant: mansueta verò mitigant & relaxant. Quocirca is cui ita persuasum erit, facilius tolerabit ea quæ grauissima sunt, quàm si coactus sit. Itaque corporis & animi natura quædam est necessaria, vt etiam bruta animantia & rationis expertia, quæ robustissima & ferocissima sunt, blanditiis quibusdam mansuefiant, & escis capiantur. Contrà ea quæ timidissima sunt, ac maximè imbecilla, dolore conturbantur & metu, atque in irã accenduntur. Neque verò id dico oportere generaliter iniustis & nefariis hominibus parcere: imò verò temerarios, molestos, sceleratos, iniquos, & postremò omnes quorum vita ita est omnibus vitiis & flagitiis dedita, vt sanari nequeãt, tollendos esse cẽseo, non secus quàm eas partes corporis, quibus medicina adhiberi non potest: cæteros verò qui propter adolescẽtiam, aut imprudentiam, aut ignorantiam, alioue casu volentes deliquerunt, aut inuiti, eos esse arbitror admonendos, & propositis minis cõtinendos, nonnullis quoque vtendum esse moderatè, quemadmodum in reliquis sceleribus alii aliis maiore pœna afficiuntur. Quæ cùm ita sint, tibilicet imprimis sine periculo hæc facere mediocriter, vt alios exilio, alios infamia, nonnullos pecunia

mulctes, vrbésque quibusdam, aut alia loca habitandi circũscribas. Quinetiam plerique hominum iam resipuerunt, quòd nõ essent ea quæ sperauerant & diutissimè concupierant, consecuti. Nonnulli quòd viles & abiecti ac contumelioſè essent habiti, facti sunt meliores: quanuis nobiles & fortes viri, antè quàm hæc patiantur, mortem sibi anteponendã putent. Ex quo intelligi potest eis nõ modò nõ esse leue id genus supplicii, sed multò etiam grauius atque molestius, nósque culpa vacuos tutò esse, & sine periculo victuros. Nunc autẽ multos vel cupiditate pecuniæ, vel timore virium eorũ, vel inuidia virtutis interficere videmur. Non enim facilè cuiquã persuaderi potest, insidias ab homine priuato & inermi fieri posse ei qui tantum imperium obtineat, quíque sit tam magnã potentiam consecutus. Hæc quidẽ dicuntur à quibusdã: sed alii putant nobis plerunque falsa pro veris nuntiari, nósque eis temere credere & imprudenter, aiúntque eos qui ista vident & audiunt, adductos odio, ira, nonnunquã etiam accepta pecunia ab inimicis eorum, aut ab iis ipsis de quibus loquuntur, multa confingere & cõminiſci, cõmemorantes eorum non solũ præterita & futura scelera, sed etiã quædam ab aliis dicta esse renuntiantes, tacuisse alios, posteaquã audiuisſent, risisse, ploraſſe. Equidẽ possem enumerare sexcenta eiusdẽ generis, quæ etsi verissima sunt, non tamen digna quæ à liberis hominibus inuestigentur curiosius, aut tibi referantur. Nam ea ignorata tibi nullũ damnum afferent: intellecta autẽ & cognita, te inuitum, quod minimè decet, ad iracundiã prouocabũt. Quæ cùm ita se habeãt, plerique putant à nobis multos indemnatos, multos etiã confictis falsíque sententiis dãnatos contra ius fásque interfectos esse. Non enim adhibita testimonia vt vera, non habitas quæstiones, non ea quæ sunt eiusdẽ generis, contra eos admittunt, neque approbant: quæ etsi ab illis magna ex parte nõ iure, falsóque dicuntur de iis qui supplicio affecti sunt, tamen vulgò circunferri solent. Atqui oportet Auguste te non solùm nihil facere per iniuriam, sed nec omnino facere videri. Nã priuatis quidem hominibus satis est nihil delinquere: principem verò decet ne suspectum quidẽ esse: hominibus enim imperas, nõ belluis, nec alio pacto verè potes eorum animos ad beneuolentiam allicere, atque id pariter omnibus persuadere, quàm si nemini volens inuitúsue iniuriam feceris. Etsi enim vt alterum metuat, cogi aliquis potest, tamẽ vt amet, id ei persuaderi necesse est. Cùm igitur videt in se atque in alios beneficia cõferri, facilè persuadetur: cùm verò putat quempiã non iure cæsum esse,

mox ne idem ſibi eueniat, timet, cogiturque eum qui id fecerit, penitus odiſſe. Odio autem eſſe ſubditis, præterquam quod bonum non eſt, damnum quoque affert & detrimẽtum maximum. Nam plerique arbitrantur neceſſe eſſe reliquis hominibus eos vlciſci, à quibus vel minimam iniuriam acceperint, ne contemni aut ſuperari videantur: principes oportere tantùm in eos animaduertere, qui contra rempublicam committunt: eos verò qui in ſe peccant, toleranter ferre. Non enim eis iniuriam fieri propterea quòd cõtempti atque abiecti ſint, ſi quidem ſunt magnis multiſque præſidiis & cuſtodiis muniti. Quæ cùm mihi perſpecta ſint atque cognita, omnino id tibi conſiliũ do, ne velis ob eam rem quenquã iſtorum occidere. Nã principatus propter ſalutem ſubiectorum conſtituuntur, vt ij nullũ damnum capiant non modò ab alienis, ſed neque à ſuæ gentis hominibus, non autem vt à ſuis principibus vexentur & affligãtur: multóque eſt profectò magnificẽtius atque glorioſius multos ciues conſeruare poſſe, quàm occidere. Quamobrem ii ſunt inſtituendi continendíque legibus, beneficiis, admonitionibus, vt modeſti ſint & prudentes, tum verò vſque adeò diligenter obſeruandi & cuſtodiendi, vt ſi maximè iniuſti eſſe cupiant, tamen non poſſint: qui verò infirmi ſunt atque imbecilles, ſanari debent quodammodo & reſtitui, ne omnino corrumpãtur. ferre autem multorum hominum delicta, magnæ prudentiæ eſt atque potentiæ. Quòd ſiquis omnibus ſceleribus iuſtas & debitas pœnas conſtituat, is certè magnam partem hominũ breui temporis ſpatio videbitur perdidiſſe. Quamobrem te Auguſte hortor & moneo, ne de iſtis ſupplicium ſumas, ſed alia ratione caſtiges, vt nullum graue ſcelus in poſterum committãt. Quid enim obſecro te, peccare poterit is qui erit in inſulam deportatus, aut in villa ciuitatéve aliqua concluſus, nõ ſolùm deſtitutus multitudine famulorum, & copia pecuniarum, ſed etiã in cuſtodia retentus, ſi res ita poſtulet? Quòd ſi propè hoſtes adeſſent, aut ſi aliqua pars huius maris à nobis eſſet aliena, vt qui nobis damnum attuliſſent, poſſent eò perfugere: aut ſi eſſent in Italia ciuitates firmiſſimis muris ſeptæ ac telis munitæ, vt qui eas cepiſſet, eum nobis metuendum putaremus, alia eſſet ineunda ratio: nunc autem cùm omnia loca ſine armis ſint, & parum munita ad bellum gerendum, abſintque hoſtes longiſſimè, diſiuncti à nobis longo maris interuallo, terræque, fluminũ ac montium qui nequeunt ſine magno labore tranſiri, quis eos metuat nudos, inermes, & priuatos homines in medio regni tui

positos,ac in tuis armis conclusos?Equidem arbitror neminem vnquam hæc in animum inducere, aut quantumuis furore exardeat,perficere posse. Quas ob res hinc capiamus exordium, & periculum faciamus.Eo pacto & illi fortasse consilium mutabũt,& cæteros efficient meliores.Primùm vide Cornelium nobilem & clarum virum: deinde tecum,vt decet omnem hominem,reputa,gladium non esse omnia tibi cõfecturum. Etenim magna esset eius vtilitas atque commoditas,si is posset prudentes homines facere,persuadere,cogeréque, vt verè aliquem diligant. At is profectò dum corpus duntaxat alicuius occidit, à nobis reliquorum animos alienat,nec sunt homines amiciores cuiquam propter aliorum supplicia, sed quòd timent,infesti atque inimici fiunt, ídque certum est & exploratum. Si autem homines veniam consecuti sint,pœnitentia atque pudore adducti,non modò non audent iis à quibus beneficium acceperunt, iniuriam facere, sed etiam plerunque beneficium remunerantur,quòd sperant se multò maiora accepturos. Etenim qui est saluus & incolumis seruatus ab eo cui ipse iniuriam intulit,putat eundem accepto ab se beneficio,nihil esse omnino sibi negaturum. Quamobrem mihi crede vir charissime,sine te persuaderi, & muta sententiam:hoc enim pacto videberis omnia quæ grauia fuerunt & molesta,necessitate coactus & inuitus feciſſe, propterea quòd non potest respublica vsque adeò magna & potens in regnum mutari sine sanguine:si autem manebis in proposito,susceptóque consilio,videberis profectò illa libenter studioséque feciſſe.Hac oratione Liuiæ permotus Augustus, reos omnes verbis admonitos dimisit,designauítque postea Cornelium Consulem,atque in posterum non eum solùm, sed etiam reliquos omnes tanto sibi amore coniunxit, vt nemo amplius ei verè insidias faceret,aut omnino facere videretur. Cornelio autem & Valerio Messala consulibus magni terræmotus facti sunt. Tiberis pontem disturbauit, fecítque vt vrbs septem dies nauigaretur. Alebantur eadem tempestate tres & viginti exercitus populi Romani,ex quibus nostris temporibus tantùm decem & nouem supersunt. Eorum secundus Augustalis nominatus hybernat in superiore Britannia. Tertius Tripartitus est: Gallicus in Phœnicia,Cyrenaicus in Arabia,Augustalis in Numidia. Quartus Scythicus in Syria. Quintus Macedonicus in Dacia. Sextus in duos diuiditur,quorum alter victor appellatus, est in inferiore Britannia: alter ferreus, in Iudæa. Septimus in Mysia superiore, huic Claudianus nomen est. Octauus

Tiberis exundatio.

Exercitus pop. Romani.

Auguſtalis in Germania ſuperiore, Decimus in ſuperiore Pæonia: is duplex appellatur, quòd conſtet ex duobus exercitibus permixtis inter ſe & confuſis. Vndecimus Claudianus in Myſia inferiore: habuere enim duo exercitus nomen à Claudio, propterea quòd ei in ſeditione Camilli nõ reſtiterunt. Duodecimus fulminifer in Cappadocia. Decimustertius in Dacia, duplex. Decimuſquartus in ſuperiore Pãnonia. Decimus quintus Apollonius eſt in Cappadocia. Poſtremi ſunt vigeſimi ii qui Valeriani & Victores appellantur: hi reſtant ex Auguſti exercitibus: cæteri diſperſi & omnino ſublati, aut cum aliis permixti ſunt, qui ob eam cauſam dicuntur duplices eſſe nominati. Alũtur inſuper ſtipatores, qui in decem partes diſtribuuntur. Sex autem millia hominum collocata in præſidiis vrbis, diuidũtur in partes quatuor. Delecti ſunt etiam equites externi, nominati Bataui à Batauia, quæ inſula eſt in Rheno flumine. hi ſunt equites optimi. Igitur Auguſtus, cùm ei magna pecunia opus eſſet ad alendos tot exercitus, iuſſit dari ſibi vigeſimam partem hæreditatum legatorum ac donationum, quæ mortis cauſa fiunt, niſi ſiqua eſſent proximis agnatis, aut pauperibus hominibus relicta: idque fecit, quaſi in commẽtariis Cæſaris hoc genus tributi ſcriptum reperiſſet. Qua re conturbatus eſt populus Romanus, & quòd tanta fame afflictus eſſet, vt gladiatores & vænales ſerui expulſi fuerint ab vrbe vltra quatuor & nonaginta millia paſſuum, Auguſtuſque & cæteri magnam partem famulorum ſuorum dimiſerint, ac iuſtitium indictum ſit. Poſtquam fames ceſſauit, Auguſtus Germanici (is erat Druſi filius) atque fratris eius nomine ludos Circenſes fecit, in quibus elephantus ſuperauit Rinocerotem, & vir equeſtris ordinis, qui fuerat olim locupletiſſimus, obiit munus gladiatorum. Cùm autem non poſſet Cæſar propter ſenectutem atque imbecillitatem corporis omnibus qui auxilio eius indigebant, reſpondere, ſedens ius dicebat in palatio pro tribunali, negotiis cum aſſeſſoribus ſuis cõmunicatis, permiſítque tribus viris conſularibus, vt legatos regum populorúmque qui ad ſe venirent, ipſi ſinguli audirent ſepartim, iíſque reſponderent: niſi fortè quædam acciderent, in quibus ſuo & ſenatus decreto opus eſſet. Per id tẽpus cùm Germanicus Druſi filius eſſet in Dalmatia cum exercitu, obſidéretque munitum aliquod oppidum, nec poſſet id capere, Pollio eques Celta iactu lapidis in murum ita pinnã eius cõcuſſit, vt ea ſtatim ceciderit, traxeritque ſecũ hominem, qui tum fortè ad eã adhærebat. Quo facto cæteri obſtupefacti, ac timore perterriti,

Batauí.

Vigeſima.

DCCL. ſtadia.

Germanicus in Dalmatia.

relicto muro in arcem confugerunt, eámque poſtea ſéque ipſos dediderunt. Cùm autem Batto, qui Dalmatis ſæpenumero defectionis author fuerat, & Romanis magna damna attulerat, tãdem aliquando ad Tiberium veniſſet de voluntate ipſius, ac poſtero die cum eo ſedente in tribunali colloqueretur, eum Tiberius ita interrogauit, Dic, inquit, quamobrem viſum eſt vobis deficere, tantóque tempore nobiſcum bellum gerere? Is reſpõdit, Vos, inquit, cauſam dediſtis, qui ad greges veſtros cuſtodiendos nõ canes mittitis aut paſtores, ſed lupos. Tum Dalmatia venit in ditionem populi Romani. Sed idem populus incidit in grauem caſum in Gallia Celtica (ei præerat Quintilius Varus) nam etſi Celtæ breui temporis ſpatio propter præſidia apud ſe collocata dedicerãt mores & inſtituta patriæ, neque primò mutatione vitæ grauabantur, quippe non animaduertebant ſe immutatos eſſe, tamen poſtquam Varus, qui Syris præfectus fuerat, ceperátque imperium Germaniæ, ac in ea cuncta adminiſtrabat cum imperio, properè venit in Galliam, ad eam gentem immutandam ſubitò, cœpítque Gallis perinde atque ſeruis imperare, & pecuniam tanquam à ſubditis exigere. Id Galli ferre non potuerunt, neque tamen defecerunt apertè ac palàm, ſed ſimulata beneuolentia, cùm is compararet exercitum, frequentes ad eum venerunt, quaſi ſocii futuri eſſent ei ad bellum gerendũ. pòſt eum nihil tale cogitantem inuadũt in locis quibuſdam difficillimis, & circunſtantes vndique iaculantur, quoad exercitus populi Romani, qui neque ſibi auxilio eſſe, neque ſe fugæ mandare poterat, interiit, Varúſque, & qui cum eo erant clariſſimi viri, mortem ſibi conſciuerunt. Auguſtus cognito Vari caſu, veſte ſubitò diſciſſa, magno in mœrore fuit, partim propter eos qui interierant, partim quòd ei Galli magnum timorem iniicerent, quos verebatur non ſolùm in Italiam, ſed etiam Romam properè eſſe venturos. neque enim vllam vrbem munitam reliquerat, & ſocii omnes qui opem ferre ei potuiſſent, magnis erãt incommodis affecti, tamen vt tum potuit, ex rebus præſentibus parauit omnia. Sed poſtquã nemo eorum qui per ætatem bellum gerere poterant, conſcribi voluit, iuſſit eos ſortiri, ac quintum quenque ex iis qui nondum quinque & triginta annos attigiſſent, ex iis autem qui eſſent natu grãdiores, decimum quẽque ſorte priuauit facultatibus, & notauit ignominia, & poſtremò quòd apud multos nondum erat in honore, nonnullos interfici iuſſit. Tum coacto veteranorum libertorúmque quàm maximo potuit numero, eos cum Tiberio contendere in Ger-

Quintilius Varus.

maniam celeriter iubet. Sed postquam intellexit aliquot milites saluos & incolumes euasisse, nec audere hostes ad Rhenū vsque venire, magno timore liberatus est. His rebus in hunc modum gestis, vatibus prohibitū fuit, ne cuiquā remotis arbitris, aut etiā præsentibus de morte responderēt: quanquā Augustus ea quæ ad se pertinebant, adeò parui faciebat, vt descriptū stellarū ordinē, sub quibus natus erat, palàm omnibus ostēderet. Cùm senex esset, Germanicū senatui, & senatum Tiberio per literas cōmēdauit, quas nō ipse legit in senatu (nec enim poterat) sed Germanicus, vt solebat antea: deinde propter cladē Celticā, vt aiebat, petiit à patribus, ne se amplius domū venirent salutatū, néve molestè ferrent, si eis in reliquū tempus epulum non daret: nā tum eum, quoties sedebat in foro, interdū etiam in curia, quoties veniret in senatum, aut inde discederet, plurimum salutabant. Iam verò in palatio id nō modò faciebat senatus, sed etiā equites ac plebei multi, sedente eo, ac nonnunquam iacente. Augustus rursum quinto decennio suscepit curā & administrationem reipublicæ, L. Mumatio & Caio Silio consulibus. Hic propter senectutem, qua ingraueſcente perrarò veniebat in senatū, petiit viginti consiliarios annuos, nam antea quindecim tantū adhibebat in sex menses. Cùmque vigesima omnes ferè grauari intellexissēt, ratus eos ob eam causam esse aliquid noui molituros, literis ad senatum missis petiit à patribus, vt alia genera tributorum quærerent: id faciebat, non quò vellet vigesimam remittere, sed vt eam nullo præterea tributo inuēto magis idoneo & accommodato absque vlla eius calumnia comprobarent: atque vt ne suspicarētur Germanicum & Drusum, cùm de ea re sententiam dicerent, id iussu suo facere, sed vt eam nihil præterea discutientes aut examinantes admitterent. Qua de re etsi postea vetuit ne sermo amplius haberetur, tamē à pleríque dicta sunt multa, eíque per literas significata sunt. Ex quibus vbi intellexit eos paratos esse, omnia potius quàm hæc perpeti, tributum ex ædibus agrísque cōferri iussit, neque tamē definiuit, à quibus, aut quēadmodum persolui vellet, sed aliquot homines misit in diuersas partes orbis, a quibus prædia priuatorū hominum, atque adeò ipsarum ciuitatū describerentur, vt metu dāni incōmodíque maioris mallent vigesimā soluere, id quod euenit. Dū hæc ita ab Augusto gererentur, accidit ludis Augustalibus, qui natali die ipsius fiebant, vt quidā furiosus homo consederit in sella, quæ Iulio Cæsari posita & cōsecrata fuerat, eíque coronā ademerit, sibíq; imposuerit. quæ res in Augustū nōnihil

Cautū, ne uates de morte cuiusquā respondeant.

Quintum decēnium principatus.

Orbis descriptio.

Ludi Augustales.

portendere visa est, idque verũ esse constitit postea. Nã sequenti anno Augustus profectus in Cãpaniam, ludis apud Neapolim factis, Nolæ mortuus est, Sexto Apulio & Sexto Põpeio cõsulibus. Id ei multis prodigiis antè denuntiatum fuit, nec paruis iis quidẽ aut difficilibus ad intelligẽdũ, quòd sol totus hominibus deficere, & cœli magna pars ardere visa est, quódq; ignitæ trabes cadere de cœlo, & sanguinolẽti cometæ visi sunt. Cũmq; senatus decreuisset, vt publicè supplicaretur propter eius valetudinẽ, curia clausa reperta est, bubóque qui super eam cõsederat, cecinit: & fulmẽ quod cecidit in statuam eius positã in Capitolio, primam literam è nominẽ Cæsaris deleuit. Ex quo aruspices responderũt, eum postero die participem fore alicuius diuinitatis, idque cõiiciebant ex eo, quòd prima litera eius nominis, Centũ apud Latinos, reliqua pars Hetrusco sermone Deũ significabat. Itaque Augustus morbo extinctus est. Neque tamen abest suspicio, quanquã mihi non fit verisimile, Liuiam ei mortẽ attulisse. Ea enim verita (vt aiunt) ne Agrippam filium Agrippæ in vrbem reuocaret, ad principatum ei relinquendum (is tum exulabat in quadam insula) ficus pendentes adhuc in arbore, quas Augustus manu sua decerpere consueuerat, illiuit veneno: cúmque ipsa cũ Augusto comederet eas quæ illitæ nõ erant, ei venenatas offerebat. Sed postquam ex hac causa vel alia in morbum incidit Cæsar, conuocatis amicis, exposuit ea quæ necessaria esse videbantur: tandémque vobis (inquit) vrbem, quam lateritiam accepi, marmoream relinquo. quod ipse non ad magnificentiam ædificiorum, sed ad amplitudinem & magnitudinem imperii retulit. Postremò quasi mercedem exactæ vitæ petiit ab iis, vt plauderent, quemadmodum histrionibus fieri solet, eóque pacto humanæ vitæ conditionem risit. Mortuus est xiiii Cal. Septembris, quo die primùm consul factus fuerat, vixítque annos septuaginta quinque, menses decem, dies xxvi. erat enim nono Cal. Octobris natus. Regnauit, postquam victoria potitus est apud Actium, quatuor & quadraginta annos, diebus tredecim exceptis. Mors eius non est subitò cognita, quòd eam, cùm adhuc Tiberius esset in Dalmatia, Liuia metuens ne fieret aliqua seditio, celauit, quousquẽ Tiberius venisset. Augusti corpus primarii singularum ciuitatum Nola vicissim exportauerunt, cúmque Roma non longè abesset, ipsum equites Romani de nocte in vrbem intulerunt. Fuit postridie eius diei senatus, in quem cæteri venerũt equestri vestitu, magistratus senatorio, nisi quòd purpureas

Augustus Nolæ moritur. *Prodigia.*

Vrbs marmorea pro lateritia.

Anni vitæ Augusti.

veſtes non habebant. Tiberio, Druſóque filio eius toga pulla erat, qualis ſolet in concionem geſtari: ab vtroque thus eſt adhibitum in ſacrificio. Tibicinē intereſſe noluerunt. Sedebat quiſque ferè in quibus locis antea conſueuerat. Conſules ſedebāt in ſubſelliis inferioribus: vnus in iis quæ prætorū, alter in iis quæ tribunorum plebis ſunt. Poſt hæc quidam Polybius Cæſarianus tabulas teſtamenti eius recitauit, quòd eas non deceret ſenatorē legere, in eóque teſtamento Tiberius ex beſſe, Liuia ex triente, vt nonnulli putant, hæredes ſcripti erant. nam Auguſtus, vt eam augeret ſuis facultatibus, petiuerat à ſenatu, vt liceret ſibi tantūdem ei etiam contra leges relinquere. Ab his hæredibus ſcriptis multa prædia magnámque pecuniā pleriſque hominibus propinquis ſuis & extraneis legauit, nec ſenatoribus ſolùm, ſed etiā equitibus regibuſque: ad hæc reliquit populo Romano aureorum millia quadringenta. Sed & militibus legata reliquit: ſtipatoribus quidē ſuis viritim ad decem aureos: iis autem qui erant in præſidiis vrbis collocati, ſingulis eius ſummæ dimidium: cæteræ multitudini vrbanæ tres aureos viritim dari iuſſit. Præterea mandauit, vt quæ ſibi hæreditas teſtamento obueniſſet à parentibus filiorum impuberum, ea cum fructibus perceptis reſtitueretur iis, cùm in adoleſcentiam peruenīſſent: quod ipſe viuus faciebat. Nam quoties ſuccederet ei, cui eſſent liberi ſuperſtites, ſiquidem tum erant adulti, ſtatim eis omnem hæreditatē reſtituebat: ſin minus, vbi adoleuiſſent. Cúmque talem ſe præſtaret erga liberos alienos, tamen filiam ſuam non reduxit ab exilio, licet eam donatione quarundam rerum honeſtauerit, ſed vetuit, ne in ſuo monumento ſepeliretur. Hæc cùm eſſent ex teſtamēto cognita, allāti ſunt libelli quatuor, quos Druſus legit: in quorum primo ſcripta erant ea quæ ad funus pertinebāt. Secundus continebat res omnes ab eo geſtas, quas in columnis æneis ad ſepulchrum ſuum collocatis inſculpi iuſſit. In tertio erāt ea quæ ad milites, quæve ad redditus ſumptúſque publicos, & ad eam pecuniam ac theſauros, cæteráque eiuſdem generis ſpectabant, quibus principatum, quem habebat, tueretur. In extremo præcepta mandatáque dabat Tiberio, atque reipublicæ præſertim, ne multis libertatem daret, quo minus vrbem multitudine cuiuſuis generis implerent, vtque paucos donarent ciuitate, quò plurimum differrent ab iis quos haberent in poteſtate. Præterea monebat, vt rempub. committerent iis qui vſu & experientia rerum plurimum poſſent, nec eam ſinerent vllo tempore pendere ex cuiuſquam voluntate, ne fortè is in regni cu-

Teſtamentum Auguſti.

Mille myriades drachmarum.

LXXV. drach.

Libri quatuor.

Præcepta Cæſaris.

piditatē veniret, aut ne mortuo eo reſpublica periclitaretur. Cō-
ſulebat, vt contenti rebus præſentibus, augere & dilatare impe- *4. Tacit. Ann. I, 11 init.*
rium nollent, quod futurum eſſet, vt id tuerentur, difficilius, imminerétque periculum, ne quæ iam parta erant, amitterent, id quod ab eo non verbis modò, ſed re etiam fuerat obſeruatum: nam cùm poſſet ex barbaris nationibus multò plura acquirere, id noluit. Poſtquam huiuſmodi præcepta recitata ſunt, funus *Funus Cæſaris.*
ducitur. Erat lectus ex ebore & auro factus, ſtratus atque ornatus peripetaſmatis purpureis atque auro intextis, ſubter quæ tā-
quam in feretro corpus eius iacebat occultum. Ante omnia ſtatua cerea veſtitu triumphali videbatur, eáque ferebatur ex palatio ab iis qui erant in ſequenti anno magiſtratus futuri: deinde ex Curia, altera aurea: Tertia curru triumphali vehebatur, ſubſequebantúrque ſtatuæ maiorum ipſius atque propinquorū, qui è vita diſceſſerant, vno tantùm Cæſare excepto, propterea quòd eſſet in numerū heroum relatus. Ferebantur deinde ſtatuæ ciuium Romanorum, quicūque principatum vnquā tenuerant, capto ab ipſo Romulo exordio: ſed & quædam Pompei Magni ſtatua ferri viſa eſt. Aderant etiā omnes prouinciæ pictæ *Statua Pōpei Magni in funere Auguſti.*
atq; nationes, quæ partæ ab eo fuerāt & deuictæ. Poſt hæc lectus ſiſtitur in roſtris, vbi ſolebat haberi cōcio, de quo loco vbi Druſus legiſſet nonnulla, Tiberius Auguſtum pro roſtris, quæ Iulia *Tiberius laudauit Cæſarē.*
nominantur, apud populum decreto ſenatus laudauit. Tum qui lectum antea ferebāt, eundem tulerunt porta triumphali, vt ſenatus decreuerat. Aderat autem ſenatus præſens, mortuúmque pariter efferebat: aderant quoque omnes equeſtris ordinis, eorúmque vxores. Intererāt prætoriani milites, cæteríque omnes ferè, qui tum in vrbe erant. Cùm eſſet impoſitus in rogum extructum in cāpo Martio, eū primò cuncti ſacerdotes circumeūt: deinde equites: pòſt ii qui magiſtratu fungebantur: poſtremò cæteri milites qui erant in præſidiis vrbis, cōcurrunt, præmiáque victoriæ quæ acceperant ob præclara facinora, dum in eius exercitu militarent, in eū coniiciunt. Rogum centuriones poſtea admotis facibus incendunt. is comburitur: mox aquila ex rogo dimiſſa, quaſi animum Auguſti in cœlum ferret, euolauit. Peractis his rebus omnibus, cæteri abeunt. Liuia in eodem loco cum primariis equitibus manſit dies quinque, oſſáque eius collegit & ſepeliuit. Viri in luctu fuerūt perpaucos dies, vt erat cō- *Mulieres annum luxere.*
ſuetudo: matronæ eum decreto ſenatus annū luxerunt. Et quā-
quam pauci reuera mortem eius doluerūt ſubitò, tamē omnes poſtea ſunt in maximo mœrore verſati. Erat enim Auguſtus

omnibus affabilis, multóſq; mortales pecunia adiuuabat, amicos omnes habebat in honore, eorúmque libertate loquẽdi lætabatur & gaudebat. Quibus rebus argumento eſt Athenodorus, qui cùm in cubiculum eius lectica pro muliere vectus eſſet, tenenſque pugionem in manu de ea deſiluiſſet, atque ita dixiſſet, Non times, inquit, ne te aliquis eodem modo ingreſſus interficiat. Auguſtus non modò ei no eſt iratus, ſed etiam gratias egit. Quæ cùm de eo, aliáque permulta commemorarentur, tum illud imprimis, eum nunquam iis à quibus erat affectus moleſtia, iratum grauiter & intemperanter fuiſſe, fidémq; ſeruaſſe perpetuò iis qui id mererentur. Nam cùm Coracotæ latroni inſigni in Hiſpania principiò ita fuiſſet infenſus, vt edixiſſet ſe ei qui Coracotam viuum cepiſſet, daturum aureorum decem millia. Poſtquam is vltrò venit, non modò ei nullum damnum attulit, ſed etiam pecuniam dedit, eúmque locupletauit. Itaque Romani adducti his rebus omnibus, Auguſtum luxerunt, ſed imprimis quòd regnum cum republica permiſcuerat, libertatémque conſeruauerat, ſéque ita ornauerat, & ſecuros reddiderat, vt populi temeritate, & tyrannorum iniuriis liberati, ſimul in moderata libertate atque regno quietam & ſecuram vitam agerent, regerentúrque ſine ſeruitute, & abſque vlla ſeditione rempublicam obtinerent. Nam etſi plerique recordabantur ea quæ ſuperioribus bellis ciuilibus facta fuerant, tamen eorum omnium culpam in tempora & neceſſitatem conferebant, putabántque ex eo tempore eſſe animum eius ſpectãdum, ex quo cœpit ſine controuerſia regno potiri. Maximè verò ei contulit ad gloriam diuturnitas principatus: etenim complures qui fuerant in republica potentiſſimi viri, mortem iam obierant, quorum poſteri ignorantes qualis ſtatus reipublicæ fuiſſet, contentíque rebus præſentibus, in quibus erant educati, non ſolùm ex iis nullam moleſtiam capiebant, ſed etiam eorũ conſuetudine delectabantur. videbant enim potiora eſſe iis quæ ex maioribus audiuerant, longéque tutiora. Quas res etſi viuo Auguſto non ignorabant, tamen eodem vita functo eas penitus perſpectas planéque cognitas habuerunt. Quippe ea ſolet eſſe, neſcio quomodo, hominum natura & conditio, vt quãdiu fortunæ muneribus fruuntur, non tam fœlicitatẽ agnoſcant, quàm afflicti & calamitoſi eandẽ requirãt atque expetant. id quod accidit Auguſti temporibus: cuius deſiderio, poſteaquam eſſent Tiberium experti, omnes tenebãtur. Tantum enim hi duo diſcrepabant inter ſe, vt quibuſdam non abfuerit ſuſpicio, Auguſtum

Coracota latro.

XXV Myriades drach.

m.

ſtum ob eam cauſam Tiberium, cuius mores habebat cognitos, de induſtria ſucceſſorem reliquiſſe, quò ipſe maiorem gloriam conſequeretur. Cùm autem Auguſto populus Romanus æternitatem immortalitatémque donauiſſet, ei Liuiam quæ tum Auguſta nominabatur, ſacerdotem creauit. Dedit Liuia decem millia aureorum cuidã Numerio Senatori Athenienſi & prætorio viro, quòd is iuraſſet, quemadmodum de Proculo Romuloque traditum eſt, ſe Auguſtum, cùm in cœlum aſcenderet, vidiſſe. Eidem Auguſto ſepulchrũ in vrbe decretum eſt, idque Liuia poſtea & Tiberius ædificauerunt. Fuere quoque alia ædificata in pleriſque locis, partim aſſentientibus populis & approbantibus, partim etiam contra eorum voluntatem. AEdes quoque, in qua Nolæ mortuus eſt, ei fuit conſecrata, decretúmque fuit, ne ſtatua ipſius in funere cuiuſquam deferretur, atque vt tribuni plebis, quòd eſſent ſacroſancti, ludos Auguſtales facerent. Hæc facta ſunt Auguſti temporibus.

XXV. Myriades drach. M.

Tiberius.

TIberius patritius erat, & doctus, ſed ingenio & moribus peculiaribus, rariſque. Nã ita omnes animi affectus occultabat, vt quæ cupiebat, nunquam ferè diceret, pugnarétque cũ oratione voluntas eius & deſiderium. Id enim deteſtabatur, quod expetebat maximè, & quod oderat, diſſimulabat. Iraſcebatur nulla re cõturbatus: iratus, trãquilliſſimo æquiſſimóque animo eſſe putabatur. cõmiſerabatur eos, in quos grauiter animaduertebat, & quibus veniam dabat, ſuccenſebat nonnũquam. ſic amplexabatur inimiciſſimos homines, vt ſibi familiariſſimos & coniunctiſſimos: contrà autem cum amiciſſimis non aliter ſe gerebat, quàm cum alieniſſimis hominibus. Denique putabat principis animum nemini cognitum eſſe oportere. Quòd ſi id in Tiberio tantum fuiſſet, haud obſcura eſſe potuiſſet eius voluntas iis qui tentaſſent, ſtuduiſſéntque eam habere cognitam. quippe omnia in contrariam partem accepiſſent. Nã & cùm ſe aliquid velle negauiſſet, tum id eum deſiderare maximè: & cùm cupere ſe dixiſſet, tum eum id nolle exiſtimauiſſent. Sed præter ea quæ ſuprà dixi, grauiter

Tiberius in occultandis affectibus vafer.

Principis cõſilia ſecreta eſſe oportere.

ferebat, dum suspicabatur aliquem esse cõscium & participem consiliorum suorum, multósque non aliam ob causam interfici iussit, quàm quòd diceret ab iis volũtatem suam animaduersam & perspectam esse. Itaque is solus ferè tutus erat (quod tamen perraro accidit) qui neque ingeniũ eius ignoraret & mores, neque patefaceret cognitos. Nã eo pacto qui ei parerẽt, non decipiebãtur, nec propterea in odiũ eius veniebãt, quòd ostẽderent se ea quæ ageret, percepisse. His moribꝰ præditus Tiberius, quasi statim imperium adeptus esset, nõ modò ad exercitũ, sed etiã ad nationes omnes Roma literas misit, in quibus tamẽ non scripsit se Imperatorẽ esse factum, propterea quòd id nomẽ sibi vnà cum cæteris nominibus decretũ à senatu repudiauit, hæreditatémque Augusti non cognomẽ admisit. Sed cùm iã haberet stipatores sui corporis, tamẽ petiuit à senatu vt sibi opẽ ferret, ne quã iniuriã pateretur. Quod facetè quidã interpretatus, cẽsuit custodiam ei, quasi nullã haberet, dari oportere: à quo Tiberius postquam irrideri se cognouit, non suos esse milites respondit, sed populi Romani. Cúmq; hæc ageret, administrarétq; omnia quæ pertinerẽt ad principatum, tamen eo se negabat indigere, quem primò tum propter ætatẽ (natus erat annos sex & quinquaginta) tum propter sensum oculorum hebetem & imbecillum (noctu enim plurimum, interdiu parum videbat) omnino negabat se velle: pòst autem socios quosdam petiit & collegas, non quidem rerũ omnium, vt fit in ea republica cuius potestas penes paucos est, sed totius in tres partes diuisi principatꝰ, quarum vnam haberet ipse, collegæ reliquas. Earum partium vna erat Roma cum cætera Italia: altera exercitus: tertia reliqui omnes, qui sunt sub imperio Romano. Cúmque instaret vt id sibi concederent, illi negarent contenderéntque ab eo, vt omnibus imperaret, Asinius Gallus vtẽs, plus quàm sibi vtile fuisset, patria loquendi libertate, Opta igitur, inquit, quam partem velis. Huic Tiberius ita respondit, Quî fieri potest, inquit, vt is optet, qui ipse partes faciat. Gallus, vt cognouit se ob hanc causam in periculo versari, cœpit eum lenire sermone, atque ita respondit, Non, inquit, hæc à me dicta sunt, vt tu tertiam tantummodo partem habeas, sed id propterea tibi proposui, quòd principatus diuidi nullo pacto possit. Tiberium tamen verè nihilo magis placauit, sed acceptis postea mulctis & grauibus incommodis, ad extremum occisus est. Iam enim ei antè odio erat, quòd eam quæ prius Tiberio nupserat, ipse postea vxorem duxisset, quódque Drusum suum esse cõtenderet. Sed

Imperatoris nomen recusauit Tiberius.

Diuidere voluit principatum in tres partes.

Asinius Gallus.

cùm milites qui tum erant in Germania, animaduerterẽt Germanicum & Cæſarem eſſe, & patre ſuo meliorẽ, Tiberio maledicere, Germanicum Imperatorẽ nominare cœperũt. Cum his Germanicus egit pluribus verbis, ne id facerent: pòſt vbi videt eos non poſſe de ſententia dimoueri, gladiũ, tanquam ſibi mortem inferre vellet, diſtrinxit. Tum ei vnus è militibus gladium ſuum offerens, Tu verò potius, inquit, hunc meum accipe, eſt enim acutior. Hanc ſeditionem militum Germanicus vix tandem ſedare potuit. Tum Caius Caligula filius eius (nam id ei cognomẽ erat, propterea quòd cùm eſſet magna ex parte in exercitu educatus, caligis militaribus pro vrbanis vtebatur) à militibus retentus eſt. Itaque Germanicus cùm ſummum poſſet adipiſci principatũ (beneuolentia enim populi Romani, atque ſubditorũ omnium omnino erat in eum propẽſa) noluit. Quare Tiberius eum, eiúſque vxorem Agrippinã magnis laudibus affecit. Vtrunque enim ſuſpectum habebat, propterea quòd Agrippina erat fœmina prudentiſſima. Igitur Tiberius, quouſq; Germanicus vixit, principatum obtinuit modeſtius atque moderatius. pauca enim faciebat ex ſeſe, vel nihil poti⁹, ſed de minimis quibuſque rebus referebat ad ſenatũ, cum eóque cõmunicabat omnia, & cõſiliarios, vt Auguſtus cõſueuerat, capiebat. Cúmque ſuam ipſe ſententiam dixiſſet, non modò dabat poteſtatem omnibus, vt contra ſe dicerent, ſed etiam factis ſæpenumero decretis in contrarium, æquo animo ferebat. Interdum contrà diſſerebat, ſæpe ita dicebat, ne libertatem eis eripuiſſe videretur: Si id, inquit, fieri voluiſſem, hæc atque alia permulta, vt fieret, expoſuiſſem. Præterea ius dicebat, vocatuſq; à magiſtratibus accedebat in forum, vbi ius reddebant, eóque nonnunquam veniebat inuocatus. Cúmque concederet magiſtratibus, vt in ſuis locis ſederẽt, ipſe in ſede è regione collocata videlicet vt princeps exponebat ea, quæ ſibi videbantur. Dominus à liberis hominibus, aut Imperator, præterquàm à militibus, vocari nolebat. Patris patriæ nomen omnino repudiauit, princépſque ſenatus, vt erat vetus conſuetudo, nominari voluit. Crebrò dicebat ſe dominum ſeruorũ, Imperatorem militum, principem reliquorum eſſe, optabátque viuere obtineréque principatum, quouſque reipublicæ vtilitas poſtularet. Sic enim popularis erat in rebus omnibus, vt nihil ſuo natali die fieri permitteret, quod antè fieri non cõſueuiſſet. nemini licebat per fortunam eius iurare: ſed neque animaduertebat in eos, qui per eandem fortunam iurantes peieraſſent: nec verò

Militum amor in Germanicum.

Vnde Caius uocatus ſit Caligula.

Cognomina Tiberij.

in his ſolùm popularis erat, ſed etiam in eò, quòd ei nullũ templum dedicatum eſt, quódque nemini licebat ſtatuam ei facere. Edixit enim palàm, vt ne ciuitas vlla, néve priuatus quiſquam id faceret: cui edicto addidit hæc verba, Niſi ego permittã: móxque adiecit, Atqui non permittam. Cúmque ei maledicerẽt homines, aut contra eum aliquid impiè facerẽt (nam id ſcelus nominabant impietatem, eiúſque grauiſſimas pœnas repetebant) minimè curabat, nec quenquam ob eam rem accuſari patiebatur, cùm tamen Auguſtum ob eandem cauſam laudaret. Igitur Tiberius principio in eos, qui contra ſe deliquerant, non animaduertit, quanquam progrediẽte tempore de pleriſque ſupplicium ſumpſit, ac tum Auguſtum propterea maximè commendauit, tum etiam quòd conſueuiſſet ædificiis, quorum fundamenta iecerat, nec tamen abſoluerat, nomen ſuum inſcribere. Idem Tiberius conſecrabat ſtatuas & monumenta Auguſti, nonnunquam mandabat pontificibus, vt id facerent. Cúmque reſtituiſſet ædificia, quæ in vrbe corruerant (nullum enim extruxit nouum præter Auguſtale) nullum prorſus ſibi vendicauit, ſed eis nomina reddidit eorum, à quibus ædificari cœpta eſſent. In ſuos vſus parum, in publicos multum impendit, reſtitutis operibus publicis, aut ornatis, maximáque ope ciuitatibus & priuatis hominibus allata. Cúmque pecuniam daret aliquibus, aut alia munera, iubebat ea coràm numerari ſubitò, aut repræſentari. Intelligebat enim Auguſti temporibus magnam diminutionem de donis eius ſæpenumero à miniſtris eſſe factam: itaque magnopere prouidebat, ne idem ſuo tempore eueniret. Hos ſumptus faciebat ex legitimis redditibus. Neque enim pecuniæ cauſa quenquam occidebat: nullius tum bona proſcribebat, nulla vi atque violentia pecuniam exigebat. Etenim AEmilio Recto, qui ad ſe aliquando miſerat maiorem ſummam pecuniæ ex AEgypto cui præerat, quàm imperata fuiſſet, reſcripſit in hæc verba, Tonderi, inquit, oues meas volo, non deglubi. In primis erat affabilis, comis & humanus. Itaque iuſſit vt ſenatores ſimul omnes ſe ſalutatum venirent, ne multitudine inter cæteros premerentur. AEquitatem maximè colebat: nam cùm Rhodii magiſtratus ad eum ſcripſiſſent, nec eſſent ei in extrema epiſtola, vt erat conſuetudo, ſalutem precati, eóſque ob eam rem accerſiri iuſſiſſet, tanquam ſtatuiſſet in ipſos animaduertere: vt venerunt, nihil fecit acerbius, ſed eos, poſteaquam vota quæ deerant epiſtolæ, ſubſcripſerunt, dimiſit. Magiſtratus habebat in honore non aliter atque ſtante re-

Impietas erat committere in Imperatorem.

Auguſtale.

Munera ſua Tiberius coràm uolebat numerari.

Tonderi oues, non deglubi.

Conſuetudo ſubſcribendi ſalutem in Epiſtolis.

publica, assurgebátque cõsulibus, atque, quoties eis cœnam dabat, ingredientibus ad fores procedebat obuiam, & comitabatur abeuntes. Cúmque sella veheretur, neminem senatorii aut equestris ordinis consequi patiebatur, veniebátque sæpissimè ad sacrificia, nõ solùm vt honoraret eos qui ea facerent, sed etiã vt plebẽ ornaret, atque vt vnà cũ ea dies festos celebrare videretur. Nõ enim his rebus studere vnquam, aut fauere cuiquã istorum est visus. Etenim cùm populus vellet seruum saltatorem donare libertate, id ipse non antea comprobauit, quàm dominus eius consensit, & pretium accepit. Cum amicis versabatur vt priuatus, iisque cùm rei essent, præstabat patrocinium. Intererat eorũ sacrificiis: visitabat ægrotãtes, nullis custodibus stipatus. Quinetiam defunctum amicum, & familiarem suum laudauit in funebri concione. Cúmque conuentus & ludi celebrarentur, eos ipse spectabat de domo cuiusdam Cæsariani aut liberti, quò se possent homines proximè & facillimè conuenire. Liuiam verò matrem suam temperãtiorem humiliorémque præstitit, cuius tanta erat insolentia, vt superbiam mulierum omnium quæ antea fuerant, superaret. Ea senatum & plebeios homines, siqui vellent, domum admittebat salutatum, idque in annalibus scriptum est: præterea nomen eius aliquanto tẽpore scribebatur in epistolis Tiberii, cæteráque omnia, vt imperatrix administrare conabatur. Nam obtinente Augusto principatum, tanta fuerat eius authoritas, vt diceret ab se Tiberium imperatorem esse factum: ob eámque causam non solùm volebat ex æquo cũ Tiberio imperare, sed etiam eo superior esse. Itaque decernebant assentatores præter cætera, Tiberium ex ea nominari debere, vt quemadmodum Græci ex patribus, ita ille ex matre nominaretur. Qua re indignatus Tiberius, pauca confirmabat eorum quæ Liuiæ decernebantur, eámque remouit omnino ab administratione rerum publicarum, ac ei tantummodo curam rei familiaris reliquit. Qua in re cùm etiam offenderetur postea, eam relicta vrbe fugit, & ob eam causam Capreas habitatum venit. Druso quoque filio suo petulantissimo & crudelissimo viro, ex quo acutissimi gladii Drusiani appellabantur, infensus esse cœpit, eúmque sæpenumero priuatim publicéque increpare. Huic enim dixit aliquando multis præsentibus, Tu certè, inquit, me viuo nemini vim afferes, neque facies iniuriã: quod si quid audebis tentare, ne mortuo quidẽ. Fuit enim Tiberius aliquandiu continentissimus, nec sinebat aliis libidinosè quicquam agere, sed ob eam causam in multos animaduerte-

Oratione pro amico mortuo habuit.

Liuiæ nomen scriptum in literis Tiberij.

Acuti gladij Drusiani appellati.

bat. Cúmque purpurea toga plerique vterentur, quod antea vetitũ fuerat, neminem quidẽ ipſe reprehendit, aut mulctauit: ſed cùm fortè pluiſſet in conuentu quodam, fuſca penula ſe induit, quo facto, vti alio genere veſtium nemo deinceps eſt auſus. Hæc omnia ab eo facta ſunt quouſq; vixit Germanicus: quo defũcto, quaſi aduerſario imperii ſublato, mores commutare cœpit. Legata, quæ populo Romano in teſtamento Auguſti relicta erant, quanquam non ſoluit illico, ea tamen præſtitit poſtea: ad quam rẽ hæc ei oblata eſt occaſio. Cùm enim mortuus efferretur, ac fortè per forum funus procederet, quidã in aurem mortui inſuſurrauit, rogatúſque ab iis qui aderant præſentes, quid ei dixiſſet, Auguſto ſe mandaſſe reſpondit, populum legatam pecuniam nondum accepiſſe. Hunc Tiberius ſtatim occidi iuſſit, vti ipſe de iiſdem rebus nuncium ferret Auguſto, de quibus mordere ſe atque reprehendere videbatur, ipſe non multò pòſt reliquis ſatiſfecit, tribus aureis viritim diſtributis. Singulari quorundam equitum certamini intereſſe noluit: ſed altero occiſo, vetuit alteri ne eo genere certaminis in reliquum tempus vteretur. Eodem tempore cùm nepos eius quem ex Druſo habebat, exceſſiſſet è vita, nihil fecit præter conſuetudinem. putabat enim non debere principem ſui incõmodi cauſa curam reipublicæ omittere. Druſus quoque cùm eſſet factus conſul, officio conſulis cum collega ſuo vt priuatus pariter fungebatur, hæréſque à quodam inſtitutus, corpus eius ſimul extulit. Is ira incitabatur acerbiſſima, ita vt percuſſerit equitem nobiliſſimum, quamobrem Caſtor cognominatus eſt: eratque vſque adeò temulentus, vt cùm aliquando de nocte coactus eſſet cum prætorianis ſubuenire hominibus ardentibus, eoſdem aquam poſtulantes feruenti aqua iuſſerit perfundi. Tauro autem Statilio, & L. Libone conſulibus Tiberius interdixit vſum ſericarum veſtium, vetuítque nequis niſi ad ſacra portanda vaſis aureis vteretur. Cúmque poſtea dubitaretur à quibuſdam, an ea quoque quæ haberent emblemata, interdicta eſſent, de hoc etiam edixit: & quanquam Latinè id propriè ſignificare non poterat, tamen id verbum propterea quod Græcum erat, edicto inſeri noluit. Centurioni quoque volenti Græcè in ſenatu teſtimonium dicere non permiſit: etſi enim antea in eo complures cauſas audierat Græco ſermone, & multas examinauerat, id tamen non ſatis conſtanter conuenientérque fecit. Vibium Rufum ne accuſauit quidem, quòd ſella in qua ſemper Iulius Cæſar ſederat, interfectúſque fuerat, vtere-

Nota

De idiomate Græco prohibito.

Vibius Rufus.

tur: qui cùm etiam vxorem Ciceronis duxiſſet, atque de vtroque gloriaretur, quaſi aut propter ſellam Cæſar, aut orator propter vxorem eſſet futurus: tamen harum rerum non ſolùm nullam culpam ſuſtinuit, ſed etiam conſulatum geſſit. Tiberius aſtrologos magóſque peregrinos morte affecit: ciues Romanos miſit in exilium, etſi cum Thraſyllo erat ſemper, cuius vaticinatione quotidie vtebatur, eiuſque ſcientiæ ipſe peritiſſimus erat. Nam cùm eſſet iuſſus in ſomnis cuidam pecuniam dare, facilè intellexit arte magica dæmonem ad ſe miſſum eſſe, ob eámque rem hominem interfici iuſſit. Per id tempus quidã Clemens nomine, qui fuerat Agrippæ ſeruus, eíque ſimilis erat quodammodo, Agrippam ſe eſſe dixit, atque eo pacto magnã pecuniã conflauit, comprehenſúſque tãdem à Tiberio, interrogatúſque quomodo Agrippa factus eſſet, Eodem, inquit, modo quo tu Cæſar es factus. Cùm autẽ in quodã edicto verbo parũ Latino vſus eſſet, ídq; poſtea noctu animaduertiſſet, omnes qui erant in huiuſmodi verbis diligẽter verſati, accerſiuit ad ſe, ſtudebat enim Latinè & elegãter loqui. Cúmq; Ateius Capito dixiſſet, Quanquã, inquit, hoc verbo nemo vſus eſt antehac, tamẽ id tua cauſa recipiemus in poſterum, & inter vetera referemus: Atq; Marcellus quidã ad hæc ita reſpõdiſſet, Hominibus, inquit, dare potes Cæſar ciuitatẽ Romanã, Latina verba non potes. Hũc Tiberius, quãquam nimia licentia loquendi vſus fuerat, nullo damno affecit. Archelaũ verò Regẽ Cappadociæ, cui iratus erat, accerſitum, quaſi res nouas moliretur, tradidit ſenatui, vt de eo cognoſceret, hominẽ non ſolùm ſumma ſenectute, ſed etiã podagræ doloribus confectũ: fuiſſétq; Archelaus affectus vltimo ſupplicio, niſi teſtis qui cõtra ipſũ productus fuerat, aſſeruiſſet eũ dixiſſe ſe Tiberio oſtenſurũ, poſtquam domũ rediiſſet, quales ſibi nerui eſſent. Qua ex re riſus tã magnus excitat' eſt, propterea quòd ille nõ ſolũ ſtare nõ poterat, ſed ne ſedere quidẽ, vt Tiberius eũ amplius occidi noluerit. Itaq; Archelaus tũc ſaluus euaſit, qui tamẽ non multò pòſt mortuus eſt. Poſt cuius mortẽ Cappadocia venit in poteſtatẽ populi Romani, eíque vir equeſtris ordinis præfuit. Tiberius, quandiu de reliquis curam habuit, abſtinuit ab alienis. Non enim adiuit hæreditates quæ ſibi erant à propinquis relictæ, multáque impendit in vſus ciuitatũ & priuatorum hominũ: cuius rei cauſa nullũ honorem poſtulauit, nullã laudem admiſit. Legatis ciuitatum nationúmve nũquã reſpõdebat ſolus, ſed pleróſque, eóſque potiſſimũ qui apud eas gẽtes cum imperio fuerãt, ſuæ ſentẽtiæ participes faciebat.

Aſtrologi & magi ex Vrbe expulſi.

Archelaus rex Cappadociæ.

Germanicus autem exercitu prosperè contra Celtas ducto, vsq; ad Oceanum peruenit, barbarísque fortiter deuictis, ossa eorũ qui cum Varo interierãt, collegit & sepeliuit, ac postremò signa militaria recuperauit. Tiberius, cùm ei instaret senatus, statuerétque Nouembrem (eo mense natus erat XVI. Cal. Decẽbris) Tiberium appellandum esse, ita respondit, Si vobis, inquit, Cæsares erunt XIII, quid facietis? Post hæc Marco Iulio & Lucio Norbano consulibus, Calendis cuiusdam mensis prodigium non paruum extitit, quo Germanici interitus prædici quodam modo videbatur. Nam eo die Norbanus Consul, qui semper in id incumbebat, vt tuba caneret, in eóque studiose exercebatur, prima luce, cùm iam domi adesset magna hominum multitudo, tuba canere cœpit, quæ res omnes pariter conturbauit, quasi consul bellicum cecinisset. Augebat timorem, quòd statua Iani ceciderat, quódque per id tempus quædã oracula canebãtur pro Sibyllinis, quæ licet ad hæc nostra tempora potius quàm ad illa pertinerent, tamen iis omnes valde commouebãtur: ea erant,

Senatus uolebat Nouembrẽ appellare Tiberium.

Sybillina Carmina.

Τρὶς δὲ τριηκοσίων περιτελλομένων ἐνιαυτῶν,
Ῥωμαίοις ἔμφυλος ἐλεῖ στάσις, ἁ Συβαρίτις
Ἀφροσύνα.

Quibus versibus dicebatur fore, vt ter trecẽtis annis præteritis ciuiles seditiones inter Romanos suscitarentur, & furor Sybariticus. Hæc Tiberius vt falsa calumniari cœpit, librósque omnes scriptos de vaticiniis inspici, ex quibus eos qui inutiles esse videbantur, damnari atque reiici, cæteros reponi & retineri iussit. Mortuo Germanico, Tiberius & Liuia magna lætitia affecti sunt, cæteri omnes tulerunt grauiter. Erat Germanicus egregia forma, optimo ingenio præditus, omni doctrina ornatissimus, magnis viribus corporis, vir perhumanus & modestus. nihil enim contra Drusum faciebat inuidiose, nihil cõtra Tiberium, quod reprehẽdi posset. Nam cùm sæpenumero potuisset adipisci imperium, noluit. Is in Antiochia mortuus est, insidiis ei à Pisone & Plautina factis. Etenim ossa hominum mortuorum defossa in ædibus, in quibus habitabat, & laminæ plumbeæ, in quibus erat nomen eius scriptum cum quibusdã execrationibus, eo adhuc viuo inuentæ sunt, eiúsque necis Piso reus à Tiberio factus, introductúsque in senatum, ac in eo paulùm commoratus, mortem sibi consciuit. Tiberius postquã neminem habuit aduersarium & competitorem in Imperio, ab iis rebus quas antea bene gerebat, deficere, & cuncta acerbè admini-

administrare cœpit. Tum enim reus erat impietatis is, qui non modò in Augustum, sed etiam in eum aut eius matrem fecisse aliquid, aut minus commodè dixisse deferretur, ac in eum animaduertebatur grauiter. Torquebantur non modò serui contra dominos, sed etiam liberti & ciues. Qui accusauerant, aut testimonium contra reos dixerãt, consequebãtur eorum bona, adipiscebãturq; honores & magistratus. Multos interfici iussit explorata die & hora qua nati fuissent, atq; inde animaduersa fortuna eorũ & moribus. Quẽ enim excellere videbat, aut sperare principatũ, eum funditus perdebat, didicerátque fatũ cuiusque ciuis primarii: ita vt Galbæ, qui postea principatũ obtinuit, factus obuiã, quo die ille sponsalia fecerat, dixerit, Et tu aliquã do principatũ degustabis: cui propterea pepercit, vt ego quidẽ arbitror, quòd id ei certum & fatale erat: vt autẽ ille dicebat, propterea quòd in senectute & lõgo tempore post mortẽ suam esset regnaturus. Aderat ei semper, & diligenter conficiebat omnia Lucius AEmilius Seian⁹ (is erat Strabonis filius) qui olim Sabio Apicio in deliciis fuerat. Hic Apicius luxuriosè vixerat supra omnes homines. Cùm enim aliquando voluisset intelligere, quantos sumptus fecisset, & quantũ restaret, cognouisséque sibi reliqua esse aureorũ centum millia, magna molestia affectus, metuénsque ne fame moreretur, mortem sibi conscíuit. Igitur Seianus aliquanto tempore vnà cum patre prætorianis præfuit: sed postquàm eius pater in AEgyptũ missus est, atque ipse præfectus eorum fuit solus, præter cætera quæ constituit, Prætorianos milites seorsum antè per cohortes cubantes vnũ in locum atque in eundem murum conduxit, vt conferti celerius possent imperata facere, vtque, quòd in eodem muro essent, metuerentur ab omnibus. Huic Tiberius cõiuncto sibi morum similitudine prætorios honores tribuit, quod antea nemini qui similis eius esset, cõtigerat, eúmque consiliarium ac ministrum in rebus omnibus cepit. Postquã Tiberius consulare dignitatẽ cũ Druso adeptus est, statim pleriq; omnes ex eo mortẽ Druso prædixerũt. Nemo enim fuit eorũ qui cũ Tiberio cõsulatũ gesserũt, qui infœliciſsima morte nõ obierit. Siquidẽ Quintilius Varus, Cneus Piso, atq; adeò Germanicus miserè perierũt, ídque ei fato quodã videtur contigisse. Drusus quidẽ eo tẽpore & Seianus, postea cùm collegæ eius fuissent, mortui sunt. Cùm autẽ abesset ab Vrbe Tiberius, Caius Lutorius Priscus eques Romanus, ac poeticæ imprimis peritus, qui Germanici epitaphiũ cõposuerat, ob eámque rẽ magnã pecuniã acceperat, accusatus

Galbæ principatum præuidit Tiberius.

CCL. Myriades drachmarum.

Seianus prætorianos umẽ in locum congregauit.

eſt contra Druſum ægrotantem carmen ſcripſiſſe. Quamobrẽ cùm damnatus à ſenatu, occiſus eſſet, Tiberius moleſtè tulit, non quòd eſſet affectus ſupplicio, ſed quòd ſenatus aliquem interfici iuſſiſſet non cognita ſua voluntate. Itaque increpatis patribus iuſſit vt decernerent, ne de iis quos ipſi damnauiſſent, intra decem dies ſupplicium ſumeretur, néve decretum quod de capite alicuius eſſet factum, intra idem tẽpus publicaretur, quò poſſet abſens decreta eorum intelligere, eáque, an iure facta eſſent, cognoſcere. Poſt hæc functus conſulatu, atque in vrbem reuerſus, vetuit conſulibus ne quenquã in iudicio defenderent. Nam ego, inquit, ſi conſul eſſem, id non facerem. Cùm autem vnus ex prætoribus argueretur contra eum impiè dixiſſe aliquid aut feciſſe, ac poſtea de curia deceſſiſſet, reuerſúſque relicta veſte magiſtratus, petiiſſet, vt ſtatim veluti priuatus accuſaretur: id Tiberius vehementer doluit, eúmque nullo damno affecit. Saltatores autem Roma expulit, vetuítque vt eam artem nuſquam exercerent, quòd notarent ac vituperarent mulieres, & quòd ſeditiones concitarent. Pleroſque qui exceſſerant è vita, ſtatuis ornauit & publicis monumentis. Seiano quidem viuenti ſtatuam æneam in theatro collocauit, eiuſdémque ſtatuæ multæ poſtea à multis factæ ſunt: éſtque apud populum & in ſenatu maximis laudibus affectus. Hunc Seianum conſules nedum cæteri clari viri domum prima luce ſemper veniebant ſalutatum, cum eóque communicabant omnia, quæ priuatim eſſent à Tiberio petituri: itémque ea quæ publica erant, de quibus Tiberium reſpondere oportebat. omnino enim nihil eiuſmodi abſque Seiano gerebatur. Per id tempus cùm Romæ porticus maxima in alteram partem inclinaret, eam quidam architectus contra omnium opinionẽ erexit, cuius nomen propterea ignoratum eſt, quòd Tiberius permotus inuidia rei admirabilis, id ſcribi in annalium monumentis noluit. Is igitur quiſquis fuit, fultis vndique fundamentis porticus, ne moueretur, ac ſuperiore parte eius velleribus ouium & craſſis veſtimentis cincta, & circunligata funibus, eam adhibitis multis hominibus & machinis in priſtinum locum reſtituit. Tiberius hominem admiratus ei inuidit: cui quanquam ob id factum pecuniam largitus eſt, tamen eum ex Vrbe per inuidiam expulit. Is aliquanto tempore poſt ad Tiberium reuertitur, atque interim dum eum vehementer obſecrat, conſultò poculum vitreum quod gerebat clam, de manibus abiicit, fractúmque primò & colliſum, mox integrum illæſúmque in ſuis manibus oſtendit, cúmque

Vetuit, ne de damnatis ſupplicium intra decem dies ſumeretur.

Saltatores expulſi.

Honores habiti Seiano.

ob eam rem ſe veniam cõſecuturum putaret, eum Tiberius interfici iuſſit. Druſus filius eius veneno ſublatus eſt. Nam cùm Seianus propter potentiam & dignitatem quam obtinebat, cætera omnia faceret petulantius atque inſolentius, tandem ſe ita contra Druſum conuertit, vt cum eo pugnis aliquando certauerit. Quocirca eum metuens Tiberiúmque, ſimul ſperans, ſi adoleſcentem de medio ſuſtuliſſet, ſe facillimè arbitratu ſuo ſenem eſſe tractaturum, Druſo venenum dedit, vſus opera famulorum eius, vxoríſque (ea Liuilla à quibuſdam nominata eſt) cum qua Seianus antea adulterium commiſerat. Huius facinoris culpa penes Tiberium fuit, quòd Druſo ægrotante mortuóque, nihil fecit præter conſuetudinem, nec aliis, vt facerent, permiſit. Quæ ratio ideo mihi non probatur, quòd eodẽ modo ſe gerebat erga reliquos omnes, quódque erga Druſum vnicum filium, & certè legitimum valde affectus erat, & quòd ſtatim de iis qui eum necauiſſent, poſtea ſupplicium ſumpſit, venítque in ſenatum, & filium, vt par erat, laudauit. Vetuit Tiberius ne ii quibus aqua & igni interdictum eſſet, teſtamentum facerẽt, quod etiam obtinet hiſce temporibus. AElium verò Saturninũ, à quo carmina quædam in ipſum ſcripta erant minus commodè, reum factum in ſenatu, captúmque iuſſit è Capitolio præcipitari. Memorare poſſem complura eiuſdem generis, ſi vellem omnia perſequi. ſed in ſumma permulti homines ex huiuſmodi cauſis ab eo interfecti ſunt. Id verò prætereundum non eſt, Tiberium ſingula diligenter inueſtigare quæ ſibi homines exprobrarẽt, eáque comperta contra ſe patefacere cõſueuiſſe. Etenim ea quæ nonnulli ſecretò collocuti eſſent, ea ipſe ita dictitabat palàm, vt poſtea in publicis commentariis ſcriberẽtur: præterea quò videretur iraſci iuſtius, ea ſæpe quæ nemo dixerat, ſed quorum erat ſibi conſcius, dicta eſſe mentiebatur. Ex quo fiebat vt cõtra ſe delinqueret in iis, propter quæ alios vt impios puniebat. Hãc ob cauſam ridiculus erat, cùm ea quæ rei ſe negabant dixiſſe, ipſe dicta eſſe confirmans, iuránſque, ſibi verius iniuriam faceret. Qua ex re eum non eſſe ſanæ mentis plerique arbitrati ſunt: neque tamen demens eſſe propterea omnino putabatur, cùm cætera adminiſtraret ſapiẽter. Senatori enim qui petulanter & luxurioſè viuebat, curatorẽ dedit non ſecus ac pupillo: & Capitonem qui procurator fuerat in Aſia, detulit ad ſenatum, eúmque accuſatum quòd milites habuiſſet, feciſſétque multa, quaſi præeſſet ei prouinciæ, cum imperio in exiliũ miſit. Nam illis quidẽ temporibus nihil amplius licebat iis qui-

Venenũ Druſo à Seiano datum.

Teſtamenti factio prohibita iis, quibus aqua & igni interdictum eſt.

Tiberius non eſſe ſatis ſanæ mentis exiſtimatus.

bus cura pecuniæ Principis mandata erat, quàm redditus legitimos colligere: iudicabãtúrque eorũ controuerſiæ in foro, atque ex iure ciuili pariter cum cauſis priuatorũ ciuium. Itaque in rebus à Tiberio geſtis magna fuit varietas, magna inconſtantia. Poſtquàm decem anni præterierunt, etſi nõ petiuit principatum confirmari ſenatuſconſulto, nec enim opus erat, propterea quòd non repudiabat eum, vt Auguſtus, tamen celebratus eſt conuentus ille publicus & celebris, qui decimo quoque anno fieri conſueuerat. Cremulius autem Cordus, quòd Seianũ offendiſſet, manus ſibi afferre coactus eſt, nã cùm eum Tiberius non poſſet reum facere alicuius ſceleris (erat enim iam ſenex, vixerátque ſemper honeſtiſſimè) propterea condemnauit, quòd in hiſtoria quam olim de rebus geſtis ab Auguſto cõpoſuerat, & quã Auguſtus ipſe legerat, Caſſiũ & Brutũ laudauiſſet, & ſenatum populúmque Romanũ reprehendiſſet: quódque Cæſarẽ & Auguſtum, etſi nihil contra eos ſcripſerat, tamen nõ ornauiſſet ſummis laudibus. De iis enim rebus accuſatus occiſus eſt: atque ſcripta eius in vrbe quidẽ ædiles cremauerunt, foris autem præfecti ſingularũ ciuitatum: quæ tamen poſtea rurſum in lucẽ ædita ſunt: fuerãt enim & ab aliis multis, & à Martia filia eius occultata: ac tum propter Cordi calamitatẽ multò cœpere legi ſtudioſius. Eodẽ tẽpore Tiberius prætorianos milites corã ſenatoribus, tanquã vires eorum ignorarent, curauit exerceri, vt ſe magis timerẽt, animaduerſa eorũ multitudine & viribus. Quæ cùm illis tẽporibus facta fuerint, & hiſtoriæ mãdata. Cyzicenis, quòd ciues aliquot Romanos tenuiſſent in vinculis, nec ſepulchrũ quod Auguſto ædificare incœperãt, abſoluiſſent, libertas iterũ erepta eſt. Cùm autẽ quidam ſimul cũ ædibus ſuis ſtatuã Tiberii vẽdidiſſet, eũ Tiberius ob hãc cauſam cõdemnari iuſſiſſet atque interfici, niſi primus eſſet à Cõſule ſententiam rogatus. nã ita affectus pudore, ne in rẽ ſuam dicere videretur, reũ ſua ſententia liberauit. Sed cùm Lentulus ſenator, homo ſuaui ingenio & modeſto, ac iam grandis natu, accuſatus principi inſidias feciſſe, accuſatores (aderat enim præſens) vehemẽter irrideret, Tiberius, quòd ob eam cauſam cõmotus fuiſſet ſenatus, Siquidẽ, inquit, me Lentulus odit, hac luce me indignũ puto. Itaq; Roma profectus eo tẽpore, nunquã in Vrbẽ reuerſus eſt, licet ſe venturũ ſemper polliceretur. Retiarius verò quidam amicus & familiaris Sabini viri primarii in Vrbe, vt Seiano rem gratã faceret, Sabinũ domũ ſuã in qua habitabat, introduxit, nõnullis ſenatoribus ſub tecto eius occultatis, cœpítq; ibi cũ eo cõferre ſermones, eúmq; paulatim pellicere, quibus rationibus

Primum decẽnium Tiberij.

Cordi hiſtoria.

Cyzicænis libertas erepta.

Lentuli dignitas apud Tiberium.

cõſueuerat, vt omnẽ animi ſui ſentẽtiam explicaret. Solẽt enim calũniatores principio alteri maledicere, ac quædã eius arcana patefacere, vt eos accuſent poſtea, qui ſe maledictis nõ abſtinuerint. Itaq; illi, quaſi id cõſultò faciãt, tutò loquũtur & ſine periculo. nõ enim ita ſentire exiſtimãtur, ſed propterea obtrectare, quòd alios captare & coarguere velint: hi, ſi paulò dixerint aliter quàm deceat, puniũtur ſubitò, vt tũ accidit. Nã Sabinus eodẽ die cõiectus in carcerẽ, poſtea eſt indẽnatus occiſus, corpúſq; eius è ſcalis præcipitatũ, in flumẽ proiectum eſt. Hũc caſum grauiorẽ fecit canis eiuſdẽ Sabini, qui cum eo vnà in carcere fuit ſemper, nec reliquit mortuum, quíq; ſe ad extremũ in flumen coniecit. Iiſdem temporibus Liuia annum agens ſextum & octuageſimum mortua eſt. Eam Tiberius non viſitauit ægrotantem, nec exequias funeris eius proſecutus eſt, nullóſque honores ei tribuit præter funus publicum, ſtatuáſque, aliáque nonnulla quæ nihil habere momenti videbantur, vetuítque palàm ne immortalitate donaretur. Huic ſenatus nõ ſolùm decreuit ea quæ Tiberius mandauerat, ſed etiam cenſuit, vt eam matronæ annũ lugerent, laudato imprimis Tiberio quòd ne tum quidẽ Reipublicæ curã omitteret, arcúmque ei decreuit, quod antea fœminæ acciderat nunquã, propterea quòd multos ſenatores conſeruauiſſet, educaſſétque eorum liberos, ac complures filias eorum in matrimonium collocauiſſet. Quas ob res nõnulli Liuiã matrem patriæ appellauerunt, eáque in monumento Auguſti ſepulta eſt. Multa ab ea ſapienter dicta referuntur, quæ vocantur ἀποφθέγματα. Nam cùm nudos homines qui ſibi facti erãt obuiã, mori ob eam cauſam oporteret, dixit eos matronis quidem honeſtis & continentibus, nihil à ſtatuis differre. Cúmque interrogaretur, quibus rationibus Auguſtũ ſibi ſubieciſſet: reſpondit multa modeſtia, quòd ea quæ placerent Auguſto, faceret libenter, quódque ſe ſcire diſſimularet, quibus ille rebus venereis domi frueretur: talis enim Liuia fuit. Cæterùm arcus qui Liuiæ decretus fuerat, nõ eſt ædificatus, propterea quòd Tiberius promittebat ſe eum ædificaturum ſuis ſumptibus. nam decretum quod aperta oratione non erat auſus reſcindere, hoc pacto irritum fecit. nec enim opus fieri permiſit pecunia publica, nec ipſe fecit ſuis ſumptibus. Tum Seianus efferri cœpit inſolentius, decretúmque eſt à ſenatu, vt natalis dies eius publicè celebraretur. Statuarum verò multitudinem quas ei ſenatus, equeſtris ordo, tribus omnes, & primarii viri poſuerunt, numerare certè nemo poteſt. Senatus enim legatos ſeparatim, itémq;

Calumniatores.

Canum fides.

Liuiæ mors, eiúſque uitæ annus.

Liuiæ apophthegmata.

Natalis dies Seiani publicè celebratus.

equites & plebs ipſa ex tribunis ſuis & ædilibus ad vtrunque mittebant: de vtroque vota faciebant: ſacrificabant vtrique, & per vtriuſque fortunam pariter iurabãt. Interea Tiberius Gallum qui vxorem eius duxerat, quíque fuerat liberè de principatu locutus, nactus occaſionem perdidit. Nam cùm ad ſe legatus veniſſet, ei conuiuium fecit, eúmque excepit perhumaniter, mox contra eundem ad ſenatum ſcripſit, ita vt acciderit ei res quædam admirabilis, & quam nemini video adhuc contigiſſe. Nam quo die cœnabat apud Tiberium, eíque propinabat amicè, cõdemnatus eſt à ſenatu, vt cùm eſſet prætor futurus, in exilium mitteretur. Cúmque id Tiberius feciſſet, tamen ei mortem obire cupienti, cognito decreto ſenatus, non permiſit, ſed eum, quò magis affligeretur, iuſſit bono animo eſſe, vtque ſolutus à vinculis in cuſtodia teneretur, quouſque ipſe in Vrbem veniret, ídque, vt paulò antè dixi, vt hac ignominia affectus & perculſus metu, diutiſſimè miſer & calamitoſus eſſet. ídque factum eſt. Semper enim cuſtodiebatur à conſulibus, cùm non eſſet Tiberius conſul: tum autem à prætoribus, non vt ne fugeret, ſed vt ne ſibi manus afferret: cũ eo nullus amicus, nullus famulus verſabatur, loquebatur nemini, videbátque neminem, niſi quoties cibũ capere cogeretur. Cibus verò eiuſmodi erat, vt non ei voluptatem afferret, non vires eius reficeret, & quod erat omnium grauiſſimum, eum non ſineret mori. Id Tiberius ſæpenumero in multis aliis fecit. nam cùm teneret amicum cõſtrictum vinculis, ſermóque de ſupplicio & morte eius incidiſſet, negauit ſe ei adhuc eſſe recõciliatum. Cúmque magnis tormentis quempiam alium affeciſſet, deinde cognouiſſet eum nõ iure accuſatum eſſe, mox interfici iuſſit, dixítque eum grauiorem iniuriam accepiſſe, quàm vt poſſet benè beatéque viuere. Syrianus verò qui nullam ei iniuriam fecerat, homo doctus & eruditus occiſus eſt, quòd Tiberius diceret eum Galli amicum & familiarem eſſe. Seianus autem indies augebatur, & valde formidoloſus erat, quem cùm Senatores cæteríque quaſi imperatorem ſequerentur, & Tiberium paruifacerent, Tiberius metuens ne apertè eum deſignarent imperatorem: etſi non putauit omnino eam rem contemni aut negligi oportere, tamen nihil egit apertè, propterea quòd intelligebat Seianum imprimis ſibi deuinxiſſe prætorianos milites, ac ſenatores partim beneficiis, ſpéque bona iniecta, partim timore ſibi coniunxiſſe: præterea Tiberii familiares omnes vſque adeò ſibi feciſſe beneuolos, vt omnia dicta eius factáve ſubitò ipſi renuntiarent: quæ

Seianus.

autem ipſe faceret, ea nemo ad Tiberium perferret. Itaque Tiberius aliam ſibi rationem eſſe ineũdam ratus, maturauit eum deſignare conſulem, vocaréque ſocium & participem conſiliorum ſuorũ. ſæpe ita dicere, Seianus meus, Scianus inquã meus, ídque ſcribere in literis quas Senatum aut ad populum mittebat. Quibus rebus homines credentes decepti'que, vtrique in locis omnibus ſtatuas æneas pariter ponebant, vtriuſque nomẽ pariter inſcribebant, vtrique ferebant ſellas aureas in theatra, factúmque eſt ſenatuſconſultum, vt ambo ſimul deſignarentur conſules in quinquennium, faciebántque ſacra ſtatuis eius, non aliter quàm ſtatuis Tiberii. Rebus Seiani in hunc modum ſuccedentibus, complures alii nobiliſſimi & clariſſimi viri interfecti ſunt. In eorum numero fuit Caius Rufus Geminius, qui cùm eſſet impietatis in Tiberium accuſatus, tabulas teſtamenti ſui attulit in Senatum, in quibus filios ſuos & Tiberiũ hæredes faciebat ex æquis partibus: tamẽ accuſatus quòd mollis & effœminatus eſſet, domum reuertit, antequàm aliquid decerneretur. Pòſt vbi intellexit quæſtorem adeſſe ad renuntiandam ſententiam, qua fuerat cõdemnatus, ſe ipſe percuſſit, ac vulnere quæſtori demonſtrato, Refer, inquit, ad Senatũ fortes viros hoc modo mortem oppetere. Huius vxor Publia Priſca rea facta alicuius ſceleris, in Senatum venit, ibíque pugione quem ſub veſte condiderat, ſe ipſa interemit. Seianus autem in tantam arrogãtiam venerat propter magnitudinem poteſtatis, vt diceret aliquãdo ſe Imperatorem, Tiberium inſulæ cuiuſdam principem videri, quòd inſulam incoleret cui Capreæ nomẽ eſt. Ad Seiani fores frequentes homines aſſiſtebant, dimouebántque ſe mutuò de loco & expellebant, quòd metuerent ne aut ab eo non cõſpicerentur, aut ne viderentur in poſtremis eſſe, quòd ille obſeruaret cuncta diligentiſſimè, atque in primis verba nutúſque primariorum hominum. Vt enim ii qui eam dignitatem obtinent quam merentur, non magnopere poſtulant honores ſibi ab aliis exhiberi, neque ſi quid ab illis prætermiſſum aut peccatũ fuerit, reprehendunt, ſibi enim conſcii ſunt ſe non contemni: ita qui ſubſidium ſibi comparant ad decus atque ornamentum, ſtudioſè quærunt omnia quæ ſpectãt ad augendam dignitatem, quæ ſi nequeunt aſſequi, moleſtè ferunt, quaſi illudi videantur: doléntque, quaſi ſint magnis iniuriis laceſſiti. Ex quo fit vt maior cura adhibeatur in fouendis eiuſmodi hominibus, quàm in ipſis Imperatoribus ambiendis. Nam hi ſeruare ſe dignitatem ſuam putãt, & virtutem colere, cùm ſcelerum pœnas

Publia Priſca ſe interemit in Senatu.

Nobilium & ignobilium differentia.

prætermittunt: illi dum ignoſcunt, exiſtimant argui ſuam imbecillitatem: dum autem puniunt, tum demum potentiam ſuã intelligi & confirmari putant. Sed cùm Calendis quibuſdã frequentes domi Seiani conueniſſent, lectus poſitus in aula, vbi ſalutabatur, propter multitudinem ſedẽtium fractus eſt, feleſque exiens tranſiuit medius. Cúmque Seianus deſcenderet in forũ, peractis ſacrificiis in Capitolio, ſatellites eius ea via quæ eſt ad carcerem, profecti, quòd tum propter multitudinem hominũ conſequi non poſſent, corruerunt ad ſcalas, è quibus damnati præcipitabãtur. Seianus ob hanc rẽ egit auſpicia, in quibus nullæ aues proſperæ, ſed corui multi circum eum volare & canere, deinde aduolare domum eius, & ſuper eam conſidere viſi ſunt: quæ auguria tamen nec Seianus curare, nec quiſquam alius. nã ſiquis deus ex iis rebus quæ tum videbantur, certò prædixiſſet tantam mutationem futuram, ei fidem habuiſſet nemo. Tum enim plerique fortunam eius iurabãt, eúmque Tiberii collegã appellabant non in conſulatu, ſed in orbis terræ imperio. Quæ cùm nõ ignoraret Tiberius, conſultarétque, quo pacto eum interficeret, nec quemadmodum id faceret palàm tutò reperiret, rationem admirabilem Seiano cæteríſque omnibus inire cœpit, quò perſpectos animos eorum & cognitos haberet: multa enim de ſe ad Seianũ, atque ad Senatũ crebrò ſcribere, interdũ dicere ſe grauiſſimo morbo laborare, & in mortis periculo verſari, nonnunquã optimè valere, ſéque Romam propediem eſſe venturũ. Seianum tum extollere, tum maximè deprimere, nõnullos ſocios eius, ipſius cauſa honore, nõnullos dedecore afficere. Quibus rebus Seianus partim elatus, partim depreſſus, ſuſpẽſus ſemper & incertus erat. non ei veniebat in mentem timere, ac proinde rés nouas moliri, erat enim in honore: nec rurſum vſque adeò confidere, vt ageret aliquid audacius, ſiquidem impediebatur. Cæteri, cùm viciſſim ac paruo temporis interuallo audirent contraria, non amplius Seianum admirari, nec eum omnino contemnere, ſuſpicaríque Tiberium aut breui tempore moriturum, aut eſſe in Vrbem vẽturum: itaque dubii omnes & incerti eſſe. Perturbabatur his rebus omnibus Seianus, ac multo magis, quòd ex ſtatua ipſius fumus prodierat, abſciſſóque eius capite vt cauſam cognoſcerent, magnus inde ſerpens proſiluerat: cúmque eidem ſtatuæ ſubitò alterum caput repoſitum eſſet, atque propter eam cauſam ſibi ipſe ſacrificare ſtatueret, ſibi enim ſacra facere ſolebat, funiculus in collo eiuſdẽ ſtatuæ religatus repertus eſt. Hîc Seianus multo magis contemni

Prodigia Seiani mortem præcedentia.

Scalæ Gemoniæ.

temni cœpit, manifeſtéque deſeri, & abiectus eſſe. Qua re Tiberius confiſus, ſperánſque ſe populum & ſenatum ſocios habituros, hominem inuadit ſparſis rumoribus, ſe ei tribunitiam poteſtatem daturum, quò eum maximè imparatum offenderet. Interim contra eum ſcribit ad ſenatum: literas dat Næuio Sertorio Macroni, quem virum ſtipatoribus ſuis ſecretò præfecerat, docuerátque, quid ſe facere oporteret. Is vbi nocte quaſi ob alias cauſas Romam venit, mandatis quæ à Tiberio habebat, cum Memmio Regulo conſule (nam eius collega fauebat Seiano) & cum Gracino Lacone præfecto vigilum communicatis, prima luce palatium conſcendit (erat enim futurus ſenatus in templo Apollinis) ibi Seiano qui nondum ingreſſus erat, fortè fit obuiam, quem vt videt perturbatum, quòd Tiberius nihil ad ſe ſcribat, eum conſolatur, dicit ſecretò ſe ei tribunitiam poteſtatem afferre. Ea re lætatus Seianus in Curiam ingreditur: Macro prætorianos qui apud Seianum & Senatũ erant, in caſtra mittit, patefacta eis ſua poteſtate, oſtenſiſque literis Tiberii, in quibus Tiberium nonnulla eis largiri ſignificabatur, pro his excubias circum templum diſponit, dein ipſe ingreditur: mox datis literis conſulibus, exit antequàm legantur, præcipítque Laconi, vt ibi cuncta tueatur, ipſe in caſtra, nequa ſeditio fiat, proficiſcitur. Recitantur lõgæ literæ in ſenatu, in quibus nihil erat perpetuum contra Seianum. Harum principium erat de aliis rebus ſcriptum: ſubſequebatur breuis contra eum expoſtulatio, pòſt alia quædã diuerſa: rurſum in Seianum aliquid: ad extremũ ſcribebat in duos ſenatores familiares Seiani animaduerti oportere, ipſum eſſe in cuſtodia retinendum. nihil enim apertè de morte eius ſcripſit, veritus ne tumultus ob eam cauſam cõcitaretur. Quæ literæ cùm eſſent eiuſmodi, multa, eáque interſe varia audire licebat ac videre. Nam principio antequàm literæ legerentur, omnes Seianum laudabant, acclamabatúrque ab omnibus, ſe iam ea quæ diu ſperauerant, adeptos eſſe: pòſt vbi nihil horum eſt in literis inuentum, atque omnia contra expectationem audita ſunt, dubitare omnes, mœrere, & conturbari: nonnulli quoque qui vnà cum eo confederant, ſurgere: prætores & tribuni plebis eum circũſtare, ne fortè proſiliens foras, cõcitaret aliquid atque commoueret, id quod initio feciſſet, ſi graui aliqua fuiſſet oratione perterritus: ſed dum ea quæ recitabantur, contemneret vt leuia, nec metueret quicquam, niſi de ſe grauius ſcriberetur, non exceſſit è loco. Interim Regulus eum ad ſe vocat, is primò non paret, nec id facit ſuper-

Næuius Sertorius Macro.

Gracinus Lacon præfectus vigilum.

bia (iam enim erat humilior) ſed quòd non conſueuerat imperata facere. Conſul eum iterum ac tertiùm vocat, porrectáque manu, Huc ades, inquit, Seiane. Tum ille, Mé ne, inquit, vocas? ita tandem ſurgit, & ad Conſulem pergit, eúmque Laco conſequitur. Perlectis literis, cœpere omnes vno ore contra eum vociferari atque ei maledicere, non ſolùm ii qui ab eo iniuriam acceperant, ſed etiam ii qui eum metuebãt antea: plerique diſſimulabant conſuetudinem & amicitiam quam cum eo habuerant: multi iſta commutatione lætabantur. Regulus educit eum extra Curiam, comitatúſque reliquis magiſtratibus in carcerẽ perducit. Ex quo intelligi debet imbecillitas rerum humanarum & inconſtantia, nec nos vnquam vllo pacto extolli oportere. nam quem omnes manè vt potiorem ſe comitati fuerant in ſenatum, eum paulo pòſt in carcerem trahebant vt abiectum & nefarium hominem: & cui coronam paulò antè dederant, eundem poſtea vinculis conſtringebant: quémque antea ſatellites ſtipabant vt dominum, eum deinde vt fugitiuum cuſtodiebant. Hîc plebs commota irridere & vociferari cœpit propter eos qui ab eo interfecti fuerant, eíque propter ea quæ ſperauerat, illudere, omnéſque eius ſtatuas deturbare, affligere, cõminuere, diſſipare, tanquam eo pacto vulnus homini infligeret. Ex quibus rebus omnibus Seianus iam tum poterat præuidere, quid ſibi eſſet euenturum. Nam non multò pòſt decreto ſenatus è ſcalis præcipitatus eſt, plébſque corpus eius triduo magnis opprobriis affectum, tandem in flumen proiecit, & liberi eius ſenatuſconſulto ad mortẽ ducti ſunt, filia virgine quæ filio Claudii deſpõſa fuerat, prius à plebe interfecta, quòd nefas eſſet virginẽ in carcere necari. Tũc in Vrbe magnus tumultus cõcitatus eſt. Plebs enim occidere properabat eos quos intelligebat plurimũ apud Seianum potuiſſe, atque eius authoritate fultos, ſæpe multis iniuriam feciſſe: milites dolere, quòd in ſuſpicionẽ veniſſent Seiani beneuolentiæ, quódque ſibi vigiles in fide erga Imperatorem præpoſiti eſſent, ob eámque rem facere incendia & rapinas. Senatus decreuit locari in foro ſtatuam Libertatis, atque eum diem quo mortuus erat, celebrari certaminibus equorum & belluarum cædibus annuis, quod antea factũ erat nunquam: atque vt nemini in poſterum honores immoderati tribuerentur: néve per alium quàm Imperatorem iuraretur. Quibus decretis factis nihilominus Macronem paulò pòſt & Laconem obſeruare & colere cœperunt, quanuis hi proximo exemplo perterriti, ampliſſimos honores repudiarent. Tibe-

Rerum humanarum mutatio.

Virginem in carcere necari nefas erat.

Dies necis Seiani celebratus.

rius nactus occasionẽ ex Seianis delictis, magnum numerũ hominum sustulit, quos partim tradidit in manus carnificũ, partim afferre sibi manus coegit. Erat idonea causa ad accusandũ, Seiano amicum fuisse, aut fuisse videri, quasi verò Tiberius eũ non dilexisset plurimum, aut ipsius causa cæteri studiosi eius non fuissent. Sed in hac tam magna crudelitate tamen visus est aliquid humaniter agere, quòd Cassiano & Lucio Seiano prætori, ac Marco Terentio equiti pepercit. Hic Seianus in cõtumeliam Tiberii spectaculum per caluos homines præbuerat vsque ad vesperum. erat enim Tiberius caluus. Præterea abeuntibus ex theatro à quinque millibus puerorum, qui omnes rasi erãt, lumina præferri curauerat. Qua de re Tiberius non modò iratus non est, sed etiam principiò se intellexisse dissimulauit ea quæ sibi de iis rebus nunciata essent. Ex eo tẽpore calui omnes Seiani dicti sunt. Terentius verò reus factus propter amicitiam Seiani, non solùm eam non negauit, verùm etiam se studiosum eius fuisse dixit, eúmque coluisse maximè, propterea quòd apud Tiberium in magno honore haberetur. Nam si Tiberius, inquit, rectè fecit vtens eo familiariter, ego certè nihil peccaui: quòd si errauit Imperator omnium rerum peritus, quid mirũ si ego vnà cum eo errore ductus sum? quandoquidem nos decet amare & reuereri eos quos ille afficit honore, nec quales sint, inuestigare curiosius, sed hac vna regula metiri eorum beneuolentiam, si Principi grati sint. Itaque senatus non modò liberauit Terentium, sed etiam accusatores acerbè increpauit. Tiberius comprobata hac sententia senatus, magnis laudibus affectus est, præsertim quòd vno die istos insignes delatores occidi iussit. Cæterùm dedecore atque infamia opprimebatur, quòd amore nobilissimorum puerorum pariter atque fœminarum captus esset, cuius rei vnum tantummodo exemplũ ponam. Marcus Sextus amicus eius erat, ob eámque rem adeò magnas opes & potentiam sibi comparauerat, vt cùm aliquã do vicino suo infensus fuisset, eíque biduum conuiuium fecisset, ac primo quidem die villam eius esset demolitus, postridie verò ampliorem magnificentiorémque ædificauisset, ignoranti domino, à quibus id esset factum, vtrunque confessus dixerit, se eo pacto homines vlcisci & remunerari posse. Is ergò filiam suam pulcherrimam fœminam aliò misit, ne Tiberius eam vitiaret, quanquam ipse cum eadem filia rem habuisse accusatus, simul cũ ea occisus est. Tiberio nepos erat ex filio Druso Tiberius adhuc puer: alter ex Germanico, nomine Caius, cui futu-

Spectaculum per caluos in contumeliam Tiberij à Seiano exhibitũ.

Terẽtij excusatio elegans.

Delatores occisi.

Marci Sexti diuitiæ, & egregium factum.

ro Imperatori magis fauebat, quòd sciret ea quæ ad vtrunque pertinerent. Nam Caio, cùm is aliquando cum Tiberio dissideret, fertur dixisse: Tu, inquit, hunc occides: alius te. Cúmque non haberet sibi propinquitate coniunctiorem, sciretque eum pessimum & sceleratissimum fore, libenter ei, vt aiunt, imperium reliquit, quò memoriam scelerũ suorum maioribus Caii sceleribus obrueret, vtque maxima atque nobilissima pars senatus post mortem suam necaretur. Sæpe enim dictum illud vetus fertur vsurpasse,

Cur Tiberius reliquit imperium Caio.

Ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί, ME MORTVO, TERRA CVM IGNI MISCEATVR. Sæpenumero Priamum fortunatum dixisse, quòd ei vnà cum patria & regno perire contigisset. Quæ de eodem Tiberio verè licet scribere ex iis quæ tum acciderunt. Tam magna enim multitudo senatorum interiit, & reliquorum hominũ, vt magistratus prouincias quas sortiti fuerant, prætorii quidem viri triennium, consulares autem sex annos penuria successorum obtinerent. Gallus fuit in eorum numero qui mortui sunt. Tum enim Tiberius ei, vt dicebat, vix tandem reconciliatus est. Ita ille præter consuetudinem aliorum, vitam supplicii, mortem beneficii loco ducebat. Marcus quoque AEmilius Scaurus, nullo scelere admisso captus ob tragœdiam quam composuerat, in eundem quẽ scripserat casum incidit. Atreus poemati nomen erat, in eóque cohortabatur ad exemplum Euripidis eum, qui foret sub imperio, vt principis stultitiam ferret. Qua re cognita, Tiberius rem omnem ad se spectare arbitratus, séque propter cædes factas intelligi Atrei nomine, dixit se Scaurum Aiacem facturũ, id quod euenit. nam ipsum eò deduxit, vt sibi mortem afferre cogeretur: non tamen de hac re facta est accusatio, sed quòd Liuillæ stuprum intulisset. multi enim ob hanc causam supplicio affecti sunt. Eodem anno, si quid res AEgyptiorum ad Romanos pertinent, Phœnix in AEgypto visa est, ea Tiberio mortem denũciare putabatur. Etenim sequenti anno grauiter ægrotauit: cui Caius, metuens ne conualescceret, postulanti cibum nõ suppeditabat, quod ei diceret obfuturum, quódque assereret eum caloris indigere, ita multis & grauibus vestimentis cooperiebat, vt eum suffocauerit. Macro in hac re Caio præstabat operam, ac propter grauissimũ morbum Tiberii adolescẽtem fouebat, eiúsque animum ad amorem Enniæ Thrasyllæ vxoris suæ pellexerat. Quam rem cùm Tiberius aliquãdo suspicatus esset, Tu quidem, inquit, Macro occidentem deseris, & ad orientem fe-

M. AEmilius Scaurus propter Tragœdiam, cui nomen erat Atreus, occisus est.

Phœnix uisa in AEgypto, quo anno Tiberius mortuus est.

ſtinas. Itaque Tiberius homo magnis virtutibus præditus, coopertúſque ſceleribus, ac ambobus pariter vſus, quaſi tantum in alterutro ſe exercuiſſet, mortuus eſt. Vixit annos ſeptuaginta ſeptem, menſes quatuor, dies nouẽ. Regnauit annos viginti duos, menſes ſeptem, dies quinque: publica ſepultura affectus, & à Caio laudatus eſt.

Caius Caligula.

CAius factus Imperator, tabulas teſtamenti Tiberii miſit ad ſenatum, eáſque irritas fecit, quòd Tiberius eo tempore ſanæ mentis non fuiſſe videretur. Nam Tiberium nepotem ſuum puerum adhuc, cui ne ius quidem erat introire in ſenatum, Imperatorem vnà cum Caio deſignauerat, eundémque Tiberium paulò pòſt ſuſtulit. Reſtituit ſaltatores, cœpítque in eos, equóſque ac gladiatores ita magnos & effuſòs ſumptus facere, vt maximos theſauros breui tempore conſumpſerit, in quibus cùm inueniſſet aureorum ducenties tricies centena millia, ea ante annum tertium dilapidauit. Adulter præter cæteros homines fuit. nam mulierem iam deſponſam viro eripuit, & complures alias nuptas, iámque cum maritis habitantes abduxit, eáſque omnes poſtea præter vnam odio habuit, cui etiam inimicus fuiſſet, ſi vixiſſet diutius. Impius fuit plus quàm dici poſſit in auiam & ſorores. Nam & illam à qua fuerat aliquando increpatus, eò deduxit vt ſibi mortem voluntariam afferret: & duas ſorores quibus ſtuprum intulerat, in inſulam relegauit: tertia obierat antea. Adeò verò inconſtans erat, & difficilis in rebus gerendis, vt nemo ſciret, quid ſe apud eum dicere aut facere oporteret: quòd ſi quid illis proſperè ſucceſſiſſet, id magis eueniebat fortuna quàm conſilio. Solebat hominum frequentia delectari, mox amare ſolitudinem: iraſci, cùm quid ab ſe peteretur: ſæpenumero, cùm nihil eſſet petitum, ſuccenſere: accedere ad res gerendas celerrimè: in quibuſdam negligentiſſimus eſſe: prodigus in profundenda pecunia: in quærenda ſordidiſſimus. Aſſentatoribus & liberè loquentibus hominibus pariter ſuccenſe-

Theſaurus Caii.

Quinque myriades myriadum, Septem millia ſeptingentæ myriades drach.

Stuprum illatũ ſororibus.

re, & delectari: multos sceleratos homines impunitos relinquere: multos bonos viros interfici iubere: animaduertere in amicos, eisq; grauissimas iniurias afferre. Itaq; populus Romanus postquã venit in huiusmodi Imperatoris potestatem, existimare cœpit Tiberii facta, quæ alioqui crudelissima visa fuerãt, tantũ à Caio superari, quantum illa à rebus ab Augusto gestis discrepauerãt. Igitur Caius primò seruire cœpit saltatoribus & scenicis hominibus, Apellémque Tragœdum celeberrimũ publicè secũ habere: progrediente verò tẽpore eorum etiã facta æmulari, cũ iisque contẽdere, currus agitare, descẽdere in certamen gladiatorũ, denique saltare, & tragœdias agere. Iussit enim aliquando de nocte accersiri diligẽter principes senatus, tanquã de rebus necessariis ab iis esset consilium capturus: pòst vbi cõuenerunt, saltauit: sed initio senatũ modestè alloquebatur, promittebátque se cum eo communicaturũ imperium, filiúmque atque alumnum eius se esse dicebat. Natus erat annos quinque & viginti, mensibus quinque & diebus quatuor exceptis. Eos autem qui erant in carcere, liberauit: in quorum numero fuit Quintus Pomponius, qui iam septem annos, postquã gessérat consulatum, in carcere afflictus erat. Functus est consulari dignitate cum Claudio patruo suo magno. Hic fuerat vsque ad ea tempora equestris ordinis, sed defuncto Tiberio missus ad Caium legatus pro equestri ordine, licet sex & quadraginta annos natus, tum primùm consulatum gessit ac regnauit. Caius hæc omnia modestè & prudenter facere visus est, atque in senatu res eiusmodi gerere, vt patres veriti ne immutaretur, decreuerint ea singulis annis legi. Præbebantur varia spectacula, in quibus vrsi quadringenti cum aliis Lybicis belluis interfecti sunt. Currum triumphalem quo ipse vehebatur, sex equi trahebant, quod antè factum fuerat nunquam. Tum primùm, ne senatores sederent in nudis subselliis, puluini adhibiti sunt, iisdémque concessum est ad defendendos solis ardores pileos in theatrum ferre more Thessalico: cúmque essent calores ardentissimi, diribitorio pro theatro vtebantur. Quibus rebus confectis, in morbum incidit, neque tamen mortuus est, sed Tiberium nepotem Tiberii interfici iussit, quòd diceret ab eo mortem suam optatam & expectatam fuisse: qua de re complures alios occidit. Nam cùm Publius Afranius Potitus homo plebeius stulta quadam assentatione, non modò volens, sed etiam adhibito iureiurando prómisisset, si Caius conualescceret, se libenter moriturum: cúmque Afranius Secundus

Apelles Tragœdus.

Diribitorium.

vir equeſtris ordinis dixiſſet ſe velle ob eandem cauſam in ſingulare certamen deſcendere, ambos pro pecunia quam ſe ſperauerant accepturos, quòd vitam pro Caio profundere voluiſſent, coegit promiſſa facere, ne peierarent. Cúmque hæc fuiſſet eorum necis cauſa, Marcus Syllanus ſocer eius, qui neque promiſerat quicquam, neque iurauerat, poſtquàm ſenſit ſe propter virtutem ſuam, & nobilitatem generis grauem eſſe Caio, ob eámque rem ab eo iniuriam accipere, mortem ſibi cõſciuit: quem tamen Tiberius in tanto honore habuerat, vt nollet ab eo prouocari poſſe: quòd ſi eſſet prouocatum, rurſum ei cognitionem earundem rerum dabat. Caius autem eum vexabat omnibus contumeliis, vocabátque pecudem auream, filiámque eius Corneliam Oreſtinam vxorẽ duxit ereptam ei in nuptiis, quas faciebat cum Caio Calpurnio Piſone cui eam deſponderat: ac vtrunque nondum præteritis duobus menſibus, in exiliũ, vt vnà eſſent, miſit: cúmque conceſſiſſet Piſoni decem ſeruos ſecum adducere, atque is plures peteret, permiſit vt quot vellet ſeruis vteretur, propterea quòd diceret totidem cum eo milites futuros. Porrò Calendis quibuſdam Macho ſeruus in lectũ Iouis Capitolini conſcendit: déque eo loco multa & ea quidem grauia vaticinatus, catellum quẽ ſecum attulerat, occidit, mox ſe ipſe interfecit. Cùm autem Caius ſanguine expleri non poſſet, curabat vt quamplurimi inter ſe dimicarent, eóſque nõnunquam binos, interdũ etiam confertos tanquam in acie congredi iubebat, ita vt ſex & viginti equites vno die cæſi ſint. Tãta enim fuit eius crudelitas, vt cùm defeciſſent damnati ad beſtias, nonnullos ex ea turba quæ in tabulis conſederat, corripi iuſſerit, & beſtiis obiici, iíſque, quo minus loqui poſſent, aut quẽquam accuſare, linguas præcidi mandauit. Coegit etiam illuſtrem equitem deſcendere in certamen gladiatorium, quaſi Agrippinæ matri ſuæ iniuriam feciſſet, eúmque poſtea, cùm victor fuiſſet, accuſari & interfici iuſſit: patrémque eius qui nihil commiſerat, coniectum in caueam, ſicut alios permultos interfecit. Primùm inſtituit huiuſmodi certamina in ſeptis, eo loco perfoſſo atque aqua impleto, ita vt in eum nauis introduci poſſet. Idem fecit in aliis locis conſtructis maximis ædificiis ac tabulis defixis. Quibus rebus omnibus, tum etiam propter nimios ſumptus, & propter cædes factas in magnum odium venit, tum verò quòd Macronẽ immemor priſtinæ beneuolẽtiæ & amoris cõiugis ipſius, acceptíq; ab eo beneficii, coegit mortẽ voluntariã oppetere cũ maximo dedecore ac turpitudine, cuius ipſiuſmet

M. Syllanus ſocer Caij.

Crudelitas Caij.

8

Imperatoris vita plena erat. Eum enim præter cætera accuſauit lenocinii, occidítque quamplurimos accuſatos de variis criminibus: verè autem id fecit,vt eorum facultates conſequeretur. nã ei pecunia opus erat,quòd theſauros ſuos exhauſiſſet,quódque nihil ei ſatis eſſet. Paucis pòſt diebus vxorem duxit Lolliã Paulinam, cuius virum Memmium Regulum coegit eam ſibi deſpondere, ne eam quæ deſponſa non eſſet, contra ius fáſque duceret,eandémque paulo pòſt repudiauit.Cùm autem magnã copiam luti conſpexiſſet in quodam angiportu,id omne in veſtem Flauii Veſpaſiani, cui purgandorum angiportuum cura mandata erat, coniici iuſſit. Quod factum etſi tum animaduerſum non eſt,tamen poſtquàm Veſpaſianus res omnes conturbatas confuſáſque recepit atque reſtituit,viſum eſt diuinitus accidiſſe,vt tum ei Caius curam purgandæ Vrbis commiſerit.Conclamante verò aliquando populo adoleſcens Auguſtæ ratus ſibi iniuriam illatam eſſe, quamplurimos occidi iuſſit, eóſque partim abſtrahi à ſpectaculis,partim abeuntes è theatro abripi. id enim ſæpe facere ſolebat: quinetiam aliquando vniuerſo populo minatus eſt his verbis:Vtinam,inquit,omnes vnam ceruicem haberetis. His temporibus in quodam ſpectaculo quingẽti vrſi vno die interfecti ſunt, ac poſtridie eius diei totidem belluæ lybicæ. Cùm autem, vt ſuprà diximus, aurigarum equorúmque ſtudioſus eſſet, pleroſque aduerſarios palàm, nonnullos veneno ſuſtulit. Adeò autem ſtudebat homini viridi veſte induto, cui ex colore eius veſtis Praſinus nomen fuit, vt noſtris etiam temporibus locus, vbi ille currus agitabat, Caianus appelletur. Vnum verò ex equis ſuis quem Velociſſimum nominabat,inuitabat ad cœnam,ita vt ei hordeum ex auro apponeret, funderétque vinum in poculis aureis, ac per ſalutem eius & fortunam iuraret, ſéque eum conſulem facturum polliceretur,id quod feciſſet omnino,ſi vixiſſet diutius. Cùm verò frequens conueniſſet ſenatus, orationem habuit in qua laudes Tiberii complexus, ſenatores pluribus verbis accuſauit: Vos enim,inquit,illum aſperè tractaſtis,Seiano animos inflaſtis,pòſt eum occidiſtis:itaque intelligo me nihil boni expectare à vobis oportere.Cúmque hæc dixiſſet,ipſum Tiberium ita ſibi loquẽtem fecit: Tu verò, inquit, Cai omnia verè rectéque dixiſti: quamobrem diligas eorum neminem,nemini in poſterũ parcas,omnes te oderũt,te mortuum omnes cupiunt. nemo enim libenter ſubiici poteſt, ſed vnuſquiſque, quandiu timet, potentiorem colit & obſeruat: pòſt vbi cœpit rebus ſuis confidere, vlciſcitur

Lollia Paulina.

Flauius Veſpaſianus.

Praſinus.

Equus Caij.

vlciscitur imbecilliorem. Cùm perorasset, excessit è senatu, atque eodem die in suburbia profectus est. Senatus hac oratione obstupefactus, ac timore perterritus, ne verbum quidem facere potuit. Postero die rursum cogitur: ibi omnes Caium efferũt summis laudibus, magnas gratias agunt, quòd non perierint antea, decernúntque, vt quotannis, quo die hæc lecta fuerint, boues immolentur eius humanitati, eúmque omnibus ferè rationibus fouere in reliquum tempus cœperunt. Sed Caius ea parui pendere, & in mari equitare quodam modo cupere, ponte inter Puteolos & Baulos facto, qui locus oppositus ciuitati, distat ab ea amplius tria millia passuum. Ad hunc pontem faciendum naues coactæ & ædificatæ fuerunt: nec enim sufficiebant collectæ, propterea quòd pons ita factus non est, vt liceret tantummodo per eum transire, sed fuêre etiam in eo diuersoria quædam ita ædificata, vt in ea aqua bibendi causa deduceretur. Quibus rebus instructis paratísque, Caius thoracem induit Alexandri (sic enim appellabat) deinde sericam chlamydem purpuream, multo auro, multísque lapillis Indicis ornatã: tum accinxit gladium, scutúmque accepit, & ex quercu coronatus est: pòst factis sacrificiis Neptuno atque Inuidiæ, ne sibi, vt ipse dicebat, inuideretur, Baulis pontem ingreditur, introducta magna equitum ac peditum armatorum multitudine, atque inde statim tanquam in hostes in ciuitatem irruptionem fecit. In qua cùm postero die velut ex prælio requieuisset, curru per eundem pontem vectus est, indutus veste auro intexta. Vehebant eum ferocissimi equi & victores, eúmque multa pro spoliis consequebantur. In his fuit Darius Arsacides, qui tum erat in obsidibus Parthorum. Sed cùm oporteret aliquid eum apud tam magnum exercitum, ac tam magna parta victoria concionari, tribunal conscendit supra naues ac in medio ponte factum. Hîc cœpit se ipse efferre laudibus, quasi præclari operis author fuisset: dein milites extollere, quasi magnis laboribus susceptis, ac periculis aditis, diceréque præter cætera, eos maria ambulauisse. Hac oratione habita, ipse in ponte, tanquam in insula, cæteri in reliquis nauibus consistunt, reliquámque diei partem in conuiuiis consumunt. Ex eo loco atque ex montibus multus splendor vndique relucebat. Nam cùm locus natura curuus sit instar falcis, lumina ex omnibus partibus non secus, quàm in theatro videbantur. Postquam fuit cibo vinóque confectus, plerosque socios de ponte deiecit in mare, multósque cùm veheretur nauibus rostratis, iaciebat in profundum, ita vt aliquot ex iis

Pons in mari. LIX.17(Gry.84.7). *Stadia* XXVI.

interierint. nam magna pars etsi ebrii erant, euasit, quòd mare tranquillum & placatum esset. Qua ex re efferebat se mirificè, seque à Neptuno dicebat timeri, Dariúmque & Xerxem multis modis irridebat, quòd pontem multo maiorem, quàm ipsi vnquam fecerant, in mari faciendum curauisset. Difficile est enumerare nobiles viros qui ab eo interfecti sunt, dicendũ tamẽ de quibusdã videtur, vt ex iis quanta fuerit Caii insania, cõstare manifestè possit. Iunius quidẽ Priscus prætor de quibusdam aliis rebus accusatus propterea occisus est, quòd locuples erat: quem vt Caius intellexit nihil dignum supplicio commisisse, orationem habuit admirabilem, in qua se à Prisco deceptum esse dixit, eúmque frustrà mortuum esse, cùm potuisset viuere. Domitius verò Afer vt in graue ac mirum periculũ venit, ita salutẽ multò adeptus est admirabilius. Hic, cùm Agrippina Caii mater olim fortè viuo Tiberio facta sibi esset obuiã, decesserat de via, pudore adductus, propterea quòd quandam propinquam eius accusauerat: quo cognito Agrippina, eóque ad se vocato, Bono animo es, inquit, Domiti: non enim tu mihi huius causa es, sed Agamemnon. Hac re Domitius confidẽs, statuam Caio posuit, subscripto epigrammate, ex quo intelligebatur, Caium agentem annum sextum & vigesimum, alterum consulatum gessisse. Huic Caius succensere ob eam causam cœpit, quasi sibi adolescentiam exprobraret, ac ipse contra leges feciſſe videretur. Itaq; eum qui potius ob id factum magnos honores sperauerat, in senatu reum fecit, lectáque longa eius accusatione (credebat enim Caius se eloquẽtia omnes oratores anteire, atque hunc quem sciebat esse eloquentissimum virum, dicendo superare conabatur) eundem interfici iussisset, si is contrà voluisset dicere. Sed Domitius non solùm nihil respondit, verùm etiam se Caii eloquentiam obstupescere & admirari simulauit, cœpítque actionis singula verba repetere, eáque vehementer laudare, ita vt si auditor eius non reus fuisset: deinde postquam sibi scripta accusatio data est, se ad preces & lamentum conuertit: postremò etiam in terram cecidit, atque in ea iacens supplicabat, quasi Caium oratorem magis, quàm Cæsarem timeret. Qua re confisus Caius, ratúsque se apparatu orationis eo superiorem fuisse, tum etiam propter Calistum libertum quem ipse habebat in honore, eúmque Domitius fouebat, iratus esse desiit: quem dum Calistus postea reprehenderet, quòd illum accusauisset, respondit se tam præclaram orationem in occulto habere non potuisse. Itaque Domitii elo-

Domitius Afer. (Lix.19.)

quentia condemnata, ipſe liberatus eſt. Lucius autem Annius Seneca, qui omnes homines ſuæ ætatis aliósque permultos ſapientia antecelluit, penè occiſus fuiſſet, nullo commiſſo delicto, ac ne ſuſpicione quidem facta, quòd præſente Caio in ſenatu cauſam aliquã accuratè elegantérque dixiſſet: ſed eum iuſſum interfici dimiſit, perſuaſus à muliere cum qua conſuetudinem habebat, eum φίλτρα miſerè nec ita multò pòſt eſſe moriturum. Domitium verò ſtatim conſulẽ deſignauit, mouítque magiſtratus, quòd dies feſtos egiſſent, vt erat conſuetudo, propter victoriam quam Auguſtus contra Antonium obtinuerat. Nam vt eos calumniaretur, maluit Antonio, quàm Auguſto prognatus videri: dixerátque antea iis, cum quibus communicabat cætera, illos, vtrumlibet facerent, omnino eſſe peccaturos, ſiue ſacrificarent propter cladem Antonii, ſiue propter victoriam Auguſti ſacra facere deſinerent. Carinam verò Secundum oratorem exilio mulctauit, quòd exercendi ſui cauſa contra Tyrãnos declamauerat. Cæterùm conſumpta Vrbis ac totius Italiæ pecunia, Caius in Galliam proficiſcitur, ad eam gentem fortunis quæ tum erant maximæ atque florentiſſimæ, vnà cum Hiſpanis ſpoliandam, eóque duxit ſaltatores, gladiatores, equos, milites, atque oblectamenta eiuſdem generis. Ibi publicũ crimen fuit diuitem eſſe: atque horum poſſeſſiones cùm venderet ipſe, inde multo maiorem pecuniam redegit, quòd omnes cogebãtur pluris, quàm res eſſent, emere. Qua de cauſa iuſſit theſauros imperii pulcherrimos atque pretioſiſſimos afferri, eóſq; ſub præcone ſubiecit: cúmque eos venderet, dicebat de ſingulis, Hoc meus pater, hoc mater, hoc auus, hoc proauꝰ poſſedit, hoc Antonius ex AEgypto attulit, hæc ſunt Auguſti ſpolia. neque verò acquirebat quicquã, aut aſſeruabat, ſed inſumebat omnia, vt conſueuerat. Magnum exercitum comparauit, in quo erant militum ducenta quinquaginta millia, eorúmque magnã partem conſumpſit: nam eos ſigillatim, nonnunquam etiam confertos occidebat. Cúmque aliquando conſpexiſſet magnã hominum multitudinem, ſiue eorum qui erant in vinculis, ſiue aliorum quorundam, eos omnes à caluo ad caluum, vt dici ſolet, occidi iuſſit. Cùm autem luderet alea, ſibíque pecuniam deeſſe intelligeret, ob eámque cauſam Gallos cenſeri, ac eorum locupletiſſimos interfici iuſſiſſet, ad colluſores ſuos reuerſus ait, Vos quidem, inquit, de paruo drachmarum numero contẽditis: at ego collegi aureorum ſexagies centena millia. V'tque illi occiſi ſunt cõtra ius fáſque, ita Iulius ſacerdos Gallus homo

Caius theſauros uendit.

Myrias ſeptẽ millia myriadum.

locuples, non tamen vſque adeò diues, vt propterea deberent ei inſidiæ parari, tamen eo nomine interfectus eſt: adeò Caius faciebat omnia nullo adhibito iudicio. Claudium quoque ſuſtuliſſet, niſi contempſiſſet hominem natura & iudicio ſegnem. Profectus ad Oceanum, quaſi ducturus exercitum in Britanniam, Vione inſtructis militibus, triremes conſcendit: cúmque inde ſoluiſſet, paulo pòſt retrò ceſſit, ſedítque pro tribunali, dedítque ſignum militibus à tubicinibus tanquã ad confligendũ excitatis: tum imperauit iis, vt cõchylia colligerẽt. Quibus ſpoliis acceptis (ſcilicet hoc bellũ exuuias huiuſcemodi ad triumphum poſtulabat) magnificè gloriabatur, quaſi Oceano ſubacto: deinde multa largitus militibus, conchylia Romam attulit, vt hæc ſpolia populo Romano oſtenderet. Senatus quemadmodũ de his rebus taceret (nouerat enim hominis inſolentiam) aut quamobrem eum laudaret, neſcire. Nam qui factũ perexiguũ ſummis laudibus extollit, eíque magnos honores tribuit, id ludificari quodammodo & calumniari videtur: tamen Caius, vt eſt in vrbem ingreſſus, ferè voluit vniuerſum ſenatum perdere, quòd ſibi honores propè diuinos non decreuiſſet. Congregato verò populo, magnam vim auri argentíque profudit de ſuperiore loco, quæ plerique dum colligerẽt, mortui ſunt, quòd ferramẽta quædam, vt aiunt, cum iis commixta fuerint. Præterea Caſſium Melinum occidi iuſſit, coëgítque Capitonem patrem eius virum bonũ nullius accuſatum delicti, ſupplicio filii intereſſe: qui dũ à Caio peteret, vt ſibi oculos claudere liceret, iuſſus eſt pariter occidi. Erat Caio Protogenes quidã miniſter in crudeliſſimis ac difficillimis rebus: hic perpetuò duos libros ferebat, quorũ alterum gladium, pugionẽ alterum nominabat. qui dum aliquãdo alias ob cauſas introiiſſet in ſenatum, eúmq; ſenatores omnes ſalutarẽt & amplecterẽtur, toruè Scriboniũ Proclũ aſpiciens, Tu ne etiã, inquit, me ſalutas, qui tã acerbè Imperatorem odiſti? Quod vbi ſenatores qui aderãt præſentes, audiuerunt, Proclum circũſiſtunt, eúmque diſcerpunt & dilacerãt. Qua re lætatus Caius, ſe patrib⁹ recõciliatũ eſſe dixit. Illi decreuerunt, vt Caius ſederet in ſenatu in præcelſo atque edito tribunali, ne quis ad eum accederet, ibíq; cuſtodia militari vteretur. Heros autem à multis, & deus à quibuſdam vocatus maximè efferri cœpit: cupiebat enim anteaſe humana cõditione ſuperiorem videri, cum Luna coiiſſe, & à Victoria coronatum eſſe. Iouẽ enim ſe eſſe fingere, diceréque ob eam cauſam ſe cum pleriſque mulieribus, ſed præſertim cum ſororibus rem habere. Fiebat

Claudius. Lix. 21.

Oceanum ſubigit. Lix. 21.

Caſſius Melinus.

Protogenes.

ſæpenumero Iuno, Diana, Venus, ac præter mutationẽ nominũ veſtes capiebat diis proprias & accõmodatas. Interdũ enim mollis & effœminatus craterẽ thyrſũmque gerebat bacchantiũ ritu: interdum ſeuero & virili vultu clauam ac pellẽ leonis ferebat: rurſum imberbis, mox barbatus eſſe videbatur. Tridentem aliquãdo tenebat, nonnunquã iaciebat fulmen, ſæpe bellicoſæ virgini ſimilis factus, nõ multo tempore pòſt mulierẽ repræſentabat. Ita cõmutatis veſtibus, aliiſque rebus acceptis dẽptiſque, varias formas capiebat, dum cætera omnia potius, quã homo cupiebat videri. Itaque eum Gallus quidã, vt vidit ſedentẽ in ſolio eminentiſſimo, Iouis ornatu, atque inde reſpondentem, irridere cœpit. Qua re animaduerſa Caius, ad ſe vocauit hominẽ, rogauitque quid ſibi videretur. is reſpondit (dicendũ eſt enim quod dixit) hanc magnam dementiam videri: ſed is, quòd ſutor erat, nullo damno affectus eſt. adeò principes huiuſmodi æquiore animo ferre ſolent plebeios homines liberè loquentes, quàm præditos aliqua dignitate. Cúmque ſe deum eſſe fingeret, caperétque formas eius generis: tũ verò ei ſupplicationes fiebãt, votáque & ſacrificia accõmodata adhibebãtur: alioqui veſtitu ſerico & triũphali procedebat in publicũ. Cõplectebatur & oſculabatur paucos, manum ſuam, pedémve plurimis, iiſque ſenatoribus ad oſculandũ præbebat, ita vt ii quos ipſe oſculatus eſſet, ei etiã in ſenatu gratias agerent, licet ſaltatores quotidie in conſpectu omnium oſcularetur. Aſſentiebãtur ei etiã ii qui aliquid poſſe videbantur. Nã Lucius Vitellius homo nõ ignobilis, nec ſtultus, ſed clarus propter Syriã, quã prouinciam obtinuerat, in eáque cùm cætera omnia glorioſè adminiſtrauerat, tum verò Artabanũ, quem nemo propter Armeniã vltus fuerat, quique iã tum inhiabat Syriæ, perterrefecerat, dũ ei repẽte ad Euphratẽ occurriſſet, collatíſque ſermonibus coëgiſſet ſtatuis Auguſti Caíque ſacra facere, ſanciréque fœdera ad cõmodum & vtilitatẽ populi Romani, filiis eius obſidibus acceptis: vbi accerſitus eſt à Caio ad ſupplicium (nam quòd Parthi regem ſuum exegerãt, culpa omnis in ipſum conferebatur) cognouítq; odiũ in ſe concitatũ eſſe propter inuidiam, ac ſibi propter timorẽ inſidias eſſe factas, ſimulare cœpit ſe lõgè minorẽ eſſe opinione: dein accidere ad pedes Caii, profundere magnã vim lachrymarũ, ei diuinos honores tribuere, venerari, voueréq;, ſi incolumis ſeruaretur, ſe ei ſacra facturũ. Itaque nõ modò euaſit ſaluus, ſed eũ ita leniuit & placauit his rebus omnibus, vt non ſolùm viueret, ſed etiã in familiaribus eius haberetur. Cúmque Caius aliquã-

Deorum formas induebat.

Sutor Gallus.

L. Vitellius aſſentator.

do ſe cum Luna coire diceret, interrogarétq; Vitellium, an deã videret coeuntẽ ſecum, obſtupefactus treménſque cœpit deorſum inſpicere, locutúſque pauca, Licet, inquit, domine, vobis diis tantummodo vos inter vos videre. Itaque Vitellius inde facto initio, cæteros aſſentatores in reliquum tẽpus ſuperauit. Caius eo deductus eſt, vt & templum in Vrbe faciendum ſibi curauerit, & domum in Capitolio, quò poſſet, ſicuti dicebat, vnà cum Ioue habitare: ſed indignatus poſtea, quòd ſibi habitanti cum Ioue ſecundæ partes darentur, eum propterea accuſare cœpit, quòd Capitolium occupauiſſet: ob hanc cauſam templum alterũ ædificari in Palatio diligenter iuſſit, eóque volebat ſtatuã Iouis Olympii commutatam in ſuam formam tranſferre: ſed id non potuit, propterea quòd nauis quæ ad tranſuectionem eius parata erat, fulmine percuſſa fracta eſt: præterea quoties ibatur ad eam ſtatuam tangendam, multus riſus audiebatur. quare Caius minatus Ioui, aliam ſibi faciendam curauit, templúmque Caſtoris & Pollucis, quod erat in foro, demolitus, inter medias ſtatuas eorum aditum ſibi ad Palatium patefecit, vt Caſtorem & Pollucem, ſicuti dicebat, ianitores ſuos haberet. Dialem ſe nominabat. Caſoniam vxorem, & Claudium, alióſque locupletiſſimos homines ſacerdotes creauit, cuius rei cauſa exegit à ſingulis aureorũ centum millia. Cúmque ſe ipſe ſacerdotem feciſſet, equum collegã in ſacerdotio deſignauit, eíque ſingulis diebus aues teneræ & pretioſæ ſacrificabantur. Tonabat machinis quibuſdam, & fulgurabat: ac quoties fulmen de cœlo caderet, ipſe contrà iaciebat lapidem, dicebátque in ſingulis iactibus illud Homeri, -ἦ μ' αὐτὰρ ἢ ἐγώ σε, aut tu me interficias, inquit, aut ego te. Igitur is deus atq; Iupiter, vt omittam cætera facinora turpiſſima, ex quibus pecuniam colligebat, cellas habuit ædificatas in Palatio, in quibus vxores, puerósque primorum ac nobiliſſimorum hominum incluſerat, ex iíſque fructum capiebat partim vi, partim de voluntate ipſorum, ne ei moleſti eſſe viderentur: quod facinus pretermittere quis poteſt? præſertim cùm in auro argẽtóque ab eis collecto quotidie volutaretur. Cùm igitur inſaniret in rebus omnibus, Caſſius, Chærea, & Cornelius Sabinus, etſi erant tribuni prætorianorum militum, contra eum coniurauerunt, fueréque multi conſcii huius coniurationis: in quorum numero fuit Caliſtus & Eparchus, ſed illi percuſſores fuerunt. Erat Chærea vir antiquæ virtutis morúmque, qui Caio certis de cauſis infenſus erat, quòd Caius eum, etſi fortiſſimum virum, mulierem voca-

Cum Ioue contendit.

CCL. *Myriades drachmarum.*

Coniurati.

bat, eíque, quoties ad ſe veniret, ſignum dabat Cupidinis, aut Veneris, aut aliud eiuſmodi. Caius quidem oraculum acceperat, quo admonebatur, vt Caſſium caueret. Quod cùm ad Caium Caſſium pertinere ratus eſſet, prognatum illo Caſſio percuſſore Cæſaris, actum Aſiam obtinentem, eum conſtrictum vinculis accerſiri iuſſit: quanuis ex oraculo hic Caſſius, Chærea intelligeretur. Apollonius autem vir AEgyptius domi eundem eius caſum prædixit, qui ob eam cauſam Romam miſſus, ad Caium eo die perductus eſt, quo ille mortem erat obiturus: ſed dilato paululum ſupplicio, cùm futurum eſſet, vt non multo pòſt puniretur, conſeruatus eſt. negotium verò ſic confectum eſt. Caius dies feſtos agebat in Palatio, & ſpectaculum edebat, cúmque ipſe comederet, & epulum aliis daret, Pomponius Secundus conſul cibum capiebat ad pedes eius, eóſque frequenter oſculabatur. Pòſt vbi Caius ſaltare & tragœdias agere voluit, Chærea nihil cunctandum ratus, vt eum animaduertit exeuntem è theatro, inſpiciendorum puerorum cauſa, quos ex Græcia atque Ionia nobiliſſimos acciuerat ad canticum de ſuis laudibus canendum, concluſum in paruum & anguſtum locū interfecit: quo facto, nemo eorum qui aderant præſentes, manus ab illo abſtinuit, ſed mortuum confecerunt vulneribus: nōnulli etiam carnem eius deguſtauerunt, eiúſque vxorem ac filiam ſubitò occiderunt. Ita Caius, cùm ea quæ ſuprà ſcripta ſunt, feciſſet annis tribus, menſibus nouem, diebus octo & viginti, tandem re ipſa ſe non eſſe deum intellexit. Recordabantur, qui tum aderant, eius quod aliquando ad populum dixerat, Vtinam vnam ceruicem haberetis, ſimul oſtendebant, ſibi complures manus, ei vnam ceruicem eſſe. Interfecto Caio, prætoriani milites conturbati concurſantéſque quærebant, quis eum occidiſſet. Hos Valerius Aſiaticus vir conſularis præter opinionē ſedauit. aſcendit enim in excelſum atque editum locum, atque inde vociferatus, Vtinam, inquit, eum ego interfeciſſem. Quibus verbis obſtupefacti, tumultuari deſierunt.

Claudius.

CLAVDIVS hoc modo imperiũ adeptus eſt. Sublato Caio, conſules præſidiis in omnibus locis Vrbis collocatis, ſenatum vocauere in Capitoliũ: dictæ ſunt ibi multæ & variæ ſententiæ, quòd multi exiſtimabant reſtituendam eſſe remp. quódque pleriſque in regno eſſe oportere videbatur: & quòd alii hunc Imperatorem, illum alii deſignabant. Quibus in rebus reliqua parte diei noctíſque conſumpta, cùm nihil adhuc perfectum eſſet, pauci milites palatium ingreſſi prædandi cauſa, Claudium in obſcuro angulo latitantem inuenerunt. nam quòd fuerat vnà cum Caio, propterea in illo tumultu formidabat. Hunc illi principiò aliũ, quàm erat, eſſe arbitrati, ſecúmque aliquid habere, foras extrahunt: pòſt vbi agnoſcunt, Imperatorem ſalutant, eúmque ad exercitum ducũt, ac vnà cum cæteris militibus, quòd ſtirpe regia ortus, & vir bonus habitus eſſet, regnum ei deferunt. Conſules ſtatim ad eum nonnullos, atque imprimis tribunos plebis mittunt, mandántque, nequid eiuſmodi committat, vtque velit ſub imperio ſenatus populíque Romani, & legum authoritate viuere. Verùm vbi ſe deſertos eſſe vident ab iis militibus, quibus antea fulciebantur, ipſi quoque aſſentiri cœperunt, eíque decernere omnia quæ ad principatum eius ſpectare videbãtur. Itaque Tiberius Claudius Nero Germanicus, filius Druſi Liuiæ filii, ſummum principatum adeptus eſt, cùm antè nullo vnquã in imperio cognitus fuiſſet, niſi quòd conſulatum geſſerat. Degebat eo tempore annum quinquageſimum, erátque vir non malo ingenio, præterea eruditus in literis: nam commentarios ſcriptos reliquit: valetudine verò & natura infirmior, tremulóque capite & manibus, ita vt ob eam cauſam voce hæſitaret. Is ſella operta primus Romanorum eſt vſus, atque ex eo nunc omnes non modò Imperatores, ſed nos quoque conſulares viri ſella vehimur. Nam antea quidem Auguſtus & Tiberius ſellis quibuſdam paruis, qualibus adhuc mulieres vtuntur, interdum vehebantur. Claudius homo in cæteris minimè quidẽ malus, æqualibus familiaribus ſuis atque mulieribus palàm inſeruiuit, quòd à puero lãguens & timidus educatus erat, ob eámque cauſam,

cauſam, plus quàm eſſet reuera, ſe ſtupidum eſſe ſimulabat, íd- *Mulieribus deditus Claudius.*
que ipſe aliquando in ſenatu confeſſus eſt. Propter verò con-
cubitus ſuos cum mulieribus nihil libero homine dignũ poſ-
ſidebat. parabãtur ei inſidiæ in conuiuiis & cõcubitibus, quibus
vtriſque maximam operam dabat, cùm capi facilè poſſet illis
temporibus. Erat vſque adeò timidus, vt perterritus ſæpenume-
ro nequiret, quid ſibi faciendũ eſſet, animaduertere. Quæ cùm
familiares eius cognoſcerent, eum magis agitabant, perterre-
faciebántque, vt ex eo fructus caperent maximos. Iidem tam
magnum timorem iniiciebant reliquis hominibus, vt (ne pluri-
bus verbis agam) cùm multi eodẽ die ad cœnam eſſent à Clau-
dio & ab illis vocati, illo quaſi ob aliam cauſam prætermiſſo,
apud iſtos cœnatum venirent. Itaque Claudius abſque iis ſcele-
ribus, quæ commiſit iſtorum cauſa, in cæteris cõmodus & bo-
nus Imperator fuit. Chæream verò & paucos alios interfecit,
propterea quòd rebus ſuis longo tempore antè proſpiceret: íd-
que fecit, non vt Caium vlciſceretur, ſed quòd eos diceret ſibi
inſidias feciſſe. Erat Claudius, quòd pertinet ad pecuniam fa-
ciendã, admirabilis: abſtinebat enim ab omni ſordida exactio-
ne pecuniæ, modeſtiámque & temperantiam Populi Romani
plurimi faciebat. Nam nimias delitias, quæ fuerant Caii tem-
poribus, ſuſtulit, latis legibus quæ ad eam rem ſpectare vide-
rentur. Cauponas enim, in quibus compotare ſolebant, euertit,
vetuítque ne caro cocta, aut aqua calida vſquam vẽderetur, at-
que in eos qui non obtemperarent, animaduertit. Per id tem- *Ingens fames.*
pus ingens fames fuit, qua in re tãta fuit Claudii prouidentia, vt
ea non ſolùm iis qui tum erant, ſed etiam poſteris vilem anno-
nam fecerit. Nam cùm ferè frumentum omne aliunde ad po-
pulum Romanum adueheretur, neque regio quæ erat ad Tibe-
ris oſtia, tutas ſtationes & portus commodos haberet, foretque
propterea inutile maris imperium: cúmque præter id quod
aduectum fuerat opportunis temporibus, & in horreum repo-
ſitum, hyeme nihil importaretur, atque ei qui in hac re vellet
periculum ſuſcipere, malè ſuccederet: Claudius his cognitis re-
bus, portum ædificare inſtituit: nec eum deterruit quòd præfe- *Portus.*
cti fabrûm, cùm interrogarentur, quantos ſumptus ea res po-
ſtularet, reſponderunt tam magnos, vt nollet eum portum fa-
cere: ſperabant enim eũ cognita ſumptus magnitudine, ſi præ-
dixiſſent, à propoſito deterreri. Sed is nihilo minus ſibi facien-
dum putauit, induxítque in animum rem dignam gloria, atque
magnificentia populi Romani. Primùm quòd loco non paruo

perfoſſo in continenti, iactiſque circùm vndique fundamentis, eò mare intromiſit: deinde in ipſo mari factis vtrinque magnis aggeribus, ac multo mari concluſo, in eo inſulam fecit, atque in ea turrim ædificauit, ex qua lumen nauigantibus nocturno tempore præberetur. Is locus, vt eſt, ita patria lingua Portus appellatur. Exhibuit crebrò ludos gladiatorios, quibus valde delectabatur. præter cætera libenter ſpectabat ſub prandii tempus eos qui in medio theatro dilaniabantur: etſi leonem doctum hominem comedere, plebíque ob eam cauſam gratum interfecit, quòd non deceret populum Romanum huiuſmodi ſpectacula videre. Igitur cùm ſoleret expleri ſanguine & cædibus, multas ſubitas & temerarias cædes fecit. In cauſa fuerunt Cæſariani, vxórque eius Meſſalina, quæ temeritate atque intemperantia omnes fœminas ſuæ ætatis ſuperauit. Nam iſti cùm aliquem interfectum eſſe cuperent, Claudium perterrefacere ſolebant, vt hac ratione facerent omnia, quæ ſibi collibuiſſet. Itaque Claudius cùm ſæpe repentino metu perterritus occidi aliquem iuſſiſſet, eundem paulò pòſt, cùm ad ſe rediiſſet, requirebat, quem dum iam interfectum eſſe cognoſceret, adeò grauiter dolebat, vt eum facti maximè pœniteret. Harum cædium initium fuit à Caio Appio Siluano, quem virum nobiliſſimum accerſi atque interfici iuſſit, propterea quòd Meſſalinã offenderat libidinoſam & petulantem fœminam, cum qua coire noluerat, quódque Narciſſo liberto Claudii propter illam infenſus & irat' erat. finxit Narciſſus ſe in ſomnis vidiſſe Claudium ab eodem Appio necari, eíque in lecto adhuc recumbenti ſomnium tremebundus narrauit: quo facinore aucto à Meſſalina & exaggerato, Appius propter ſomnium occiſus eſt. Poſt cuius cædem populus Romanus nihil amplius de Claudio bene ſperauit. Itaque factum eſt, vt Vincranus & Furius Camillus præſides prouinciarum contra eum coniurauerint. Qua ex re Claudio tantus timor iniectus eſt, vt imperium eis vltrò ferè ceſſerit: ſed illi perierunt deſerti à militibus, ob eámque cauſam complures non ſolùm viri, ſed etiam fœminæ mortem obierunt. Etenim propter crebras calamitates eò ventum erat, vt nihil amplius virtus eſſe putaretur, quàm fortiter & glorioſè mortem oppetere, Claudius hunc verſum perpetuò ſignum militibus dabat,

Portus.

Furius Camillus.

Ἄνδρ' ἀπαμύνασθαι, ὅτις πρόσθεν χαλεπήνῃ, Oportere in eum animaduertere, qui prius moleſtiam exhiberet. Multa eiuſdem generis in ſenatu Græco ſermone dicebat.

Sed cùm Lyciis aliquando reſponderet, vnum ex legatis qui olim Lycius, tum ciuis Romanus erat, Latina lingua interrogauit, eíque non planè intelligenti quod ipſe dixiſſet, ciuitatem ademit, dixítque eum qui non haberet huius linguæ ſcientiam, non oportere ciuem Romanum eſſe. Poſtquam enim Romani externos homines in ciuitatem receperũt habuerúntque in honore, id beneficium à Claudio peti, emíque à Meſſalina & Cæſarianis cœptum eſt: quod cùm primò magno pretio vẽderetur, poſtea adeò facile & vile factum eſt, vt vulgò diceretur eum qui vaſa vitrea, & ea quidem fracta dediſſet, ciuem Romanum fore. Meſſalina libidinoſa & intemperans fœmina cæteras mulieres cogebat luxurioſè & petulanter viuere, efficiebátque vt multæ in palatio viris ſuis præſentibus ac videntibus cum adulteris coirent, earúmque viros ipſa diligere, ac honoribus & dignitatibus augere: cæteros qui id non paterentur, odio habere ac modis omnibus perdere ſolebat. Claudius multo tempore harum rerum ignarus fuit, propterea quod Meſſalina ancillulas quaſdã ei ſuggerebat, cum quibus rem haberet: & quos ſuſpicabatur iſta Claudio ſignificaturos partim beneficiis, partim propoſitis ſuppliciis prouidebat ne id facerẽt. Cùm autem ſeditio in exercitu facta eſſet, Claudius ad eam ſedandam Narciſſum miſit: ſed poſtquam is in tribunal conſcendit orationem habiturus, milites ob eam cauſam multo magis irati ſtatim exclamauerunt, ἰὼ Σατυρνᾶ, id eſt diem feſtum Saturni, quòd eum diem ſerui ornatu dominorum celebrent. Itaque indignati Narciſſi cauſa, Plautio Imperatori ſuo obedientes in Britanniã traiecerunt. In eo bello Britannico Veſpaſianus, vnus ex legatis Plautii, præclarè ſe geſſit, ad quem cùm eſſet profectus Claudius, hoſtibus cum quibus congreſſus eſt, ſuperatis, captíſque eorum regiis, Britannicus cognominatus eſt. Meſſalina verò amore cuiuſdam ſaltatoris cãpta, cùm ei perſuadere non poſſet vt ſecum coiret, petiuit à Claudio viro ſuo, vt illum ſibi obſequi iuberet, tanquam ipſi in quibuſdam aliis rebus opera eius neceſſaria foret. Is, poſtquam ei Claudius præcepit, vt omnia quæ Meſſalina imperaret, libenter faceret, cum illa rem habuit, tanquam id quoque ſibi imperatum fuiſſet. id enim Meſſalina ſæpe in multis aliis fecit. nam quaſi Claudio conſcio ſinentéque ei petulanter viuere, mœchabatur. Claudius vt præuidit ſuo natali die defectionem ſolis futuram, veritus ne tumultus ob eam cauſam concitaretur, ſcripſit aliquanto tempore antè, non ſolùm defectionem fore, & quando, aut quanta eſſet futura:

Ciuitatis donatio.

Meſſalinæ libido.

Veſpaſianus.

Solis defectio.

ſed etiam cauſas ſcripſit, propter quas id eſſet neceſſariò euenturum. Cauſæ hæ ſunt. Luna, vt creditum eſt, mouetur ad curſum ſolis, ſiue ſtatim poſt eum: ſiue Mercurius & Venus interiecti ſint. Mouetur autem in longitudinem, vt ſol, atque in altitudinem, vt etiam ille fortaſſis: poſtremò in latitudinẽ, quod ſoli nullo modo accidit. Cùm igitur ea ſupra conſpectum noſtrum ſimul cum ſole fuerit rectis lineis, ac ſub eius ſplendore curſum ſuum habuerit, radios eius, qui terram attingunt, etſi non eodem modo apud omnes gentes occultat: nec verò id facit in locis omnibus. nam ſol perpetuò ſplendorem ſuum habens, eum nunquã deſerit: ex quo fit, vt totus videatur, iis quibus luna ita oppoſita non eſt, vt ipſum obſcurare poſſit. Hæc quidem de ſolis defectione dicuntur. Luna verò (nec enim alienum erit à propoſito de ea dicere, poſtquam in hunc ſermonem incidimus) quotieſcunque ſoli oppoſita fuerit (id quod ei, cùm plena eſt tantummodo, perinde atque ſoli, cùm ipſa noua eſt, contingit) atque in vmbram terræ cono ſimilem inciderit: quod fit, quoties media in latitudinem mouetur, tunc ſolis priuatur ſplẽdore, & qualis eſt natura, conſpicitur. atque hæc eiuſmodi ſunt.

Lunæ defectio.

Cæterùm Meſſalina apud ſe amatorem habebat abductum à Theatro, de quo cùm ſermo apud populum haberetur, quòd non ſaltaret amplius: Claudius miratus iurabat eum ſecum non fuiſſe. Itaque omnes magnam moleſtiam capiebant, quòd vnum Claudium neſcire intelligerent ea quæ gerebantur in Palatio, quæque iam apud hoſtes percrebuerant, tamen ea nihilo magis aperiebant, quòd Meſſalinam reuererentur, & amanti parcerent. cuius ars tantum ſatiffaciebat populo, quantũ Meſſalinæ forma eiuſdem placebat. erat enim ſaltator egregius. Hic, cùm ab eo populus aliquando magno ſtudio contenderet, vt ſaltaret in celebri fabula, de ſcena quaſi per trãſennam populum aſpiciẽs, ita reſpondit: Non poſſum, inquit, nam cum Oreſte dormiui. Sequenti anno Claudius quartùm, Lucius Vitellius tertiùm conſules facti ſunt. Is annus erat ab Vrbe cõdita octingenteſimus. Eo tempore Claudius quoſdam ſenatu mouit, è quibus complures ex Vrbe proficiſci cogitabãt, ſed inopia rei familiaris libenter poſtea remanſerunt. Idem multos in ſenatorium ordinem cooptauit, in quorum numero fuit Sardinius Gallus, qui principiò cùm poſſet ſenator eſſe, Carthaginem migrauit. Cui acceſſito diligenter, Claudius, Ego te, inquit, aureis vinculis conſtringam. Itaque ille deuinctus dignitate, in Vrbe remanſit. Claudius quanuis libertos alienos,

Sardinius Gallus.

quoties eos deliquisse cognouerat, acriter puniret, tamen erga suos maximè affectus erat. Nam cùm ab histrione tritum illud in Theatro quãdoque diceretur, ἀφόρητός ἐστιν ὁ δύπυχῶν μαστιγίας, Intolerabilis est fortunatus verbero: & ob eam causam in Polybiũ libertum eius omnes oculos coniecissent, ísque magno clamore respondisset, dictum esse ab eodem poeta, ὅτι βασιλεῖς ἐγένοντο οἱ πρὶν ὄντες αἰπόλοι, Qui antea pastores fuerant, eos postea reges esse factos: in eum ipse non animaduertit. Cúmque ad eum perferretur illos sibi insidias parare, cæteris pro nihilo habitis respondit, nõ eodem modo à pulice, & fera bellua caueri oportere. Asiaticus verò apud eum condemnatus est, parúmque abfuit quin absolueretur. nam cùm negaret factum, séque neminem ex iis, qui contra se testimonium dixerant, nosse confirmaret: miles qui se vnà cum eo dicebat fuisse, interrogatus quis esset Asiaticus, caluum quendam, qui tum fortè aderat præsens, ostendit, nam id signum eius tantummodo didicerat. quamobrem cùm magnus risus concitatus esset, Claudiúsque eum liberare statueret, Vitellius, quo Messalinæ rem gratam faceret, se ab Asiatico rogatum esse dixit, vt sibi liceret mortis genus eligere. Quod cùm Asiaticus audiuisset, conscius culpæ, ratúsque se iam condemnatum esse, mortem sibi conscíuit. Eodem anno parua insula prope Thiram insulam, quæ nunquam antea visa fuerat, inuenta est. Sed cùm multi seruos suos morbo laborantes non modò negligenter tractarent, verùm etiam domo expellerent, legem tulit, qua lege omnes huiusmodi qui conualuissent, liberos esse iussit. Cùm autem Vespasianus in Britannia obsideretur à Barbaris, atque in extremum periculum veniisset, Titus filius eius patris saluti metuens, incredibili audacia eum obsidione liberauit, fudítque barbaros, eósque longius insecutus occidit. Plautius de bello Britannico, quod bene fœlicitérque gesserat, laudatus à Claudio, triumphauit. Cneus verò Domitius Corbulo, qui prætor in Celtica exercitibus in vnum conductis vexabat multos, eósque præsertim qui Chauchi nominantur, è solo hostili à Claudio euocatus est. Cognita enim eius virtute, exercitationéque armorum, amplius eum augeri non permisit. Quod vbi Corbulo intellexit, in vrbem reuersus est: prius tamen exclamauit, veteres duces fortunatos esse, quibus liceret esse fortibus sine periculo, se autem inuidia à Cæsare prohiberi. Claudius tamen ei vt triumpharet, concessit, eundémque postea exercitui iterum præ-

Asiaticus.

Edictũ Claudij de seruis ægrotantibus.

Cn. Domitius Corbulo.

fecit. Quem cùm ille accepiſſet, eodem modo exercebat milites: & quoniam eo tempore pax erat, agrum qui inter Rhenũ & Meſam interiacet, ab illis perfodi curauit. is ager patet ad millia paſſuum XXI. idque fecit ne inundante Oceano flumina reſtagnarent. Interea Meſſalina, cui non ſatis erat adulteria committere & ſcortari, iam enim cubiculum habebat in palatio, in quo ſe & primarias fœminas proſtituebat, cupiuit pluribus viris iuſtis & legitimis nubere. Itaque nupſit Caio Silio, harúmque nuptiarum conuiuium magnificum & ſumptuoſum fecit, eíque regiam domum donauit, in qua congeſſit omnes Claudii theſauros pretioſiſſimos, eúmque ad extremum conſulem deſignauit. Quæ cùm audirentur & viderentur ab omnibus, ea ſolus Claudius ignorabat: qui cùm Hoſtiam eſſet profectus vt rei frumentariæ prouideret, Meſſalina Romæ relicta ſimulatione ægræ valetudinis, cõuiuiũ ornauit magnificè & ſplẽdidè, in eóque omnia libidinoſè & petulanter fecit. Itaq; Narciſſus Claudio, cùm ſolus eſſet, per pellices ipſius omnia quæ gererentur, ſignificauit: quibus cognitis rebus Claudius in Vrbem ſubitò reuerſus, magnum numerũ hominum, ſed imprimis amatorem Meſſalinæ occidit: pòſt ipſam quoque Meſſalinam iugulauit: nec multo tempore pòſt Agrippinam neptem ſuam & matrem eius Domitii qui Nero cognominatus eſt, in vxorem duxit. Erat enim fœmina egregia forma, ad quam ipſe antea ſæpenumero accedebat, eáque cum Claudio vt patruo ſola cõuerſabatur libidinoſius quàm neptẽ deceret. Igitur Agrippina, vt primùm regalem poteſtatẽ habuit, Claudium ſibi deuinxit (erat enim acris fœmina & induſtria in rebus gerendis) eóſque quos à Claudio diligi animaduerterat, minis atque beneficiis ſuos fecit. Ea Claudio liberos habenti perſuaſit vt filiũ ſuum adoptaret, eúmque interim ad principatum exercebat, dum à Seneca inſtitui atque erudiri curaret. Huic etiam quàm maximas opes comparauit: nihil enim tam paruum erat aut vile, quod pecuniæ cauſa non faceret, colebátque eos qui aliquãtum locupletes erant, & complures ob eandem cauſam occidebat: multas illuſtres & nobiles fœminas nonnulla inuidia perdidit, in quarum numero fuit Lollia Paulina, quæ ab ea propterea necata eſt, quòd ſe Claudio nupturã eſſe aliquando ſperauerat, cuius caput ad ſe perlatum cùm non agnoſceret, os eius manu ſua aperuit, vt dentes inſpiceret, quos illa non perinde vt cæteræ ſolent habuerat. Itaque Agrippina repentè altera Meſſalina facta eſt, præſertim cùm ſenatus ampliſſimos honores ei

Cupit Meſſalina pluribus viris nubere.

Meſſalina iugulatur.

Agrippina.

Seneca inſtituit Neronem.

decerneret, & imprimis, vt in conuentibus publicis carpento vteretur. Sed cùm Claudius Neronem filium eius adoptasset, eúmque sibi posteà generum faceret emancipata filia, ne fratres matrimonio coniungi viderentur, magnũ prodigium extitit. nam eo die cœlum ardere visum est. Cupiuit Claudius nauale prælium in quodam lacu apparare, cuius muro de lignea materia ædificato, defixísque trabibus, eò magnam hominum multitudinem coëgit. Ibi cæteri arbitrio suo, Claudius autem & Nero militari veste induti fuerunt, Agrippina aurea chlamyde fuit ornata. Qui eo prælio nauali dicertaturi erant, damnati fuerãt rei capitalis. Erant vtrinque quinquaginta naues, alteri Rhodii, Siculi alteri nominabantur. Hi principio simul omnes Claudium salutauerũt his verbis, Salue Imperator, peresuntes salutamus te, pòst vbi salutem impetrare non potuerunt, fuítque mandatum, vt, quemadmodum iussi fuerant, dimicarent: eruptione facta, non se prius adorti sunt, quàm fuerunt necessitate coacti. Narcissus verò adeò Claudio familiaris erat, *Narcissus.* vt cùm Bithynii contra Iunium Cilonem qui ipsis præfuerat, exclamarent, dicerẽntque eum magnis muneribus corruptum fuisse: & Claudius eos qui circunstabant rogaret quid dicerent (non enim propter tumultum intellexerat) Narcissus mentiẽs, eos magnas gratias habere Iunio respondit: Claudius Narcissum vera dicere arbitratus, Iunium eis præesse alterum biennium iussit. Agrippina sæpenumero sedens in suo tribunali, Claudio assidebat, cùm is legatos audiret, aut eis responderet. quo genere spectaculi nullũ erat sanè pulchrius. Claudius iratus aliquando Iudæo Gallo oratori causam apud se agenti, iussit eum in Tiberim proiici, à quo tum, cùm ius redderet, non longè aberat. Hac in re Domitius, qui omnes patronos causarum suæ ætatis superabat, perbellè iocatus est. nam cùm is *Facetè dictũ.* qui erat à Iudæo destitutus, opem ab eo peteret, ita respondit Quis tibi nuntiauit, inquit, me melius quàm illum natare? Cæterùm Claudius iratus propter ea quæ ab Agrippina fiebant, quæque iam ad ipsum perferebantur, requirebat Britannicum, quem illa sæpenumero de industria in conspectum patris propterea venire nolebat, quòd Neroni filio suo quem ex Domitio priore marito habebat, imperium parare conaretur. Quam rem Claudius cùm perferre non posset, parabat eam de medio tollere, & filium suum successorem imperii designare. Quo cognito Agrippina metuens, eius consilium præuenire statuit. Itaque vt cognouit ei propter vinum noceri non posse, multũ enim

bibebat, nec propter aliam rationem viuendi: qua plurimum
Locusta venefica. Imperatores vtuntur, vt salutem tueantur, Locustam veneficam mulierem, eámque celeberrimam accersi, ac per eam venenũ, cui remedium adhiberi non poterat, in boleto parari iussit. Quo facto Agrippina cœpit ex cæteris boletis comedere, illum verò, in quo venenum erat, maximũ atque pulcherrimũ, vt Claudius comederet, perfecit. Ita ille ex insidiis captus, ex conuiuio, quasi vino confectus, exportatus est, id quod antea crebrò factum fuerat. Noctu autem postea quam obmutuisset atque obsurduisset, mortuus est tertio Idus Octobris. Vixit annos LXIII. regnauit annos XIII. menses VIII. dies XX. Id Agrippina facere potuit, quod Narcissum præmisserat in Cãpaniam, vt aquis quæ erant in ea regione ad podagrã vteretur. nec enim ideo præsente cõfeciisset, quòd ille domini custos vigilantissimus erat. Idémque post mortem Claudii sublatus est, homo illis quidẽ temporibus omnium hominũ potentissimus: habebat enim aureorum plus quàm quadragesies centena millia, applicabántque se ad eũ ciuitates regésque. Is priusquam iugularetur, facinus præclarũ fecit. Nam arcanas literas, quas Claudius contra Agrippinã & nonnullos alios scripserat, & quas ipse cui ea cura incumbebat, apud se habebat, omnes cõbussit. Itaq; Claudius mortuus est,
Prodigia. cuius mortem hæc denunciare videbantur. Nam cometa longo tempore visus est, pluitque sanguinem, & fulmen de cælo in signa prætorianorum militũ cecidit, templúmq; Iouis victoris sua spõte apertũ est: denique ex singulis generibus magistratuum singuli mortui sunt. Claudius eundem honorẽ sepulturæ & reliquorũ omnium, qui Augusto habitus fuerat, adeptus est. Tũ Agrippina & Nero eum se lugere simulabant, quẽ necauerant, atque in cælum efferebant eum, quem in conuiuio ex insidiis sustulerant. Itaque Lucius Iulius Galio Senecæ frater facetè & vrbanè dixit (scripsit etiam Seneca librum, quem ἀποκολοκύντωσιν quasi immortalitem quandam nominauit) sed ille cùm multa dixisse fertur, tum hoc imprimis. Nam cùm esset consuetudo necatos in carcere trahi à carnificibus in forum magnis quibusdam vncis, deinde in flumen proiici, dixit Claudium vnco in cœlum attractũ esse. Ipsius quoque Neronis dictum non indignum memoria videtur. Is dicebat boletos cibũ deorum esse, quod Claudius boleto in numerum deorum relatus fuisset.

NERO

Nero.

POST Claudii mortẽ Britannicum optimo iure imperio ſuccedere oportebat, quòd erat eius naturalis & legitim⁹ filius, quódque valebat viribus corporis, & flore ætatis vigebat. Iure autem ciuili propter ius adoptionis imperium ad Neronem quoque pertinebat. Sed nullum ius profectò plus poteſt, quàm arma. Vt enim quiſque potentiſſimus eſt, ita iuſtiſſimè dicere omnia & facere videtur. Itaque Nero tabulis teſtamenti Claudii de medio ſublatis, nõ ſolùm eſt imperium adeptus, ſed etiam Britannicum, & ſorores eius interfecit: quis enim calamitates cæterorum hominum facilè deploret? huic autem imperium antè hoc modo ſignificatum eſt. Cùm natus eſſet prima luce, antequam ſol ortus eſſe videretur, radii circum eum fulſerunt: qua ex re tum etiã animaduerſo ſtellarum curſu, qui tum erat, atque earum coniunctione quidam aſtrologus duo ſimul prædixit, eum regnaturũ eſſe, & matrem necaturum. Quod cùm Agrippina intellexiſſet, demens ſubitò exclamare cœpit, Me verò inquit occidat, dum regnet. Cuius quidem rei futurum erat, vt eam maximè pœniteret. Sed plerique hominũ adeò ſtulti ſunt, vt ſi bona ſe ſperent adepturos, quæ cum malis coniuncta ſint, ſtatim incenſi cupiditate melioris, quod peius eſt, negligant: cùm autem, id quod malum erat, aduenerit, adeò grauiter & moleſtè ferunt, vt ſe maximè cupiãt ab optimis quibuſque rebus abſtinuiſſe. Porrò nequitiam & petulantiam Neronis Domitius pater non ex vaticinio, ſed ex ſuis & Agrippinæ moribus prædixit. Nõ enim, inquit, fieri vllo modo poteſt, vt ex me & illa vir bonus naſcatur. Progrediente verò tempore propter exuuias ſerpẽtis ad ceruicem Neronis pueri inuentas, vates prædixere eum ab homine ſene magnam potentiam accepturum. Serpentes enim poſitis exuuiis, vnà exuere ſenectutem exiſtimantur. Natus erat decem & ſeptem annos, cùm imperare cœpit: deinde profectus ad exercitum, lectis iis omnibus, quæ Seneca ſcripſerat, militibus, quantum eis Claudius dederat, promiſit. Quæ autem legit in ſenatu ab ſe, atque eodẽ Seneca ſcripta, tantam vim habuerunt, vt decreto ſenatus inſculperentur in columna argentea, ac

Agrippina.

Domitius pater Neronis.

quotannis in creandis nouis conſulibus legerentur. Quibus rebus omnibus id agebant, vt tanquam ad certum quoddã præſcriptum optimè regerentur. Agrippina principio adminiſtrabat omnia quæ ad principatum ſpectabant: ambo vnà exibant foras, ſæpenumero eadem lectica vehebantur: quanquam illa magna ex parte vehi, hic conſequi ſolebat: illa reſpondebat legatis, literáſq; ad populos, & principes, & reges mittebat. Quod cùm diu factum eſſet, ferre grauiter cœperunt Seneca & Burus homines ſapientiſſimi, & apud Neronem maximæ authoritatis. Horum alter prætorianis militibus præerat, alter doctor eius erat. Itaque commodam occaſionem nacti, huic rei finem impoſuerunt. Cùm enim legati Armeniorum veniſſent, vellétque Agrippina in tribunal, ex quo Nero cum eis colloquebatur, aſcendere, eámque illi appropinquare viderent, adoleſcenti, vt antè deſcenderet, & ad matrem excipiendam procederet obuiam, perſuaſerunt. Quo facto non ſunt reuerſi, alia ſimulata cauſa, ne barbaris hanc labem ignominiámque Imperii patefacerẽt: cúmque perfeciſſent poſtea, vt ne deinceps permitteretur ei cura rerum publicarum, ipſi omnem potentiam conſecuti ſunt, quam quouſque obtinere potuerunt, omnia ſunt ab iis optimè & iuſtiſſimè adminiſtrata. Nero enim otium & trãquillitatem vitæ ſecutus, nõ facilè negotiis implicabatur, eúmque illi voluptatibus ſinebãt indulgere: vt cùm expleuiſſet cupiditates ſuas ſine magno reipublicæ detrimento, conſilium mutaret: quaſi neſcirent præfractos iuuenum animos, educatóſque in ſecura voluptate, & maxima licentia non modõ expleri non poſſe, ſed ex iis multo magis corrumpi. Is primò tantummodo conuiuia faciebat, cum libidinoſis luxurioſè viuebat, crebrò ebrius erat, amabat. Sed poſtquam nemo increpauit eius libidinem, nec reſpublica propterea peius adminiſtrabatur, putauit ſe non ſolùm eam benè gerere, ſed etiam magna commoda ex ea capere poſſe. Itaque cœpit partim contemnere, præſertim cùm crebrò audiret à familiaribus ſuis, Tu hæc pateris? tu hos times? ignoras te Cæſarem eſſe? téque illorum poteſtatem habere, non illos tui? partim contendere, ne matri cederet, tum erubeſcere quòd Seneca & Buro prudentiſſimis hominibus inferior eſſe videretur: denique omnia eorum præcepta prætermittere atque negligere, & ad mores ac inſtituta Caii ſe conferre: quem vt primùm imitari ſtatuit, facillimè ſuperauit: exiſtimauit Imperatoriæ maieſtatis ac poteſtatis eſſe, efficere vt nullius rei ne viliſſimæ quidem indigeret. Qua ex re cœpit, vt

par eſt, magnã pecuniam conſumere, multa per iniuriam quærere, multa per vim eripere: nec enim paruo aut abiecto animo erat. Cuius rei argumẽto eſt, quòd cùm prætoriano militi, qui libros imperii eius adminiſtrabat, dari iuſſiſſet aureorum centum millia, eáque Agrippina, vt ipſum intuentem ſummã tantæ pecuniæ pœniteret, vno in loco coaceruaſſet, interrogauit, quantum eſſet numeratum, cognitáque ſumma, eam duplicari iuſſit. Non enim putaui, inquit, me tam exiguum munus dediſſe. Id verò multo magis perſpicuũ eſt ex magnitudine ſumptuum, quos fecit. Siquidem theſauros quos habebat in thalamo regio, ita exhauſit, vt ei ſtatim opus fuerit nouis redditibus. Itaque non ſolùm exegit noua vectigalia, ſed etiam inhiauit locupletum facultatibus, quas per iniuriam abſtulit à multis, eorúmque nonnullos occidit. Sed cùm Nero in ſumma talis fuerit, ſupereſt, vt de ſingulis eius factis dicamus. In primis igitur curſu & certaminibus equorum delectabatur, ita vt ob eá cauſam inſignes equos victores, & iam ſenio confectos ſtola forenſi nõ ſecus quàm homines ornaret, eóſque honeſtabat pecunia ſtipendii loco. Quamobrem cũ propter hoc Neronis ſtudium, ii qui equos alebant vnà cum aurigis ſuperbè extollerentur, ac proinde prætoribus ſæpe & cõſulibus graues iniurias facerent, Aulus Fabricius prætor vti noluit illis, iuſta mercede cũ quibuſdam certare recuſantibus, ſed canes doctos currus agere pro equis introduxit. Quo facto qui albo, quíque fuluo ornatu erant, ſtatim currus dimiſerunt: cúmque praſini & veneti nihilo magis exirent, Nero præmia equis propoſuit. Itaque ludi Circenſes peracti ſunt. Interea grauiter ferebat Agrippina, quòd non amplius in eos qui erant in Palatio, præſertim propter Acten imperium teneret. Fuerat Acte empta ex Aſia, cuius amore Nero ita captus erat, vt ea peruenerit in familiã Attali, ac Neroni Octauia vxore multo charior fuerit. His de cauſis præſertim, aliiſque Agrippina ægrè ferẽs, primò admonere Neronẽ conatur, eóſque qui cum ipſo verſabantur, partim verberibus caſtigat, partim procul amouet. Pòſt vbi ſe nihil proficere cognouit, multo grauius tulit, aíque, Ego te Imperatorẽ feci: tanquam poſſet ei principatum arbitratu ſuo adimere: neſciebat enim ſummũ imperium poſtquam eſt à priuato alicui delatum, ſtatim deficere eum qui detulit, & ad eum qui accepit, contra eum qui dedit, tranſferri. Tum Nero Britannicum veneno ſuſtulit, cuius corpus vt vidit propter venenum liuore decoloratum eſſe, gypſo obliniendum curauit: cúmque per fo-

CCL. *Myriades drachmarum.*

Donum Neronis duplicatũ.

Acte, Mulier.

rũ eius efferretur, maximo imbri de cœlo omne gypſum, quod adhuc molle & tenerũ erat, ſublatũ eſt, vt nefarium ſcelus non ſolùm audiretur ab omnibus, ſed etiam apertũ ante omnium oculos poneretur. Poſt hæc incipit palàm inſanire, multa domi, multa in ſuperiore parte vrbis, noctu atque interdiu latitans libidinoſè facere, in cauponas ingredi, & vt priuatus omnia loca peruagari. Qua ex re multis vulnera & graues iniuriæ inferebantur. Iam matri palàm & apertè inimicus erat, fiebátque ex eo, vt multa, quæ quotidie ferè contra ſe dicerẽt faceréntve, proferrentur extra palatium, licet omnia in ore vulgi non verſarẽtur. Multa variè dici, multáque coniici ex vtriuſque nequitia atque libidine ſolebant: nam quæ facta fuerant nunquam, pro factis diuulgabantur, quæque aliquo modo credibilia erant, pro veris credebantur. Tum primùm multi cùm viderent eam abſque ſatellitibus, cauebant, ne facti obuiam cum ea ſermones conferrent. Quòd ſi quis ei aliquo caſu atque fortuna occurriſſet, ſtatim nullo habito ſermone diſcedebat. Per id tempus editum eſt ſpectaculum, in quo homines in equis inſidẽtes, magno curſu atque impetu in tauros facto, eos occiderunt: tũ ab equitibus ſtipatoribus corporis Neronis quadringenti vrſi cum trecentis leonibus haſtis trãſſixi ſunt, viríque equeſtris ordinis triginta munus gladiatorium obierunt. Cùm autem hæc apertè faceret, tũ occultè noctu per totam vrbẽ debacchabatur: mulieribus puerísque ſtuprum inferebat, ſpoliabátque eos, qui ſibi fierẽt obuiam, percutiebat, vulnerabat, occidebat. Cúmque hæc faceret, putabat clam homines eſſe, propterea quòd variis generibus veſtium & appoſitis comis vteretur: ſed ex comitatu factíſque facilè agnoſcebatur. Nec enim eſſet auſus quiſquam tot & tantas res ſecuro animo facere. Nam domi eſſe nulli tutum erat, Nerone in domos atque officinas inſultante. Itaq; Iulius Mõtanus ſenator cõmotus vxoris cauſa, facto in Neronem impetu, ei multas plagas inflixit, ita vt per multos dies in cõſpectum hominũ non venerit. Quæ res Montano nullum damnũ attulit, cui Nero ne iratus quidẽ omnino fuiſſet, etſi putabat ſe iniuriã accepiſſe, niſi ipſe veniã per literas petiuiſſet. Quibus literis lectis Nero ita reſpõdit, Igitur inquit percutiẽs Neronem interfeciſſet. Cùm autẽ in theatro ſpectacula præberet, primùm eodẽ theatro de repẽte aqua maris expleto, in qua piſces & alia animalia natabant, bellũ nauale Perſarũ cum Athenienſibus fecit: deinde ſubitò aquã eduxit, exiccatóque ſolo rurſum multos pedites, nõ modò binos, ſed etiã cõfertos paribus vtrinq; nume-

ris congredi iuſſit. Poſt hæc ſecuta ſunt certamina iudicialia: ex quibus multi exultauerunt, multi interfecti ſunt. In his Seneca reus factus eſt multorũ ſcelerum, ſed præſertim, quòd cũ Agrippina rẽ haberet. Nec enim in hac re ſolum, ſed in pleriſq; aliis cõtrà facere viſus eſt, quàm philoſophabatur. Cùm enim tyrãnidẽ improbaret, tyrãni præceptor erat: cúmq; inſultaret iis, qui cũ principibus verſarentur, ipſe à palatio nõ diſcedebat. Aſſentatores deteſtabatur, cùm ipſe reginas coleret & libertos, ac laudationes quorundã componeret. Reprehẽdebat diuites is, cuius facultates erãt aureorũ tricies cẽtena millia, quiq; luxum aliorũ damnabat, quingẽtos tripodas habuit de ligno cedrino, pedibus eburneis, ſimiles & pares inter ſe, in quibus cænabat. Ex quibus omnibus ea quæ ſunt iis cõſentanea, quæque ipſe libidinoſè fecit, facilè intelligi poſſunt. Nuptias enim cum nobiliſſima atque illuſtriſſima fœmina cõtraxit: delectabatur exoletis, ídque Neronem facere docuerat, etſi antea tanta fuerat morum ſeueritate, vt ab eo peteret, ne ſe oſcularetur, néve vnà ſecũ cænãdi cauſa diſcumberet. Cum Nerone M. Saluius Otho tanta morũ ſimilitudine & ſocietate ſcelerum coniũctus erat, vt Neroni aliquando dixerit, Tu me quoque Cæſarẽ videbis. Quod dictum ei nihil obfuit, tantum Nero reſpondit, Te verò, inquit, ne conſulem quidem videbo. Huic Sabinã nobilem fœminam abductam à viro, vxorem dedit, cum qua vterque pariter rẽ habebat. Cuius rei cauſa Agrippina metuens, ne ea Neroni nuberet, valde enim amare cœperat, facinus nefarium eſt auſa. Nam quaſi non eſſet ſatis graue dictu, quòd Claudium patruum præſtigiis quibuſdam & libidinoſis aſpectibus atque oſculis in amorem ſuum illexiſſet, tentauit eodem modo Neronem ſub ſuam poteſtatem ſubiicere: quod an verè factum ſit, an propter mores eius confictum, pro certo non habeo: ea verò refero, quæ verſantur in ore omnium, fœminam æqualem & ſimilem Agrippinæ ob hanc cauſam maximè ab eo amatam fuiſſe: ad quam alludens, atque rem aliis aperiens, dicebat ſe cum matre cõſuetudinẽ habere. Hac cognita re, Sabina perſuaſit Neroni, Agrippinam de medio tollere, quòd ab ea diceret ei inſidias parari. Ad id facinus quoque, vt à permultis fide dignis hominibus dictũ eſt, Seneca eum incitauit, ſiue crimen a ſe deriuare cuperet, ſiue Neronem ad nefariam cædem faciendam perducere, vt eũ quàm celerrimè dii hominéſque perderent. Quod facinus cùm palàm facere timerent, nec poſſent eam clàm veneno tollere (cauebat enim diligenter omnia) cúmque vidiſſent in thea-

Seneca. *nota.*

Septem millia quingẽtæ myriades drachmarum.

M. Saluius.

In Agrippinã.

Sabina.

M.

tro nauim per ſe diſſolui, ac belluis quibuſdam emiſſis, rurſum integram & firmam conſiſtere, alteram conſimilem huic ædificari iuſſit. Qua naui ædificata Agrippina maximè foueri, & quibuſcunque rebus poterat, coli cœpit, ne quid ſuſpicata caueret. Sed cùm Romæ nihil facere eſſet auſus, ne ſcelus diuulgaretur, procul in Campaniam profectus eſt, acceptáque matre in ea ipſa naui magnificentiſſimè atque ſplendidiſſimè ornata nauigauit. Id faciebat vt illa in reliquum tempus eodem nauigio vti cuperet. Cúmque Baulos veniſſet, magnificentiſſima conuiuia per multos dies egit: in his matrem amicè & beneuolè accipiebat, ſimulabátque ſe abſentis eius magno deſiderio teneri: præſentẽ oſculabatur, petere iubebat ſi quid vellet, eíque multa antè quàm peteret, cõcedebat. Poſt cœnæ tempus media nocte eam ſumma beneuolentia complexus, atque oculos eius & manus oſculatus, comitatúſque abeuntem dixit, Mea mater vale mea cauſa, & cura valetudinẽ tuam, ego quidem certè tua cauſa viuo & regno. Poſt hæc eã tradidit Aniceto liberto, quaſi is eam domum deducturus eſſet in naui, quam ſuprà ad interitum eius comparatam eſſe diximus. Sed mare has futuras tragœdias in ſe perferre nõ potuit, neque celare diutius fraudem nefarii ſceleris. Licet enim diſſoluto nauigio Agrippina in mare ceciderit, non tamen mortua eſt. Nam cùm in tenebris eſſet, & plena vini, ac nautæ remis ſic in eam vterentur, vt Aceroniam Pollam, quæ vnà nauigabat, interfecerint, tamen ea ſalua & incolumis euaſit. Poſtquam domum venit, omnia diſſimulauit. nec enim patefecit inſidias, ſed nũtios de iis rebus ad filium celeriter miſit, quas ſibi caſu & fortuna dicebat eueniſſe, quódque ſalua eſſet, ad eum θυγάτια mittere. His auditis rebus Nero impotenti animo nuntium puniuit, tanquam ad ſe interficiendum veniſſet. Mox Anicetum vnà cum nautis aduerſum matrem ire iubet, nec enim hãc cædẽ prætorianis credidit. Hos vt vidit Agrippina, cognouítque quamobrem veniſſent, repente de lecto deſiluit, diſciſſáque veſte denudatáque aluo, ait, Hanc tu percute Anicete, percute, quoniam peperit Neronem. Itaque Agrippina Germanici filia, Agrippæ neptis, Auguſti abneptis, à filio ſuo cui regnum detulerat, & cuius cauſa præter alios multos patruum quoque necauerat, interfecta eſt. Nero poſtquam accepit eam mortuam eſſe, non credidit: nimirum propter magnitudinem temerarii facinoris diffidebat. Itaque cupiuit eam videre, & denudatam penitus conſpexit, tum vulnera eius contẽplatus, nefarium ſermonem habuit plus quàm cædes fuiſſet.

M. *Agrippina interficitur.*
§ 116. 11

Neſciebam, inquit, me tam pulchram matrem habere. Deinde pecuniam dedit prætorianis militibus, videlicet vt multa facinora eiuſdem generis libenter facerent: ſcripſitque ad ſenatum literas, in quibus præter cætera enumerabat, quot ſcelerum conſcia ſibi fuiſſet, ab eáque ſibi inſidias eſſe factas, atque in eo deprehenſam, mortem ſibi conſciuiſſe. Quibus literis miſſis ad ſenatum, ille nocturno tempore tanto metu conturbabatur, vt de lecto repẽtè proſiliret. Interdiu perterrefaciebant eum tubicines auditi bellicũ canere cũ maximo tumultu, quo in loco Agrippinæ oſſa ſepulta erant, quamobrem alió migrabat. Cúmq; ibi idipſum ei accideret, perterritus, alió proficiſcebatur. Hæc dum Romam nuntiarentur, cæteri, etſi erant indignati, gaudebant: putabãt enim ob eam cauſam eum omnino eſſe periturum. Senatores verò cuncti ſe iſtis operibus Neronis lætari ſimulabãt, congratulabantur ei, decernebántque multa in quibus ſe putabant ei gratum facturos. Vnus P. Thraſeas Pætus, etſi venit in ſenatum, ac legi epiſtolam audiuit, tamen prius ſurrexit, quàm aliquid ſtatueretur, exiítque foras, propterea quòd ea quæ vellet, dicere non poſſet: quæ autem poſſet, nollet. Cætera expoſuit in eandem ſententiam. nam ita dicere ſolebat, Si me tantum, inquit, Nero interfecturus eſſet, magnam haberem adulatoribus eius gratiã: ſed ſi eos à quibus maximè laudabatur, ſuſtulit, ſublaturúſque eſt, cur oportet fruſtrà turpiter & ſeruiliter mori, cùm munus naturæ explere liceat retẽta libertate? De me enim, inquit, aliquis ſermo habebitur in poſterum: de iis nullus, niſi tãtummodo eos interfectos fuiſſe. Cúmque Thraſeas eſſet eiuſmodi, tum ita de ſe dicere ſolebat, Nero me poteſt occidere, lædere quidẽnon poteſt. Neronem in Vrbem venientẽ, matre interfecta, omnes publicè colebant: priuatim autem quoties tutò & liberè loqui poterant, carpebant & vellicabant. nam culeum in quadam ſtatua ipſius de nocte ſuſpenderunt, vt ex eo ſignificarent Neronem in culeum coniici oportere, expoſuerúntque puerulum in foro, alligata ad eum tabella, in qua ſcriptum erat: Non te tollo, ne matrem occidas. Legebatur in pleriſque locis ſcriptum,

P. Thraſeas Pætus.

Culeus.

Νέρων, Ὀρέστης, Ἀλκμέων μητροκτόνοι, Nero, Oreſtes, Alcmeon matricidæ. Audire licebat eos qui ita dicerent, Nero matrem interfecit, eóſque multi deferebant, magis vt Neronẽ criminarẽtur, quàm vt eis interitũ afferrent. Cuius rei ipſe nullam pœnã repoſcebat, ne fama magis omnium ſermone percrebreſceret, vel quòd ſermones habitos de iis rebus cõtemne-

N.

ret. Cæterùm in mediis ſacrificiis, quæ Agrippinæ cauſa fiebãt
N. decreto ſenatus, ſol omnino defecit, adeò vt ſtellæ viderentur. Præterea elephanti, qui currum Auguſti egerant, in circum ingreſſi: cùm eò vſque, vbi ſenatores ſedebant, veniſſent, non vltra progreſſi, conſtiterunt. Et quod maximè coniicere licet diuinitus accidiſſe, cæna, quæ ad eum perferebatur, tota fulmine deflagrauit, quaſi harpya quædam cibos ei eriperet. Porrò Domitiam amitam ſuam veneno ſuſtulit, ac bonis eius, quæ Bais, & in
Mare Rauennas. mari Rauennati erant, ablatis, in iis magnifica trophæa ſtatuit, quæ ad noſtram ætatem vigent. Ludos maximos & magnificẽtiſſimos in honorem matris fecit: nam ſimul in quinque ſéxve
Sex theatra. theatris complures dies feſtos egit. Quo tempore elephas in-
Elephas funãbulus. troductus in theatrum, in ſummum eius fornicem conſcendit, atque inde vehens hominem in fune ambulauit. id verò turpiſſimum viſu atque grauiſſimum fuit, quòd viri fœminæque, non ſolùm equeſtris, ſed etiam ſenatorii ordinis in orcheſtram, & circum, & amphitheatrum ingreſſi ſunt, vt homines turpiſſimi atque inhoneſtiſſimi. nonnulliſque eorum tibiis cecinerunt, ſaltauerunt, tragœdias & comœdias egerunt, citharœdi fuerũt, equos agitauerunt, belluas occiderunt, munus gladiatorium obierũt. Id multi fecere volentes, multi inuiti. Viſæ ſunt eo tẽpore veteres & illuſtres familiæ Iurii, Fabii, Porcii, Valerii, cæteríque omnes, quorum trophæa atque tẽpla conſpiciebãtur, ea de inferiore loco facere, quæ ne ab aliis quidem hominibus fieri vnquam viſa fuerant. Itaque viciſſim digito commonſtrabãtur. Dicebant enim Macedones, Hic eſt nepos Pauli: Græci autem, Ille Memmii: tum Siculi aiebant, Videte Claudium: mox Epirotici, Vos verò Appium videte. Aſiatici Lucium oſtendebãt. Hiſpani Publium. Carthaginenſes Aphricanum. Romani verò, omnes. Nam hæc exordia turpitudinis ſuæ facere voluit. Quod cùm viderent ii, qui mente prædíti erant, tum etiam propter magnitudinem ſumptuum ingemiſcebãt. Etenim magnificentiſſima quæque & lautiſſima, quibus homines veſcuntur, cæteráque omnia pretioſiſſima, equos, mancipia, vehicula, argentum, veſtem diuerſi generis in ſignis & notis quibuſdã dabat: iaciebat enim ad plebem paruos globos inſcriptos, tanquam in ſingulis eorum aliquid ineſſet, & vt quiſque ſignum collegerat, ita ei largiebatur. Quamobrem ſic cogitabant, eum, qui tãtos ſumptus faceret ad ignominiam, nullo modo lucrifaciendi cauſa ab indigniſſimis & inſolentiſſimis rebus abſtinentem fore. Poſt hæc viſis nonnullis portentis, aruſpices reſpondere, interitum

teritum Neroni denunciari: dedereque ei consilium, vt in alios id periculum auerteret: qua ex re complures interfeciſſet ſubitò, niſi ei Seneca ita dixiſſet, Licet, inquit, quamplurimos occidas, tamen non potes ſucceſſorem tuum occidere. Tunc ſacrificia pro accepta ſalute, ſicuti dicebat, fecit, foruṁque obſoniorum, quod vno verbo macellum dicitur, dedicauit. Poſt hæc celebrauit feſta alterius generis, quæ dicuntur Iuuenalia: ea propter barbam eius, quæ tum primùm raſa fuerat, facta ſunt: cuius pilos in ſphæram auream coniectos, Ioui Capitolino cõſecrauit. His ludis interfuerunt multi, ſed imprimis nobiliſſimi viri. cuius rei argumentum eſt, quòd AElia Catula fœmina nobiliſſima atque ditiſſima, ac iam grandis natu (nata erat annos octoginta) ſaltauit: cæteri qui propter ſenectutẽ & morbos præcipuè nihil poterant facere, choreas canebant. Se enim exercebat vnuſquiſque vt poterat, erántque ob eas res ſcholæ conſtitutæ, quas frequentabãt clariſſimi viri, mulieres, puellæ, adoleſcentuli, vetulæ, ſenes. Quod ſiquis non poſſet aliter ſpectaculũ præbere, ad choreas ibat: cúmque multi pudore adducti, ea facerẽt perſonati, Nero petente populo, ab eis perſonas auferebat, eóſq; patefaciebat hominibus, apud quos ipſi paulò antè magiſtratus geſſerant. Tum illi præſertim, cæteríque mortuos beatos eſſe aiebant. Nam eo anno magnus numerus primorũ hominum mortem obierat, atque eorum nõnullos accuſatos Neroni inſidias feciſſe, milites lapidibus obruerant. Quoniam autem oportebat extrema principiis reſpondere, ipſe quoque Nero in theatrum prodiit, Gallionis voce nominatim prædicatus, Erit, inquit, Cæſar in ſcena habitu Citharœdi. Quinetiam ipſe imperator dixit, Domini mẽi audite me libenter. Igitur Auguſtus cecinit Attin quandam & Bacchas coram magno militum numero & vniuerſo populo, quantum ſedes capiebant: etſi, vt traditum eſt, tam parua voce & cantu erat, vt riſum fletúmque ſimul omnibus excitaret. Aſſiſtebant ei Burus & Seneca, vt magiſtri, ſuggerentes aliquid: cúmque dixiſſet, plaudebant manibus & veſtimentis, vt reliquos ad idem faciendum inducerent. Erant ob eam cauſam parata quinque millia militum, qui Auguſtales nominati, incipiebãt eum laudibus extollere: poſt hos cæteri omnes inuiti acclamare cogebantur, vno Thraſea excepto, qui nunquam ei viſus eſt aſſentiri: reliqui atque imprimis nobiles viri ſtudioſè ſimul & ingemiſcẽtes omnia cõprobabãt, quæ ab Auguſtalibus dicta eſſent, atque vnà ſimulata lætitia conclamabant. Tum licebat audire, qui ita dicerent, quàm pul-

Dictum Senecæ. *Iuuenalia.* *AElia Catula.* *Attis.* *Bacchæ.* *Auguſtales.*

cher Cæſar, Apollo, Auguſtus, vnus veluti Pithius nemo te per Iouẽ vincit Cæſar. Peractis his rebus, populo epulũ dedit intra naues, in eo loco, in quo ab Auguſto bellum nauale factũ fuerat. Inde media nocte per cloacam in Tiberim nauigauit. Quæ cùm facta eſſent, propterea quòd mentum pilis nudaſſet poſtea pro ſalute ac diuturnitate imperii ſui: ſic enim edixit. Certamen quinquennale inſtituit, quod appellauit Neronia, cuius cauſa gymnaſium ædificauit, in cuius dedicatione equitibus ac ſenatoribus oleum gratis diſtribuit. Hic coronam obtinuit citharœdorum, quos ipſe non vicerat, cæteris omnibus, vt indignis victoria iudicatis. Itaque reliquæ citharœdorũ coronæ ad eum ex omnibus certaminibus, quaſi ſolus victoria dignus eſſet, poſtea mittebantur. Dũ hæc Romæ geruntur, in Britannia grauis caſus accidit, duabus vrbibus expugnatis, & octoginta millibus ciuium Romanorũ aut ſociorum peremptis, ipſa inſula alienata. Quæ clades à muliere illata eſt populo Romano, vt maiore ignominia afficeretur: eáque antea diuinitus denuntiata fuerat. Nam in curia barbaricum murmur cum multo riſu, & tumultus in theatro cum magno fletu audiebatur, cùm ibi nemo hominum loqueretur aut lugeret. Præterea ædes quædam in Tames à fluuio ex aqua factæ videbantur. Denique Oceanus inter eam inſulam & Galliam ſanguinolentus inundauit. Cauſa belli fuit publicatio bonorum, quæ cùm eſſet primariis eorum à Claudio remiſſa, Decianus Catus eius inſulæ procurator dicebat eam renouari oportere. Ad hanc cauſam acceſſit, quòd cùm eis Seneca quadringenta millia aureorum ſub magnis vſuris credidiſſet, eam ſummam omnem ſimul magna vi atque violentia exigebat: maximè verò excitauit, perſuaſitque, vt bellum cum Romanis gererent, Bunduica Britannica fœmina, orta ſtirpe regia, quæ non ſolùm eis cum magna dignitate præfuit, ſed etiam bellum omne adminiſtrauit, cuius animus virilis potius, quàm muliebris erat. Comparato enim exercitu ad centum viginti millia hominum, in tribunal factum ex terra paluſtri more Romano conſcendit fœmina proceriſſimo corpore, forma honeſtiſſima, vultu ſeuero, voce aſpera, capillo valde promiſſo fuluóque. nam ad femora demiſſus erat: ferebat magnum torquem aureum, induebatúrque tunica variis coloribus diſtincta & ſinuoſa, deinde craſſa chlamyde: cúmque ita veſtita eſſet ſemper, ac tum haſtam quoque haberet in manibus, vt ea omnes perterrefaceret, in hunc modum dixit. Equidem vos re ip-

Clades Romanorũ in Britannia.

Decianus Catus.

Seneca.

Bunduica.

Oratio Bunduicæ.

ſa perſuaſos eſſe puto, quantum libertas antecellat ſeruituti. Nam ſi quis veſtrum ignorans, vtra melior eſſet, blandis promiſſis populi Romani deceptus ſit, nunc quidem certè vtramque experti, erratum veſtrum agnoſcere potuiſtis, quòd externam dominationem antepoſuiſtis moribus & inſtitutis patriæ. intellexiſtis profectò, quanto præſtantior ſit libera paupertas opibus, quæ in ſeruitute poſſidentur. Quid enim eſt obſecro tam turpe, quid tam moleſtum hominibus, quod nobis, ex quo tempore Britannia ab illis frequentari cœpit, non acciderit? Nonne maximis atque ampliſſimis facultatibus priuati ſumus? nonne reliquorum tributa pendimus? nonne præter cætera quæ damus, & agros quos colimus, ad eorum vtilitatem, noſtrorum etiam corporum omnia tributa conferimus? At quanto melius fuit, ſemel fortunatos eſſe, quàm fictis falſiſque nominibus libertatis ſingulis annis redimi? quanto verò honeſtius mortem occumbere, quàm capita tributaria circumferre? Sed quid ego iſta commemoro, cùm per illos ne mortem quidem liceat immunes cum vita commutare. Etenim quot & quanta penſitemus mortuorum nomine, omnes profectò ſcitis. Cúmque ii qui ſeruitutem ſeruiunt apud alias gentes, morte liberentur, ſoli populo Romano mortui viuunt, quæſtus & compendii cauſa. Quid quòd & ſiquis noſtrum pecuniam non habet, quomodo enim aut vnde habere poſſit? denudamur, ſpoliamur, tanquam interfecti ſimus? Quam verò continentiam eorum expectamus in reliquum tempus, qui nos à principio ita tractent illiberaliter? cùm tamen omnes homines, feras belluas, quas proximè ceperunt, fouere ſoleant, & blanditiis delinire. Sed nos ipſi, vt verè dicam, authores fuimus malorum omnium, qui eis principiò pedem in hac inſula ponere permiſimus, qui non eos ſtatim, vt illum Iulium Cæſarem expulimus, qui non contra eos, cùm adhuc longè abeſſent, vt contra Auguſtum & Caligulam, magna & metuenda claſſe contendimus. Nos igitur tantam inſulam, vel potius continentem ac quodammodo circumfluam, diuiſam & ſeparatam habitantes, tantúmq; Oceano à cæteris gentibus diſiuncti, vt alias terras, aliud cœlum incolere videamur, quorum nomen ne ſapientiſſimis quidem eorum planè eſt cognitum: nunc neglecti & decepti ſumus ab iis, qui omnino præterquam aliis ſuperiores eſſe, nihil agere, nihil moliri videntur. Quamobrem ô ciues, amici, & propinqui, nam ego omnes, cùm eandem inſulam habite-

mus, & commune nomen habeamus, propinquos puto nunc quidem, quod antea non fecimus, ac dum adhuc libertatis memoriam tenemus, quod nobis dignum eſt, cenſeo eſſe faciendū, vt non ſolàm libertatis nomen, ſed etiam vim & facta poſteris relinquamus. nã ſi nos honeſtè & liberaliter educati, prorſus obliuiſcamur noſtræ fœlicitatis, quid eos nutritos in ſeruitute facturos eſſe ſperamus? Neque verò hæc à me idcirco dicuntur, vt hunc ſtatũ, qui nunc eſt, odio habeatis (odiſtis enim) neque vt ea quæ nobis euentura ſunt, magnopere metuatis (iã enim metuiſtis) ſed vt vos laudibus afficiam, agámque gratias, quòd per vos ipſi omnia, quæ neceſſaria eſſe videtur, facere ſtatuatis: quòd mihi atque vobis ipſis promptis animis opem feratis, quódque vobis Romanos metuendos eſſe non putetis. non enim plures ſunt numero quàm vos, non fortiores. idque intelligi poteſt ex galeis, thoracibus, ocreis, quib⁹ muniti eſtis: præterea ex aggeribus & muris & foſſis, quas feciſtis ad propellendas excurſiones hoſtium: quandoquidem malunt excurrere timoris cauſa, quàm pugnare cominus, vt eſt noſtra conſuetudo. Quocirca tantum eos excedimus viribus, vt tẽtoria noſtra muris eorum tutiora, & ſcuta omni eorum armatura potiora putem. Qua ex re, ſi apud nos erit victoria, facilè eos capiemus: ſi verò aliqua neceſſitas obuenerit, effugiemus. Quòd ſi ſtatuerimus nos aliquò recipere, ſic nos in paludes abdemus & montes, vt ab iis inueniri, aut capi nequeamus. Illi verò grauitate & pondere armorum impediti, neque quenquam noſtrum inſequi poterunt, neque ſe in fugam conferre. Quòd ſi excurrent aliquando, mox ad certa loca perfugient, in quæ tanquam in caueam à nobis compellentur. Quibus in rebus cùm multo nobis inferiores ſint, tum maximè, quòd famem, ſitim, frigus, calorem perferre nobiſcum pariter non poſſunt: ſub vmbra, tecto, ſubacto cibo, vino, oleo, ita indigent, vt ſi quid eorum deficiat, moriantur: nobis autem quæuis herba & radix cibus eſt: quilibet ſuccus, oleum: omnis aqua, vinũ: omnis arbor, domus. Ad hæc loca ipſa nobis ſunt familiaria & quaſi ſocia ad bellum gerendum, illis incognita & inimica. nos fluuios nudi & nantes tranſimus, illis ne nauibus quidem facilè traiiciuntur. Itaque quod fœlix fauſtúmque ſit, contendamus in eos confidenter, oſtendamúſque eos, cùm lepores ſint atque vulpes, temerè conari canibus & lupis imperare. Hæc cùm dixiſſet, leporem è gremio dimiſit ominis capiendi cauſa: qui poſtquam proſperè proceſſit, vniuerſa multitudo lætantibus animis conclamat. Tũ

Bunduica paſſis palmis, Gratias ago tibi, inquit, Adraſte, téque mulier mulierem inuoco, non baiulis AEgyptiis imperans, vt Nitocris: non AEgyptiis mercatoribus, vt Semiramis (hæc enim iã à Romanis accepimus) nec rurſum populo Romano, vt paulò antè Meſſalina, pòſt Agrippina, nunc Nero, qui nomine viri appellatus, re ipſa mulier eſt: idque ex eo intelligi poteſt, quòd voce & cithara canit, quódque ornatur muliebriter, ſed Britannis hominibus imperans, qui non agros colere, non opifices eſſe, ſed bella gerere optimè didicerunt: qui cùm cætera omnia, tum liberos & vxores communes eſſe inter ſe putant, atque illæ ob eam cauſam eandem virtutem cum maribus exercent. Cùm igitur ego apud huiuſmodi viros atque fœminas regnũ obtineam, peto abs te eorum victoriam, ſalutem, libertatem contra viros contumelioſos, improbos, inſatiabiles, ſceleratos: ſi viri appellandi ſunt homines, qui calefactis aquis lauãtur, qui lautè & opiparè epulantur, vini pleni, vnguentis delibuti, molliter cubãtes, cum pueris, atque iis exoletis coëuntes, citharœdo & quidem malo ſeruientes. Non mihi, obſecro, non vobis in reliquum tempus imperet Neronia aut Domitia, ſed illa canẽs dominetur populo Romano. dignus eſt enim huic mulieri ſeruire, cuius tyrannidem longo temporis ſpatio ſuſtinet. Tu verò Domina vt nobis ſola ſemper adſis, à te vehementer peto. Hæc atque alia huiuſmodi cùm Bunduica in concione dixiſſet, cõtra Romanos omnibus copiis contendit. per id tempus imperatore deſtituti erant, quòd Paulinus eorum imperator in Monã, quæ inſula eſt finitima Britanniæ, exercitum duxerat. quamobrem Bunduica duas vrbes populi Romani expugnauit, atque diripuit, in eíſque cædem infinitam, vt ſuprà dixi, fecit. Captis autẽ hominibus, omnia quæ grauiſſima eſſe poſſunt, facta ſunt. Id verò eſt crudeliſſimum atque immaniſſimum, quòd fœminas nobiliſſimas & honeſtiſſimas nudas ſuſpenderunt, exciſáſque mammas earum ad ora ipſarum conſuerunt, vt eas comedere viderentur, earúmque corpora porrecta in longitudinem, palis præacutis tranſfixerunt. Quæ omnia faciebant contumelioſè, dum ſacrificarent in ſuis templis, & epularentur, & maximè in luco Andates: ſic enim victoriam appellabant, eámq; colebant ſtudioſiſſimé. Paulinus, qui iam Monam ſubegerat, ſtatim vt Britannicam cladem intellexit, ex Mona in Britanniam renauigauit. Is belli, quod cum Barbaris erat, fortunam tentare ac periclitari ſubitò noluit, quòd eorum multitudinem & vecordiam timeret: tamen cùm pugnam in tempus magis idoneũ

differret,vbi inopia frumenti laborare cœpit, inſtantibus ac vrgentibus barbaris coactus eſt contra voluntatem ſuam prælium cum eis committere.Bunduica; cuius exercitus erat ad militum ducenta triginta millia, curru vehebatur, ſuóſque inſtruebat. Paulinus, qui neque pares legiones opponere eis poterat, neq; enim Romani inſtructi ſinguli ſuffeciſſent, adeò numero pauciores erant, neque rurſum ſimul confligere,ne cinctus ab hoſtibus cæderetur: tandem audacter exercitum in tres partes diſtribuit, vt ſimul in variis locis pugnarent, ſingulaſque partes confertas denſaſque præſtitit,ne facilè frangerentur. Dū eos inſtruit, & certis locis collocat, ita cohortari incipit. Agedum,

Oratio Paulini. inquit,cōmilitones & Romani viri,oſtendite his peſtibus, quātum nos eis etiā afflicta fortuna antecellamus. Turpe enim eſt, quæ paulò antè virtute peperimus, ea nos hoc tempore turpiter amittere. Sæpenumero vos ipſi,cùm pauciores eſſetis,quàm nunc,multo plures hoſtes viciſtis, idémque à maioribus veſtris crebrò factum eſt. Nolite igitur multitudinem pertimeſcere, aut ſtudium nouandarum rerum, eorum qui inermes inconſideratiſſima & dementiſſima temeritate confidūt: qui etſi quaſdam vrbes incenderunt, tamen id ab iis non vi, aut pugnando factum eſt, ſed alteram proditam, alteram deſertam ceperunt: quas ob res nunc iuſtas & meritas pœnas de iis ſumite, vt quibus viris iniuriam fecerint,rebus ipſis intelligant ac factis. Hos

Altera oratio. ita cohortatus, ad alteros proficiſcitur,quibus ait, Hoc tempus commilitones alacritatē atque audaciam veſtram poſtulat: hodierno die non ſolùm viri fortes eritis,ſed etiam res amiſſas recuperabitis,ſi iſtos vincetis.Nemo omnium vobis in poſterū reſiſtet, hoc vno prælio facto: ſed ea quæ vobis nunc adſunt,confirmabitis,ac reliqua ſubigetis. Cæteri milites vbicunque erāt, vos æmulabuntur, vos hoſtes pertimeſcent. Itaque nunc dum in veſtra manu eſt, an tuti ab omnibus hominibus retinere velitis ea quæ vobis à maioribus veſtris relicta ſunt, quæque vos ipſi antea quæſiuiſtis, an his rebus omnibus priuati,miſeri,afflicti & calamitoſi viuere. eligite quæſo imperium,opes,fœlicitatem potius,quàm ea quæ ſunt iis contraria, ſocordes & negli-

Tertia oratio. gentes pati. Hæc cùm dixiſſet, ad tertios progreſſus ait, Audiuiſtis quæ nobis homines impuriſſimi ac ſceleratiſſimi fecerunt, vel potius magnam eorum partem vidiſtis. Itaque ſtatuite,vtrum vos eadem quoque pati malitis, ac penitus Britanniam amittere, quàm victores non modò vlciſci eos,qui interfecti ſunt,ſed etiam exemplum relinquere cæteris hominibus;

non ſolùm gratæ ad obediendum beneuolentiæ, ſed etiam neceſſariæ ad res nouas moliendas acerbitatis. Spero equidem imprimis vos ſuperiores fore, confiſus beneuolentia atque ſocietate deorum immortalium, qui plurimum auxiliantur iis qui iniuriam acceperunt: deinde veſtra patria fortitudine. Vos enim Romani eſtis, vos virtute atque experientia veſtra omnes homines viciſtis, vos eos ipſos, qui nunc vobis reſiſtunt, cepiſtis: poſtremò dignitate. non enim cum hoſtibus, ſed cum ſeruis noſtris confligemus, quibus liberis eſſe, & ſuo iure viuere conceſſimus. Quòd ſi quid nobis contra ſpem euenerit: neque enim id grauabor dicere, multo melius eſt pugnantes fortiter occumbere, quàm captos in crucem tolli, aut viſcera noſtra exciſa conſpicere, palis ardentibus tranſfigi, feruentíque aqua conſumi & interire, tanquam in feras belluas ſceleratas & impias incidamus. Quamobrē licet inferiores fuerimus, & mortem hîc obierimus, tamen Britanniam habebimus clariſſimum monumentum, quam ſi cæteri Romani amiſerint, tamen nos eam corporibus noſtris perpetuò retinebimus. Hæc cùm dixiſſet, atque alia eiuſdem generis, ſignum pugnæ dat. Tunc omnes vtrinque conueniunt. Barbari magnos clamores edunt, & cantus minaces: Romanis ſilentium eſt & ordo, quouſque eò veniunt, quò telum adiici poſſet: mox accedente turba hoſtium, ſigno dato ſimul in eos irruunt, eorúmque ordines primo congreſſu facilè perturbant: poſt cincti vndique magna multitudine prælium ineunt. Ibi varium certamen fuit. cœpere vtrinque milites leuis armaturæ ſe percutere, milites grauis armaturæ vtrinque inter ſe appoſiti eſſe, equites cum equitibus congredi, ſagittarii Romani certare cum curribus Barbarorum. Barbari curribus ſuis impetum in Romanos facere, eóſque deiicere. Illi quòd abſque thoracibus pugnarent, telis horum propulſari: pedes ab equite opprimi, eques à pedite exturbari: multi coniuncti ſimul contra currus contendere: multi ab iiſdem curribus fundi ac fugari: alii ſagittarios propius accedentes in fugam conuertere, alii procul ab iis cauere. Quæ cùm non vno in loco, ſed ſimul in tribus pariter gererentur, diu vtrinque pugnatum eſt pari alacritate & audacia: tandem Romani ſuperiores diſcedunt, multis in ipſo prælio, multis ad impedimenta, & ad ſyluam cæſis, denique multis viuis captis. Effugere complures, qui parabant iterum pugnare. Sed interim Bunduica morbo extincta eſt, eámque illi luxerunt & humauerunt magnifi- *Bunduica moritur.*

cè: pòst, quòd verè superati essent, fusi ac dispersi sunt. Sed de Britannicis rebus hactenus. Romæ autem Nero Octauiã Augustam primò propter Sabinam pellicem repudiauit, pòst interfecit, cui tamen Burus in ea re obstiterat, prohibuerátque, quo minus eam repudiaret: sic enim Neroni dixerat, Dotem igitur ei, hoc est principatum redde. Burus enim tam magna libertate loquendi vtebatur, vt cùm à Nerone rogaretur aliquãdo iterum de iisdem rebus sententiam dicere, planè & apertè respõderit, Ne me, inquit, de quibus rebus semel dixero, bis interroges. eum Nero veneno sustulit: Tigelinúmque Sophronium, qui petulãs & homicida fuit, supra omnes homines suæ ætatis, vnà cũ altero, prætorianis militibus præfecit. de hoc Pythiæ ancillæ ἀπόφθεγμα dictum esse fertur. Nam cùm omnes famuli præter Pythiam vnà cum Sabina Octauiam inuaderent, quòd eam contemnerent afflicta fortuna, & illi, cuius magna potestas erat, assentarentur, sola Pythias, licet acerrimis tormẽtis coacta, noluit in eam mẽtiri: cúmque Tigellinus instaret vehementius, faciem eius conspuit, Mũdior est, inquit, Tigelline, vulua dominæ meæ, quàm os tuum. Sed Nero hæc salsè & facetè dicta mulierum non probabat: quanquam Pluto interfecto, postquam vidit caput eius ad se perlatum, Nesciebã, inquit, hunc hominem magnum nasum habere, quasi ei pepercisset, si id cognouisset antea. Nero omnem ferè vitam degebat in popinis, vetuítque, vt nihil in eis coctum aliis hominibus præter olera & legumina venderetur. Pallantem interfecit, quòd magnas opes peperisset, ad aureorum quadragesies centena millia. Ita difficilis & morosus erat, vt neque cum seruis, neque cum libertis sermones conferret, sed iis omnia quæ vellet, mandarétve, in libellis scribere consueuerat. Tanta erat Neronis petulãtia, vt publicè currus agitaret. Is aliquãdo belluis interfectis, ac subitò aqua in amphitheatrum deducta, bellum nauale cõfecit: eodémque amphitheatro exhausto, præbuit certamẽ gladiatorium: mox aqua rursum introducta, publicè sumptuosam cænã dedit. Huic cænæ Tigellinus præfectus fuerat, erátq; eius cænæ magnific⁹ apparatus. Fuêre in medio amphitheatro, & in aqua posita magna vasa vinaria lignea, & super ea tabulæ fixæ: circũ erant vndique tabernæ & diuersoria ædificata: cúmque Nero & Tigellinus cum cõuiuis suis medium locũ tenerent, ac in tapetis purpureis & mollibus stragulis epularentur, cæteri in tabernis magnam lætitiam capiebant, intrabántque lupanaria, & cum omnibus mulieribus, quæ tum ibi consederant, palàm rẽ habebant

Octauia Augusta repudiata & occisa.

Burus ueneno sublatus.

Tigellinus.

Myrias myriadũ drach.

Inhonestum conuiuium.

habebant & impudenter. Aderant autem pulcherrimæ & clariſſimæ ancillæ, liberæ, ſcorta, virgines, vxores multorum ciuiũ, non ſolùm plebeiæ, ſed etiam nobiliſſimæ, & puellæ, & mulieres. poterat quiſque ea quam cuperet, potiri: negare licebat nemini. multitudo cõgregata videlicet ex plebeis hominibus largiter potabat, faciebátque iniuriam libidinoſé. Tũ enim ſeruus cum domina, præſente domino ſuo, & gladiator cum virgine nobili, inſpectante patre, rem habuerunt. Sequebãtur inde grauiſſimæ & turpiſſimæ altercationes, vulnera, tumultus, non ſolùm ab iis qui intus erant, ſed etiam ab iis qui foris remanſerant. Quibus ex cauſis multi homines mortui, multæ mulieres ſuffocatæ, multæ raptæ ſunt. His confectis rebus, cupiuit, quod antea ſemper optauerat, Vrbem atque imperiũ viuus funditus perdere. Quam quidem ob cauſam ipſe quoque Priamũ mirum in modum beatum fuiſſe dicebat, quòd patriam ſimul cum regno perdita vidiſſet. Igitur paucos homines quaſi ebrii eſſent, aut alia maleficia facerent, clam in varias partes Vrbis dimiſit. Hi primò vnum & alterum locum pluráve incenderunt: quod cùm eſſet factum, omnes homines dubitauere maximè, quòd neq; principium mali, nec finem poſſent inuenire, quódque multa viderent & audirent inſolentia. nihil enim aliud quàm ignes, vt in caſtris, licebat videre, nihil audire ab aliis, quàm hoc aut illud cõburi. vbi? quomodo? à quo? auxiliamini. Ingẽs erat vbique omnium perturbatio, omnes huc & illuc cõcurſabant obſtupefacti: multis, dum opem aliis ferrent, domi omnia ſua comburi nuntiabatur: multi, antequam res ſuas audirent incendio deflagrare, eas conſumptas eſſe intelligebant: alii ex ædibus ad angiportus currebant, vt inde ædibus ſubuenirent: alii de via intrò properabant, vt intus aliquid perficerẽt. Ingens erat clamor & vlulatus puerorum, mulierum, virorum, ſenum, vt nihil propter fumum videri, nihil propter clamorem intelligi poſſet: multi, quaſi muti eſſent, ſilere videbantur: multi ſua exportare, multi aliena rapere, ſe inuicẽ decipere, in ſarcinis errare, nec, quò progrederentur, aut vbi ſtarent, ſcire: tum expellere, & expelli: exturbare alios, mox ipſi exturbari: multi ſuffocari, multi opprimi: poſtremò nihil, quod in huiuſmodi calamitate hominibus accidere poſſit, prætermitti. Neque verò aliò facilè poterant perfugere: nam ſiquis proximum euaſiſſet ſaluus, mox incidebat in alium, atque ab eo necabatur. Id non vno tantùm, ſed pluribus diebus atque noctibus eodem modo factum eſt: multæ domus deſtitutæ ab iis qui opem ferrent,

Incendium Vrbis.

conciderunt: multæ manibus eorum qui auxiliabantur, deflagrauerunt: quòd & milites cæteri, & excubiæ nocturnæ ad rapinas spectantes, non solùm non restinguebant incendium, verùm etiam magis incendebant. Cúmque varia in variis partibus euenirent, tandem ventus ignem simul ad reliqua omnia pertulit. Quo facto nulla amplius cura de vasis, nulla de ædibus esse cœpit, sed ii qui reliqui erant, de tutis quibusdam locis, veluti multas insulas, aut vrbes simul inflammatas intuebantur: iámque amplius nemo rerum suarum causa mœrore conficiebatur, rempublicam tantummodo lugebant, recordabantúrque magnam partem vrbis à Gallis incensam aliquando, eodē modo conflagrasse. Cùm cæteri omnes in his rebus essent, ac multi in hoc grauissimo dolore in ignem se coniicerent, Nero in summum Palatii, vnde magna pars incēdiorum videri poterat, conscēdit, ibique ornatu citharœdi excidium Troiæ, vt ipse dicebat, cecinit, vel potius vrbis Romæ, sicuti videbatur. Itaq; Vrbs eo tempore in tantam calamitatem incidit, quantam nec antea vnquam, nec pòst præter Gallicam accepit. Nam mons Palatinus omnino, & theatrum Tauri, & cæteræ Vrbis duæ partes exustæ sunt, ac innumerabiles homines perierunt. Tum populus Neroni omnia malè precari, non quòd nomen eius nominaret, sed quòd execraretur eos, qui vrbem incendissent. Imprimis omnes commouebat recordatio oraculi, quod decātatum fuerat Tiberii temporibus: id erat.

Excidium Troiæ.

Τρὶς δ' τριηκοσίων περιτελλομένων ἐνιαυτῶν,
Ρ'ωμαίους ἔμφυλος ὀλεῖ στάσις,
His ter trecentis circumuoluentibus annis,
Seditio perdet Romanos. Cúmque Nero populi consolandi causa hos versus nusquam repertos esse diceret, mutata sententia hunc versum, vt verè Sybillinū, canere cœperunt.

Ἔσχατος Αἰνεαδῶν μητροκτόνος ἡγεμονεύσει,
Vltimus AEneadum matrem necat induperator. Id quod accidit, siue verè prædictum diuino oraculo, siue afflatu multitudinis ex statu rerum qui tum erat (nam is vltimus ex Iulii familia, quæ ab AEnæa profecta erat, regnauit) Nero magnam pecuniam à priuatis & populis propter incendium factū partim vi, partim de voluntate ipsorum exegit, & populo diuisionem frumenti abstulit. Quæ dum ab Nerone gererentur, nuncius ex Armenia, laurúsque parta victoria ad eum allatus est. Nam Corbulo restituta exercitatáque re militari, quæ iam antea dispersa & neglecta erat, Vologesum regem Parthorum,

Corbulo.

& Teridatem principem Armeniæ aduentu ſuo perterruit. Is non ſolùm genere clarus & viribus corporibus, ſed etiam prudentiſſimus erat, poteráque cum veteribus Romanis comparari, vir magna fortitudine & iuſtitia & fide non modò in ſuos, ſed etiam in hoſtes. Cuius rei cauſa Nero eum pro ſe ad bellũ gerendum miſit, eíque tantam poteſtatem dedit, quantam vnquam nemini. Credidit enim eum ſuperaturum eſſe Barbaros, & ſecum in fide perpetuò manſurum. quibus in rebus haud eũ fefellit opinio. Nam Corbulo reliquos homines ob hanc vnã cauſam offendit, quòd Neroni fidem ſeruaret, eúmque, dum principẽ pro illo habere cuperent, hac in re duntaxat non probabant. Corbulo Artaxata abſque pugna cepit, vrbémq; diruit: pòſt ad Tigranocerta contendit. Is regioni eorum parcebat, qui deditionem facerent: agros verò, vrbéſque eorum, qui reſiſterent, depopulabatur: quanquã & illa à volẽtibus capiebat. Cúmque alia multa præclarè & glorioſè faceret, Vologeſũ licet horribilem & formidoloſum hoſtem adduxit ad fœdera facienda pro dignitate populi Romani. Itaque Corbulo magnam potentiam & gloriam adeptus, cùm poſſet facillimè imperator deſignari, omnibus hominibus Neroni grauiter infẽſis, omnéſque res ipſius admirantibus, non modò nihil vnquam molitus, accuſatúſque nunquam eſt, ſed tum etiam magis continens fuit. At Seneca & Rufus præfectus prætorii, cũ aliis viris illuſtribus contra Neronem coniurauerunt. Non enim amplius eius turpitudinem perferre, non petulantiam, non crudelitatem poterant. Itaque ſe, atque illum ſimul his malis liberari cupiebant, ídque palàm Sulpitius Aper centurio, & Subius Flauius tribunus ſtipatorum militum apud Neronem confeſſi ſunt. Horum ille rogatus à Nerone cauſam coniurationis, reſpondit, Quoniã inquit, alio pacto tibi non poteram ſubuenire. Flauius verò, dilexi te, inquit, & odi ſupra omnes homines. Dilexi, quòd te ſperabam bonum principem fore: odi, quòd hæc facias. non enim poſſum aurigæ & citharœdo ſeruire. Hi patefacta coniuratione, atque alii multi horum cauſa ſupplicio affecti ſunt. Nã ſi cui crimina poterãt inferri ex effuſa lætitia, mœrore, ſermone, nutu, iis criminibus illatis fides habebatur: nec erat vllũ crimen, licet confictũ eſſet, quod non ob ea, quæ verè à Nerone facta fuerant, credibile videretur. Qua in re amici mali multorũ, ſeruíque plurimum potuerunt. nam alienos quidem ſeruos atque inimicos, quòd eos habebant ſuſpectos, cauebant, ſuis autẽ ſe vel inuiti patefaciebant. ac de reliquis quidem dicere diffici-

le eſt. Seneca verò Paulinam vxorem interficere voluit. dicebat enim ſe ei perſuaſiſſe mortem contemnere, eámque ſecum vnà mortẽ obire cupiuiſſe: ea quoque Senecæ venas incidit: ſed cùm is difficilè moreretur, militibus mortem ei accelerantibus, antè mortuus eſt, quàm vxor. Ita Paulina ſuperſtes fuit, neque prius ſibi manus attulit, quàm libellum quem ſcribebat, cæteráque emendauiſſet, quæ non audebat apud quenquam deponere, metuens, ne ſi fortè in manus Neronis veniſſent, interirent. Itaque Seneca hoc modo diſceſſit è vita, licet vt homo imbecillo animo Neroni conſuetudinem, quam cum ipſo habuiſſet, exprobraret, ſuáſque facultates omnes propter ædificia, quæ extruebantur, contuliſſet. Fratres Senecæ poſtea interfecti ſunt. Thraſeas quoque & Soranus, qui nobilitate, opibus, ac omni genere virtutis primas partes tenebant, etſi culpam coniurationis non ſuſtinuerunt, tamen propterea quòd tales erant, poſtea mortui ſunt. Contra Soranum Publius Egnatius Celer philoſophus falſum teſtimonium dixit. Cùm enim duo homines præſertim cum Sorano verſarentur, Caſpius Aſclepiadotus Nicæus, & ille Berythius, Aſclepiadotus non modò nihil in eum dixit, ſed eõ trà bonitatem integritatémque eius confirmauit. quamobrem tunc in exilium miſſus eſt, licet eum Galba imperator poſtea reſtituerit. Publius verò, quòd eum calumniatus erat, pecuniam & honores adeptus eſt, vt cæteri omnes, qui idem fecerant, quanuis poſtea in exilium miſſus ſit. Soranus, quòd vſus eſſe artibus magicis diceretur opera filiæ ſuæ, factis Nerone ægrotante ſacrificiis occiſus eſt. Thraſeas propterea moritur, quòd rarò, tanquam minimè approbaret ſenatus decreta, in ſenatum venerat, & quòd nunquam Neronem audiuerat, dum cithara caneret, neque voci eius ſacræ, vt reliqui omnes, ſacrificauerat, aut approbauerat quicquam eius generis: quanquam in Potamia patria tragœdiam egit, vt mos erat in quibuſdam ludis, qui trigeſimo quoque anno fieri conſueuerant. Hic cùm venam ſecuiſſet, porrecta manu ait, Hunc tibi Iupiter ἐλεύθερε ſanguinem libo. Neque verò mirari quiſquam debet, ſi Nerõ huiuſmodi rebus ad homines interficiendos adducebatur, quãdo ab eo homines duo, quòd alter eorum habitaret in foro, & tabernas cõduceret, amicóſque in eas reciperet: alter, quòd ſtatuam Caſſii haberet, eius qui Cæſarẽ interfecerat, damnati, interfecti ſunt. Hoc loco prætereunda nõ eſt Epicharis mulier, de qua cùm quæſtio haberetur de cõiuratione, cuius ipſa in primis conſcia fuerat, ac crebris tormentis adhibitis fœuitia Tigellini

Mors Senecæ.

Fratres Senecæ.

Mors Sorani.

Mors Thraſeæ.

Epicharitis conſtantia.

cruciaretur, nihil vnquã patefecit. Quis verò recẽſere poſſet ea, quæ huius cõiurationis cauſa prætorianis militib⁹ data, aut ampliſſima atque magnificẽtiſſima decreta, quæ de Nerone, amicíſve eius facta ſunt? Rufus Muſonius philoſophus his de cauſis in exilium miſſus eſt, & Sabina eſt à Nerone interfecta, quã pregnantẽ ſeu volens, ſeu per imprudentiam calcibus oppreſſit. Sabina adeò delicatè vixit, vt (nã hoc vno breuiter cognito res manifeſta erit) mulas quibus agebatur, haberet aureis funibus ſubligatas, & quingentæ aſinæ, quæ proximè peperiſſent, quotidie mulgerentur, vt ipſa earũ lacte lauaretur. Formã enim & nitorẽ corporis magno ſtudio curabat. nã cùm aliquando ſe non ſatis bona forma in ſpeculo cerneret, mori prius, quàm ſeneſceret, optauit. Nero tanto eius deſiderio teneri cœpit, vt puerũ libertũ (is Sporus nominabatur) exſecari iuſſerit, quòd Sabinæ ſimillimus erat, eóq; in cæteris rebus pro vxore vſus ſit. Quinetiã progrediente tẽpore eum in vxorẽ duxit: quanquã ipſe nupſiſſet Pythagoræ liberto, dotémque ei per ſyngrapham conſtituit: quas nuptias popul⁹ Romanus celebrauit vnà cũ cæteris gentibus. Licet hæc poſtea facta ſint, ſed tũc, vt paulò antè dicebã, mors quã plurimis allata eſt, multíque etiã ſalute à Tigellino magna pecunia redẽpta liberati ſunt. Nero cùm multa ridiculè faceret, tũ aliquãdo in orcheſtrã inſpectãte vniuerſo populo cõſcẽdit, ibíq; quædã poemata ſua ſcripta de reb⁹ Troianis legit: propter quæ, vt propter cætera omnia quæ faciebat, ſacrificia multa facta ſũt. Cogitabat de reb⁹ geſtis Romanorũ verſibus ſcribere, cùm tamẽ euolueret magnũ numerũ librorũ, antequã aliquid eorũ cõponeret. Qua in re præter cæteros adhibebat Aneũ Cornutũ, virum illis tẽporibus doctrina & eruditione clariſſimũ: quem tamen parũ abfuit quin interfici iuſſerit, eum quidẽ certè in inſulam relegauit, propterea quòd nõnullis exiſtimãtibus quadringẽtos libros à Nerone ſcribi oportere, nimiũ multos eſſe dixit. Cũmq; alter ita obiiceret, Atqui Chryſippus quẽ tu laudas & imitaris, multo plures cõpoſuit, illos vtiles eſſe vitæ hominũ reſpõdit. Huius rei cauſa Cornutus exilio mulctatus eſt. Lucano verò, quòd arte poetica clarus erat, vetitũ fuit ne carmen faceret. Cæterũ Caio Teleſino, & Sutonio Paulino cõſulibus duo facta ſunt, quorũ vnum honeſtiſſimũ, alterum turpiſſimũ fuit. Nã Nero certauit inter citharœdos, eíque victori magno applauſu corona impoſita eſt, perfectíſq; ludis citharœdorũ in Circo currus agitauit. Et Teridates habẽs ſecũ nõ ſolùm ſuos, ſed etiã Vologeſi, Pacori, & Monobazi liberos, Romã deductus eſt, fuítque

Sabina.

Aſinæ quingentæ.

Sporus excíditur.

Nubit Neroni Sporus.

Aneus Cornutus.

Teridates rex Armeniorum.

eorũ iter vt in triumphis per omnes regiones ab Euphrate. Vigebat Teridates ætate, forma, nobilitate, prudentia, magnóque famulorum comitatu & apparatu regio: conſequebantur eum tria millia equitum Parthorum, cum frequentibus Romanis, eúmque vrbes magnificè ornatæ, ac populi magnis lætíſq; clamoribus excipiebant: quæque neceſſaria erant, omnia gratis ei præſtabantur. In quam rem populus Romanus ſumptum faciebat ſingulis diebus aureorum octo millium, ídque nouem menſibus, quibus iter fecit, factum eſt. Teridates equo vbique vehebatur, quouſque in Italiam venit: itidem vxor eius faciebat, gerebátque galeam auream pro integumento, ne contra morem patriæ conſpiceretur. In Italia vehi cœpit curribus à Nerone miſſis, ad eúmque Neapolim per agrum Picenum venit. Dum Neronem conueniret, quanquam iuſſus eſt gladium quem gerebat, deponere, tamen noluit, ſed eum vaginæ clauis affixit: quanuis illum genu flexo, ac manus viciſſim ad cœlum tendens, veneratus dominum appellauerit. Hunc Nero ob eam cauſam admiratus, benignè & comiter excipit, ac præter cætera ludos gladiatorios Puteolis facit. Præfectus ludorum fuit Patrobius libertus eius, tantáque fuit eorum magnificentia atque ſumptus, vt vnius diei ſpatio nemo præter viros, & mulieres, & pueros æthiopes amphitheatrum ingrederetur: quibus de cauſis Patrobius aliquo honore dignus erat. Ibi Teridates de ſuperiore loco, in quo ſedebat, belluas iaculo traiecit, duóſque tauros vno ictu, ſi tamen credibile eſt, vulnerauit ac confecit. His perfectis rebus Nero Romam eum adduxit, eíque Diadema impoſuit. Ibi tota Vrbe luminibus ſertíſq; ornata, magna viſa eſt vbique hominum multitudo, ſed forum imprimis refertum erat. nam populus albatus, laureatúſque certis ordinibus mediũ forum tenuit, cætera tenebant milites armati ſplendidiſſimè, eorúmque arma & ſigna relucebãt inſtar fulguris, nulliúſque apparebant ædificii tecta, propter multitudinem eorum qui in ea aſcenderant. Quibus rebus de nocte comparatis, Nero ornatus veſte triumphali, prima luce forum introiit cum ſenatu & prætorianis militibus, deinde tribunal conſcendit, & in ſede principali conſedit. Teridates cum iis quos ſecum habebat, per ordines armatorum, qui vtrinque inſtructi fuerant, tranſiit: poſt vbi ad tribunal veniunt, Neronem, vt antea fecerant, venerantur. Quas ob res editis magnis clamoribus, Teridates perterritus, mutúſque pro mortuo aliquanto tempore remãſit. ſed vbi indicto ſilentio animum recepit, coactus ſeruire tempori, & neceſ-

XX Myriades drach.

ſitati parere, nõ curauit, ſiquid paulò humilius loqueretur, adductus ſpe eorum, quæ poſtea conſecutus eſt. Ego, inquit, Domine, Arſaci nepos, Vologeſi & Pacori regum frater, tuus ſeruus ſum, veníque, vt te deum meum nõ ſecus ac μίθραν, id eſt ſolem colerem. Equidem is ero, quem tu me fato quodam efficies. Tu enim fatum meum es & fortuna. Huic Nero ita reſpõdit. Tu quidem quòd huc veneris, rectè, inquit, feciſti, vt præſens præſente me fruereris. nam quæ neque pater tuus tibi reliquit, neque fratres quæ dederant, ſeruauerunt, ea ipſe tibi nunc do, téque regem Armeniæ facio, vt tu atque illi ſimul intelligatis, in mea eſſe poteſtate, regna dare & adimere. Hæc cùm dixiſſet, iuſſit eum reuerti via quæ ante tribunal ob eam cauſam parata fuerat. Tum Teridates ſe ad pedes Neronis abiecit, eíque Nero Diadema impoſuit, & ingentes clamores editi ſunt. Poſt hæc actus eſt decreto ſenatus celebris cõuentus in Theatro, cuius non modò ſcena, ſed etiam ipſum totum circuitu intus erat inauratum, itémque cætera omnia, quæ intromittebantur, auro ornata erant. Quibus de cauſis ille dies aureus nominatus eſt. Peripetaſmata, quæ in aëre extenſa erant ad defendendos ſolis ardores, purpurea fuerunt, ſtellis aureis circùm vndique relucẽtibus: in medio horum Nero dum currum agitaret, plagam accepit: cúmque ita eſſent, magnificum conuiuium actũ eſt. Poſt hæc Nero cithara publicè cecinit, curruſque praſina veſte indutus, & galea aurigarum ornatus agitauit. Hîc Teridates Neronem reprobare & deteſtari, Corbulonẽ imprimis laudare, hoc tantùm in eo reprehendere, quòd talem dominũ perferret. Qua de re nec ipſum quidem Neronem cælauit. nam ei ita aliquando dixit. Domine, inquit, optimum ſeruum Corbulonem nactus es. Sed id Nero non intellexit, quòd ei Teridates in cæteris rebus aſſentaretur, ſéque ſtudioſiſſimè in eius familiaritatem inſinuaret. Cuius rei cauſa multa munera accepit, quorum pretium aiunt fuiſſe ad aureorum vicies cẽtena millia, permiſſúmque eſt ei Artaxata inſtaurare, ob eámque cauſam magnũ numerum fabrorũ, quos partim à Nerone acceperat, partim perſuaſerat pecunia, Roma abduxit, ex quibus Corbulo eos tãtùm, quos à Nerone acceperat, paſſus eſt in Armeniã tranſire. Quãobrem Teridates hunc magis admirabatur, illum damnabat. Reuerſus eſt non per Illyricum, & trans Ionium, qua via venerat, ſed Brunduſio Dyrrachium nauigauit, vidítque vrbes Aſiæ munitiſſimas atque pulcherrimas, ac propter eas obſtupuit imperium populi Romani: pòſt Artaxata inſtaurauit, eáque cogno-

Quinque millia Myriadũ drach.

minauit Neronia. Vologeſus autem ſæpenumero accerſitus venire ad Neronem noluit, cui etiam ad extremum infeſtus fuit, atque ita reſcripſit. Tibi quidem, inquit, longè facilius eſt tam magnum mare tranſire, quàm mihi. Si ergo in Aſiam veneris, conſtituemus, quando nobis congrediendum ſit. Nero tamen nec aduerſus eum, nec contra AEthiopas, & Pylas Caſpias, vti cogitabat, nauigauit: ſed miſſis vtroque exploratoribus, in Græciam trāſiit, nō vt maiores eius fecerant, Flaminius, Memmius, Agrippa, Auguſtus, ſed vt currus agitaret, cithara caneret, præconis officio fungeretur, & tragœdias ageret. Non enim Roma ei ſufficiebat, non Theatrum Pompei, non Circus maximus, ſed expeditione opus fuit, vt fieret, ſicuti dicebat, περιοδονίκης, tantámque ſecum multitudinem adduxit, non ſolùm Auguſtalium, ſed etiam aliorum hominum, quantam ſi hoſtium exercitus adeſſet, aut Parthos, aliáſve gentes cepiſſet. Sed illi erant videlicet Neroniani milites, próque armis ferebant citharas, plectra, perſonas, ſoccos. Itaque reportauit victoriā dignam tali exercitu, Terpnúque, & Diodorum, & Pammenem pro Philippo, Perſeo, Antiocho ſuperauit. Nam Pammenem illum, qui fuerat Cai temporibus, licet iam ſenectute confectum, certare coegit, vt victor ſtatuas eius contumelioſè verberaret. Quæ ſi tantummodo à Nerone eſſent facta, ipſe quidem ridiculus fuiſſet: etſi quis audire aut videre æquo animo potuit imperatorem Auguſtum in albo athletarum inſcribi, vocem exercere, meditari cantilenas, comam nutrire, mentum pilis nudare, in curriculo veſtem abiicere, ire cum vno duobúſve comitibus, toruè aſpicere aduerſarios, eíſque, dum cominus certarent, ſemper maledicere, præfectos certaminum & flagelliferos pertimeſcere, iíſque clam pecuniam largiri, ne deprehenſus flagello cæderetur: atque hæc omnia facere, vt cùm in certaminibus citharœdorum vinceret, Cæſaribus inferior eſſet. Quas res quis ſolus deploret, quando is, dum ſoccos indueret, omnem potentiam exuebat, ac dum perſonā ſuſciperet, dignitatem abiiciebat imperii: vinculis enim conſtringebatur vt ſeruus fugitiuus, deducebatúrque vt cæcus: concipiebat, pariebat, inſaniebat. OEdipū, Thyeſtem, Herculem, Alcmæonem, Oreſtem plurimùm agebat, ac perſonas illis nonnunquam ſibi ſimiles gerebat: in muliebri quidem ornatu Sabinam imitabatur, vinciebatúrque catenis aureis. non enim conuenire videbatur, principē Romanū ferreis conſtringi. Hæc omnia cùm cæteri omnes, & milites viderent, patiebantur, & collaudabant, ipſúmque præter alia

quæ

quæ consueuerant, πυθικόνικην, ὀλυμπιονίκην, ἀδελφοδόνικην, παγκράτιον nominabant, videlicet imperii nomina cum his nominibus permiscentes, ita vt post vnumquodque eorum Cæsaris aut Augusti nomen poneretur. Nemo infœlicitatem istius misereri est ausus, nemo odio habere. Vnus quidē è militibus vt eum vinctum & religatum conspexit, accurrit ac dissoluit. Alter rogatus, quid faceret Imperator, Parit, inquit. tum enim Canacē agebat. Nemo quicquam fecit dignum homine Romano: tantam enim pecuniam ab eo consequebantur, vt quò maiorem acciperent, optarēt, vt idem sæpe faceret. Quæ sola, si, vt paulò antè dixi, facta essent, tamē ea res nimium secura, ignominia notata, & ludibrio habita fuisset: nunc autem quasi verè ad bellum gerendum venisset, Græciam depopulatus est, licet eam liberam reliquerit: fecitque cædes infinitas, & bona quorundam adhuc viuētium publicauit, atque innumerabilia donaria, quæ vel Romæ in templis reposita erant, abstulit. Qui in Vrbe erant, atque in omni Italia, eos omnes dedidit Helio Cæsariano, cui tāta facta erat rerum omnium potestas, vt inconsulto Nerone bona proscriberet, mitterétque in exilium, ac non modò plebeios homines, sed etiam viros equestris senatoriíque ordinis iuberet occidi. Ita eo tempore imperium populi Romani duobus simul imperatoribus seruiebat, Neroni & Helio: quorum vter esset nequior, non queo dicere. Cuncta enim eodem modo faciebāt, tātúmque discrepabāt in eo, quòd alter è stirpe Augusti Citharœdos, alter Claudii libertus Cæsares imitabatur. Tigellinum pono quasi cum Nerone cōiunctum. Polycletus autem & Caluia Crispinila separatim vitam degebant, depopulabantúrque & spoliabant omnia quæ occurrerent. ille cū Helio in Vrbe, hæc cum Nerone, & Sabina, & Sporo, cuius custodia ei, etsi erat nobilis fœmina, data fuerat, totiúsque vestis procuratio. Quam ob causam omnes ab ea spoliabantur. Sporum Sabinam nominauit, non solùm quòd propter eius similitudinem exsectus fuerat, sed etiam quòd vt ei antea Sabina, ita hîc in Græcia pactis conuentis nupsit, eúmque Tigellinus, vt lex iubebat, despondit. Hæ nuptiæ ab omnibus Græcis celebratæ sunt, multáque sunt in eā rem, vt par erat, dicta, sed in primis optabant, vt ab iis legitimi liberi procrearentur. Ex eo tempore duo simul cum Nerone cōibant, Pythagoras pro viro, Sporus pro vxore, qui præter cætera domina & regina appellabatur. Illud verò quis dignè mirari potest? quòd cùm adolescentes & puellas nudas alligaret cruci, capiebat pellem feræ, deinde quasi deuoraret aliquid,

Helius Cæsarianus.

Nero nupsit Pythagoræ.

in eos irruebat petulanter. Cúmque hæc turpiter faceret, parua tunica indutus, eáque floribus ornata, ac linteum circum collũ habens, senatores salutabat. Quibus in rebus ita faciebat contra ius fásque, vt etiam tunicis discinctis publicè indueretur. Ferunt equites Romanos Neronis temporibus, dum quotannis recenserentur, primùm ephippiis vsos fuisse. Nero in Olympiis currum agitauit: cúmque ex eo decidisset, ita vt ferè eo casu attereretur, tamen corona donatus est. quãobrem dederat Hellanodicis (hi iudices erant Olympiorum) aureorum decem millia: quam summam Galba postea repetiuit. Apollini, siue iratus quòd ei molestum & graue respõsum dedisset, siue alio pacto insaniens, Cerream regionem abstulit, eámque dedit militibus, & locum, vnde oracula petebantur, quod Μαντεῖον dicitur, deleuit, hominibus ad os ipsum, ex quo spiritus dei mittebatur, interfectis. Certauit in omnibus vrbibus, in quibus fiebant certamina, ibíque quotiescunque præconio opus fuit, Clubio Rufo viro consulari est vsus. Athenas & Lacedæmonem excipio, quas vrbes ne visitauit quidem, quòd in altera leges Licurgi erant contrariæ eius instituto: in altera Erinnes esse dicebãtur. Præconium autem fiebat his verbis, Νέρων Καῖσαρ νικᾷ τόνδε τὸν ἀγῶνα, καὶ στεφανοῖ τόν τε τῶν Ῥωμαίων δῆμον καὶ τὴν ἰδίαν οἰκουμένην, Nero Cæsar victor huius certaminis coronat populum Romanum, & suum orbem terrarum. Cùm enim orbem terrarum in sua potestate esse diceret, cithara canebat, fungebatúrque præconis officio, & tragœdias agebat. Senatum autem adeò oderat grauiter, vt ei Vatinius propterea maximè gratus esset, quòd ei semper diceret, Μισῶ σε Καῖσαρ, ὅτι συγκλητικὸς εἶ (nam hoc verbo vti placuit, quod ab illo vsurpatũ est) Odi te, inquit, Cæsar, quòd senator es. Obseruabantur diligenter ingressiones & egressiones omnium, oris habitus, nutus, acclamationes: tum qui cũ eo erant semper, eúmque attentè audiebant, acclamabántque vehementer, laudibus & honoribus afficiebantur: cæteri aut notabantur ignominia, aut alias pœnas dabant. Itaque multi, cùm pati non possent diutius, quòd spectacula à matutino tempore producerentur vsque ad vesperum, simulata morte è Theatris pro mortuis elati sunt. Porrò præter institutum susceptæ peregrinationis in Græciam, Isthmum Pelopõnesi cupiuit perfodere. Quam rem est aggressus hominibus id grauatè facientibus, propterea quòd iis qui primùm rem attigerunt, sanguis è terra erupit, auditáque sunt lamenta, & mugitus, & spectra multa apparuerũt: quocirca Nero accepto ligone ipse aliquantulum effodit, eóque fa-

XXV Myriades drach.

Μαντεῖον deletum.

Perfodere Isthmum.

cto cæteros adduxit, coegítque vt idem facerent. Ad hoc opus faciendum magna multitudo hominum etiam ex exteris gentibus accerſita eſt. Qua in re, atque multis aliis cùm magna pecunia opus eſſet (magnificus enim & liberalis erat) metuerétque potentiſſimos homines, ne ipſum, quòd hæc faceret, inuaderent, multos bonos viros ſuſtulit. Quibus prætermiſſis (erat enim crimen publicum omnibus virtus, opes, nobilitas: atque ob eam cauſam vel ſibi mortem inferebant, vel ab eo occidebãtur) tantùm Corbulonis, Rufíque, ac Procli, Sulpitiorum, Scriboniorum mentionem faciam. Nam hi cùm fratres eſſent, ac ferè æquales, nihílque vnquam diſiuncti & ſeparati feciſſent, vt erant genere & inſtituto vitæ & facultatibus coniuncti, diúque ſimul vtranque Germaniam adminiſtrauerant: ita ſimul accerſiti in Græciam venerunt, tanquam Nero eorum opera indigeret. Cúmque rei facti criminum, quæ illa tempora ferebant, nõ poſſent cum Nerone colloqui, aut in conſpectum eius venire, ac proinde ab omnibus pariter deſpicerentur, mortẽ obire ſtatuerunt, tandémque inciſis venis mortui ſunt. *Mors Procli & Rufi.* Corbulo autem accitus honorificentiſſimè, quem virum Nero præter cætera patrem & beneficum appellabat, poſtquam Cenchrea appulit, ab eodem occidi iuſſus eſt, priuſquam in conſpectum eius veniret. Nero enim, vt aiunt, cùm ſtatueret cithara canere, Orthoſtadium habens, ab eo ſe videri non ſuſtinuit: ſed Corbulo, vt mandatum Neronis intellexit, gladium accipit, ſéque ipſe fortiter percutiens, ait, Ἄξιος, Dignus. *Mors Corbulonis.* Tum enim primùm erratum ſuum agnouit, quòd Citharœdo peperciſſet, & quòd ad eum inermis veniſſet. Quæ cùm ita facta ſint in Græcia, quid opus eſt referre Paridem ſaltatorem iuſſum eſſe à Nerone interfici? quòd cùm ab eo doceri ſaltare cuperet, diſcere nõ potuit. *Mors Paridis ſaltatoris.* Quid Cinnam Tuſcum? quem mulctauit exilio, propterea quòd cùm is eſſet præfectus AEgypti, lotus eſt in balneo, quod Neroni vẽturo in Alexãdriam paratum fuerat. Per id tempus Romæ Helius multas & graues res fecit: nam Sulpitium Camerinum vnũ ex primis ciuitatis, ac filium eius interfecit, accuſatos, quòd cùm iam inde à maioribus Pythici cognominarentur, non deſinerẽt eo cognomine appellari, ſed in Pythicas victorias Neronis ex ſimilitudine nominis impii forent. Cúmque ſtatuam eius mille librarum Auguſtales ſe facturos promiſiſſent, omnem equitatum ad eam impenſam faciendam conferre coegit. Quæ verò facta ſunt à ſenatu, difficile eſt ſingula percenſere. Ab eo enim ſupplicationes ſingulis Calẽdis, aliiſq; diebus fieri decretæ ſunt,

vt ad eas peragẽdas ne annus quidẽ ſufficeret. Helius cùm antea ſæpe Neronẽ per literas hortatus fuiſſet, vt quàm celerrimè reuerteretur, neque is pareret, in Græciam ſeptẽ diebus peruenit, eúmque perterruit, quòd magnã coniurationem in Vrbe cõtra ipſum fieri diceret: quod vbi intellexit Nero, ſubitò in Italiam nauigauit. Spes erat vi hyemis illũ periturum. Cùm autem non lõgè abeſſet ab Vrbe, pars muri diruta eſt, & portæ aliqua ex parte fractæ ſunt. Exiſtimatum eſt, vt eſt quorundã ſententia, vtrunque ab iis qui coronas certaminũ ferebant, eſſe factum. Nam ii primi omnium introierũt: hos ſequebãtur ii qui tabellas lõgis haſtis affixas ferebãt, in quibus ſcriptum erat nomen & genus certaminis: vtque Nero Cæſar primus è ciuibus Romanis, qui vnquam extitiſſent, victor ex eo rediret. Deinde ipſe Nero curru triumphali, in quo Auguſtus olim tot triumphos egerat, vehebatur: amictus erat veſte purpurea atque auro intexta, & oliua coronatus, laurũ Pythicam præ ſe ferebat: cum eo vnà Diodorus Citharœdus vehebatur, eóque pacto per Circum & forũ cum militibus, & equitibus, ac ſenatoribus tranſiit: tum aſcendit in Capitolium, atque inde in Palatium venit, tota Vrbe coronata, lychníſque ac ſuffimentis plena. Acclamabant omnes & ſenatores in primis, Oua Olympionica, oua Pythionica, Auguſte, Auguſte, Neroni Herculi, Neroni Apollini: quàm ſolus θεοδούνικος, ſolus ex æterno tempore Auguſte. Sacra vox: Beati, qui te audiunt. Vt enim opus non eſt ea quæ dicta non ſunt, complecti, ac pro dictis narrare: ita ea quæ iam dixi, non aliena ſunt ab hiſtoria: quin potius, dum nihil reticetur, decus atque ornamentum afferunt. His rebus confectis, Circenſes imperauit, has coronas, & reliquas omnes quas ex curru certando victor obtinuerat, attulit in Circũ, & obeliſco AEgyptio impoſuit. Hæ erant numero mille octingentæ octo. Poſt hæc currũ agitauit. Tum quidẽ Larcius Lydus ad eum venit, obtulítque ei decẽ millia aureorũ, vt cithara caneret: quos etſi Nero repudiauit, ratus ſibi turpiſſimũ eſſe, mercede aliquid facere, tamen hanc ſummã Tigellinus à Larcio accepit, ne eum interficeret. Itaq; Nero ingreſſus in Theatrũ, cithara cecinit, egit tragœdias, ex curru certauit creberrimè: nõnunquã etiam ſponte vinci ſe patiebatur, vt magnã partẽ aliorũ verè viciſſe crederetur. Cùm igitur Nero vteretur hoc genere vitæ, & principatũ hoc modo teneret, nobis nũc, quemadmodũ mortem obierit & imperium amiſerit, dicẽdum eſt. Erat Caius Iulius Vindix natione Gallus propter maiores è ſtirpe regia, propter patrẽ ordinis ſenatorii,

XXV Myriades drach.

Vindix.

homo magnis viribus corporis,& multa prædit⁹ prudẽtia,peritusq; rei militaris,& ad omne præclarũ facinus audax.Hic igitur cõgregata Gallorũ multitudine,qui crebris pecuniarũ exactionib⁹ grauiſſima quæque à Nerone pertulerãt,& adhuc perferebãt,in tribunal aſcendit,atq; inde multa cõtra Neronẽ dixit,nõ ſolùm ab eo deficere,ſed etiã ei inſultare oportere.Omnẽ enim inquit orbẽ terrarum cuius imperiũ tenet,compilauit: florẽtiſſimos quoſq; ſenatores ſuſtulit:matrẽ, quam inceſto ſtupro polluerat, interfecit: poſtremò nullũ decus,nullã dignitatẽ imperii ſuſtinet. Nã etſi cædes, rapinæ, iniuriæ ab aliis multis ſæpenumero factæ ſunt,tamẽ cætera quis vnquã ſatis dignè percenſere poteſt? Ego quidẽ viri & ſocii chariſſimi vidi, mihi credite,vidi inquã illum virũ (ſi vir nominãdus eſt is qui Sporũ duxit vxorẽ,quíque Pythagoræ nupſit) in ipſo Theatro, atq; adeò in orcheſtra gerẽtem citharã,orthoſtadium,cothurnos,nonnunquã ſoccos & perſonã. Sæpe illum,cùm caneret,præconiúmq; faceret, & tragœdias ageret, audiui:vidi conſtrictũ vinculis,laceratum,cõcipientem,parientẽ: poſtremò omnia quæ fabulis prodita ſunt,dicentẽ,audientem,patientẽ,facientem. Quæ cùm ita ſint,quis iſtũ Cæſarem,quis Imperatorẽ,quis Auguſtum appellabit? Ne polluantur quæſo tã ſancta nomina,quæ Auguſtus & Claudius habuerũt. Iſte à nobis Thyeſtes, OEdipus,Alcmæon, Oreſtes optimo iure nominetur: illos enim refert,illorũ flagrat cupiditatibus. Quamobrem tandem aliquando cõmoueamini, ſubuenite vobis ipſis, opẽ ferte populo Romano: denique orbi terrarũ libertatem reddite. Hæc atque alia multa à Vindice in eandẽ ſententiã dicta omnes comprobãt. Vindix cùm principatum ſibi parare minimè ſtuderet, Seruio Sulpitio Galbæ (is iuſtitia omnibus præſtabat, ac gloria bellicæ virtutis, prærátque Hiſpaniis,& magnas copias habebat) imperiũ detulit: idémque Galba ab exercitu imperator deſignatus eſt. Ferũt eo tẽpore Neronẽ per præconẽ conſtituiſſe cẽtũ millia aureorũ ei qui Vindicẽ occidiſſet: atque eo cognito,Vindicẽ ita dixiſſe,Qui Neronem, inquit,interfecerit,& ad me caput eius attulerit,is meũ accipiet caput in mercedis loco. Cúmque Vindix eo animo eſſet,Rufus qui Germaniam obtinebat, inde profectus eſt vt Vindici bellũ inferret. Is poſtquam Veſontionem venit, cœpit eam vrbẽ obſidere,quòd ab ea non fuiſſet exceptus.Vindix ad opem vrbi ferendam cõtendit, nec procul caſtra poſuit. Tandẽ ambo miſſis ad ſe literis in colloquium venerunt remotis arbitris. Ibi ſuſpitio fuit eos vnà contra Neronem coniuraſſe. Poſt hæc Vindix

Oratio Vindicis.

CCL Myriades drach.

Virginius Rufus.

properat cum exercitu, quasi statuisset vrbem capere: quorum aduentum vbi cognoscunt milites Rufi, rati eos aperte contra se venire, iniussi impetum faciunt, imparatósque & parum instructos inuadunt, ac postremò magnum numerum eorum cõcidunt. Quod cùm Vindix videret, ferrétque grauiter, ipse sibi manus attulit. Id enim verum esse constat, quanuis multi illatis mortuo vulneribus falsam opinionem iniecerint, eum ab se interfectum fuisse. Rufus casum eius acerbè luxit, & principatum, quem facilè poterat adipisci, deferentibus sæpenumerò militibus atque vrgentibus, repudiauit. Vir erat in rebus gerẽdis acer & industrius, in conficiendis fortis promptúsque. Itaque milites statuis Neronis dissipatis & comminutis, cœperunt illum Augustum nominare. Cúmque persuaderi nõ posset, quidam è militibus vni ex signis eius idem inscripsit subitò, idque Rufus postea deleuit, ac vix tandem sedatis militibus persuadebat, vt authoritatem senatui populóque restituerent, siue quòd indignum putaret imperium cuiquam à militibus deferri (id enim ad senatum populúmque pertinere) siue quod vir forti & excelso animo principatum, cuius causa cæteri omnia facerent, ipse despiceret. Nero cognitis his rebus, primò simulat se ea cõtemnere, versatúrque in delitiis, ac ludit, vt antea consueuerat. Quinetiam accitis de repente principibus senatorii & equestris ordinis, quasi vellet cum eis communicare consilia rerum præsentium, Inueni, inquit (scribendum est enim quod dixit) quomodo hydraulis ampliores sonos & magis concinnos efficiet. Hæc etsi prodigiis antè declarata sunt, tamen ille nihil curabat, neque quòd ambæ fores & mausolei & cubiculi ipsius eadem nocte sua sponte apertæ fuerant: neque quòd in Albano tanto sanguine pluerat, vt fluuii sanguine fluerent, aut quòd mare lõgo interuallo retrocedens, ab AEgypto magnam partem Lyciæ occupauerat. Sed postquam Galbam à militibus Imperatorem designatum esse, Rufúmque ab se defecisse intellexit, magno timore perculsus est: dúmque Romæ bellum apparat, contra eos Rubirium Gallum cum paucis mittit, à quibus pariter desertus, deliberauit interficere senatores, incensáque vrbe nauigare in Alexandriam. Etsi enim, inquit, amittemus imperium, tamẽ nos alet in illa regione ars nostra & sustinebit: adeò stultus erat, vt se priuatum viuere, & cithara canere posse arbitraretur. Sed vbi sensit se à suis stipatoribus esse destitutum (tum enim in quibusdam hortis dormiebat) conabatur fugæ se mandare, vestéque vili amictus, equum nihilo meliorem con-

ſcendit, in quo ſedens atque obuolutus ad prædiũ Phaonis Cæſariani, vnà cum ipſo Phaone, & Epaphrodito, & Sporo ſub noctem venit. Tum ingens terræ motus factus eſt, ita vt terra funditus conquaſſari, & animæ hominum ab eo interfectorum inſultare ipſi putarentur. Ferunt eum agnitum à quodam, qui fortè ei in itinere factus eſt obuiam, imperatorémque ſalutatũ diuertiſſe de via, atque in arundineto, quouſque illuceſceret, abiectum delituiſſe, vt à nemine videretur: tum cœpit ſuſpectos habere eos qui cum ipſo erant, quaſi contra ſe impetum facturos, omnémque vocem, quaſi ab ea requireretur, perhorreſcere. Si catulus paulum latraret, aut caneret gallina, aut ſi faſciculus, vel ramus arboris vento moueretur, grauiter conturbari: quibus ex cauſis conquieſcere nullo modo poterat. Non enim audebat loqui cum iis qui aderant præſentes, ne ab alio intelligeretur: ipſe ſecum animo ingemiſcere, plorare, multa ſecum reputare: ſed præſertim qui maxima famulorum multitudine ſuperbus fuerat ſemper, ſe in præſentia cum tribus libertis iacere. Hanc enim veluti extremam fabulam deus ei conſtituerat atque parauerat, ne iam cæteros matricidas, aut errantes, ſed ſe ipſe repræſentaret. Hîc cœpit illum pœnitere eorum quæ antea fecerat, quaſi verò poſſet ea infecta facere. Cúmque Nero has tragœdias ageret, crebrò illum verſum memoria repetebat,

Οἰκτρῶς θανεῖν μ' ἄνωγε σύγγαμος, πατήρ, Mori me iuſſit miſerè vxor, pater. Tandem cùm nemo eum perquirere videretur, introierunt in ſpeluncam, in qua, quòd eſuriebat, panẽ comedit, aquámque ſitiens bibit, qualem nunquam antea. Ita ferens grauiter, Hæc eſt, inquit, illa mea præclara potio. Dum Nero in his rebus eſſet, populus Romanus ampla ſacra faciebat, magnáque lætitia perfruebatur, ferebántque pileos multi, quaſi eſſent libertatem conſecuti. Galbæ principi omnia quæ ad principatum pertinent, decernuntur. Ante omnia Nero ſtudioſè perquiritur: ignoratum eſt aliquandiu, quò profectus fuiſſet: pòſt vbi cognitum eſt, aduerſum eum equites mittuntur: quos ille poſtquam aduentare intellexit, imperauit iis qui ſecum aderant, vt ſe interficerent: cúmque illi non obedirent, ingemiſcens ait, Ego ſolus nec amicum, nec inimicum habeo. Interim appropinquantibus equitibus, ipſe ſibi manus attulit, dixitque peruulgatum illud, Ὦ ζεῦ, οἷος τεχνίτης παραπόλλυμαι, Dii immortales, inquit, qualis artifex pereo. Cúmque ægrè moreretur, Epaphroditus eum confecit. Vixit annos XXX. menſes IX. Regnauit annos XIII. mẽſes VIII. Vltimus eorum, qui ab AEnea

Hæc eſt decocta Neronis.

Qualis artifex pereo.

& Augusto genus ducebant. Interitum eius, lauri quæ à Liuia plantatæ fuerant,& genus albarum gallinarum, quæ antè occiderant,non obscurè denunciauerunt.

Galba.

IGITVR Galba Imperator designatus est, quod ei Tiberius aliquando prædixerat,cùm diceret eum Imperium degustaturum: idque certissimis signis demõstratum fuit, quando sibi visus est audire fortunam dicẽtem, se iamdudum ante fores stare,nec dum tamẽ domum recipi: proinde si arceretur diutius,ad alium migraturam.Ad hæc nauigia per eosdem dies onusta armis sua spõte in Hispaniam sine nautis appulerunt.Insuper mula peperit:quã rem vates ei prædixerãt signum futuri principatus.Eidem quoque sacrificanti puer thus obtulit,ac subitò canos misit.Qua ex re dictum est à vatibus,imperium à minore natu ad senectutem eius esse transiturum.Ita quæ ad principatum spectabant,ei antè denunciata sunt. Galba in regno continens erat, inuisúsque nemini: sibi enim imperium delatum esse,non se suscepisse arbitrabatur,idque sæpenumero confirmabat: sed erat in coacernanda pecunia inexplebilis, tanquam multis rebus indigeret, déque ea ita parum impendebat, vt non drachmas, sed obulos nonnullis largiretur. Liberti verò eius delinquebant in multis, eorúmque culpa in ipsum coniiciebatur. Nam etsi satis est priuatis hominibus nullam iniuriam facere, tamẽ principem prouidere etiam oportet,ne cæteri faciant,propterea quòd nihil interest eorum qui iniuriam patiuntur,à quo eam acceperint.Itaque Galba,licet ipse nihil per iniuriam faceret,tamen quòd sineret illos facere, aut quòd ea quæ ab aliis gererentur, ignoraret, malè audiebat. Nymphidius autem & Capito tanta fuere insolentia in Galbam, vt Capito,cùm fortè quidam reus ab eo ius dicente prouocauisset, statim in sellam excelsiorem transilierit,atque ita dixerit,Age, inquit,dic causam apud Cæsarem: eúmque causa cognita capite damnauit. In hos Galba has ob causas animaduertit. Cùm autem ad Vrbem aduentaret,ac iam

Nymphidius.
Capito.

propè

propè eſſet, proceſſêre ei obuiam prætoriani Neronis, petieréque ab eo vt ſe in eodem gradu militiæ retineret. Is primò rem diſtulit, vt deliberaret: ſed cùm illi nõ parerẽt, magíſq; tumultuarentur, contra eos exercitum miſit, cæſáque ſunt repentè prætorianorum ſeptem millia: reliqui poſtea decimati ſunt. Itaque Galba licet ætate & morbo confectus eſſet, tamen mente vigebat & cõſilio, putabátque indignum eſſe, Imperatorem coactum aliquid facere. Hac de cauſa prætorianis poſtulantibus pecuniã non dedit, iiſque ita reſpondit, Legere, inquit, ſoleo milites, nõ emere. Cúmque populus poſtularet vt Tigellinus, & cæteri qui antè contumelioſi fuerant, ſupplicio afficerentur, non conceſſit, quos fortaſſe, ſi non eſſet ab eo poſtulatum, interfici iuſſiſſet. Helium verò, Narciſſum, Patrobium, & Locuſtam veneficam mulierem, cum quibuſdã aliis qui ſub Nerone ex obſcuris clari euaſerant, vinctos per totam vrbem duci, ac poſtea morte mulctari iuſſit. Vt Galba his de cauſis laudabatur, ita ridebatur maximè, quòd in itinere gladium ſemper accingeret, homo iam ſenex & imbecillis. Cæterùm quem exitum vitæ habuerit, nunc dicendum eſt. Milites Rufi, qui erant in vtraque Germania, ira incenſi, quòd nullum à Galba beneficium accepiſſent, cupiditatem ſuam, quam in Rufo explere non poterant, in alio explere conabantur. Id fecêre propoſito Aulo Vitellio, qui per id tempus inferiorem Germaniam obtinebat, defeceréque ad eum ſpectata tantummodo ipſius nobilitate. Nec enim eis curæ fuit, quòd is Tiberio in delitiis fuerat, quódque vita eius adhuc cum priſtina libidine conſentiebat. Quin potius ob eam cauſam arbitrati ſunt, eum ſibi magis idoneum & accommodatum fore. Ipſe quidem Vitellius nequaquam tanti ſe eſſe exiſtimabat. nam cùm irrideret aſtrologos, hoc argumento confirmabat eos nihil ſcire, quòd dicerent ipſum Imperatorem futurum. Idem quoque Nero cùm intellexiſſet, ita riſit hominem & contempſit, vt nihil grauius contra eum admiſerit. Galba cognita ſeditione Vitellii, adoptauit Luc. Piſonem adoleſcentem nobilem, magnáque modeſtia ac prudentia præditum, eúmque Cæſarem deſignauit. Qua de cauſa indignatus Marc. Saluius Otho, quòd ipſe à Galba non eſſet adoptatus, rurſum Imperium Populi Romani multis incommodis difficultatibúſque affecit. Is erat apud Galbam in tam magno honore, vt ei, quo die mortuus eſt, ſacrificanti ſolus è ſenatoribus præſtò fuerit. Quæ res in cauſa fuit vt rerum potiretur. Cùm enim haruſpex Gal-

Helius, Narciſſus, Patrobius Locuſta ſupplicio affecti.

Luc. Piſo.

bæ insidias parari diceret, ac proinde moneret ne aliò proficisceretur. id Otho intellexit, atque inde subitò alia simulata causa discessit, receptúsque intra murum castrorum à paucis militibus qui vnà cum eo coniurauerant, cæterísque qui iam Galbæ erant infensi, persuasis, vel potius largitione corruptis, emptum principatum occupauit, ídque paulò pòst à reliquis confirmatum est. Qua re cognita Galba paucos misit ad exercitum, vt milites de sententia dimoueret. Interea loci vnus ex militibus cum districto cruentóque gladio ad eum venit, Bono animo es, inquit, Imperator, quando ego Othonem interfeci, vt iam sis sine periculo. Id Galba credidit pro vero, atque ita militi respondit, Quis tibi, inquit, mandauit, vt id faceres: post hæc in Capitoliũ proficiscitur sacrificandi causa. Occurrunt ei in medio foro equites peditésque, ibíque senem Pontificem, & Imperatorem occidunt, multis senatoribus multísque plebeis hominibus præsentibus: pòst cadauer afficiunt ignominia cuiusuis generis, caputque ceruicibus abscindunt, ídque figunt in pilo. Galba telis immissis in sellam, qua vehebatur, cùm ex ea cecidisset, vulneratúsque esset, id vnum dixit, Quid enim, inquit, mali feci? Ei Sempronius Dẽsus Centurio opem tulit, quoad potuit: sed is non solùm nihil Galbæ profuit, sed etiam ipse quoque occisus est. cuius viri nomen propterea scribendum putaui, quòd mihi memoria dignũ esse videbatur. Occisus est Piso, & reliqui multi, qui tamen Imperatori opem non tulerant. Sed Piso propterea supplicio affectus est, quòd Cæsar fuerat designatus. Vixit Galba annos LXXII. Regnauit menses IX. dies XIII.

Sempronius Densus Centurio.

Otho.

GALBA hunc exitum habuit, eiúsq; cædis pœnam Othonem non ita multò pòst sequi oportebat, quod ipse statim præsensit: nam vt primùm sacrificauit, exta minus fœlicia visa sunt. Itaque cœpit eum subitò facti pœnitere, dixítque, Τί γὰρ μὲ ἔδει μακροῖς αὐλοῖς αὐλεῖν, Cur me, inquit, oportebat longis tibiis canere? Est autem vulgatum prouerbium de iis, qui ea faciunt, quæ sibi sunt inutilia.

Prouerbium.

Præterea nòctu adeò in ſomnis perterritus eſt, vt ceciderit de lecto, & excubitores perterruerit. Qui cùm accurriſſent celeriter, eum humi iacentem offenderunt, neque tamen potuit ob has cauſas Imperium, quod ſemel adeptus erat, deponere, ſed in eo permanſit, ac pœnas dedit: quanuis multa faceret moderatè ad conciliandos animos multitudinis, non quòd eo ingenio eſſet aut moribus, ſed quòd multis ab eo propter Vitellium abalienatis, nolebat cæteros ſibi inimicos facere. Othoni decreta ſunt à ſenatu ea quæ pertinebant ad principatũ, quòd diceret ſe coactum à militibus intra murum introductum eſſe, ibíque, cùm eis obſiſteret, in magnum diſcrimen veniſſe. Hîc vti cœpit placido ac leni ſermone, & ficto ſimulatóque vultu indicare modeſtiam: ad hæc oſcula ad ſingulos ferè per annulos mittere: poſtremò multa polliceri. quanquam non erat obſcurum, eum multò etiam petulantius atque acerbius, quàm Neronem eſſe regnaturum. Nomen quidem eius ſibi ſtatim impoſuit, multíſque ſenatoribus, qui damnati fuerant, pœnam remiſit, cæteris muneribus affectis. Crebrò venire in Theatrũ, fouere multitudinẽ, peregrinos donare ciuitate, iíſque multa alia promittere: quibus tamen rebus neminem ſibi præter paucos ſui ſimiles obſtringere potuit. Iam enim eo genere vitæ, quod inſtituerat, quódque cum ſorore conſuetudinem habebat, cæteríſque Neronianis vtebatur, omnes perterriti erant: milites verò multitudine munerum, blãdíſque ſermonibus in tantam licentiam ſceluſque induxerat, vt aliquando ſint auſi in Palatium irruptionem facere. Cùm frequentes ſenatores apud Othonem cœnarent, interfectíſque iis à quibus arcebantur, tandem irruere eò, vbi conuiuium agebatur, occideréque omnes qui intus erãt, ſolis iis qui inde abierãt, aut ſe antè aliquò abdiderant, conſeruatis. Cuius rei cauſa Otho pecuniam eis largitus eſt, perinde atque ſi id facinus in gratiam eius feciſſent. Per id tempus quidã captus eſt, qui ſe Neronem eſſe ſimulabat, cuius quidem nomẽ *Pſeudonero.* à Dione ignoratũ eſt: ſed is tandem ſupplicio affectus eſt. Otho ſæpenumero cohortatus Vitellium ad ſocietatem principatus, poſtquam ei perſuadere non potuit, ſtatuit apertè bellum gerere. Itaque cõtra eum exercitum miſit, eíque exercitui complures præfecit: quæ res cauſa fuit Othonis calamitatis. Deſiderata ſunt vtrinque in prœliis ad Cremonam factis hominũ quadraginta millia. Antequam autem prœlium iniretur, ferũt præter cætera prodigia, quæ tum accidêre, auem eximiæ magnitudinis, quanta nunquam antè viſa fuerat, per multos dies viſam

eſſe. Superatis Othonianis, vnus ex equitibus cladem Othoni nuntiauit, cui cùm fidem non haberent ii qui aderant præſentes (nam tum fortè multi conuenerant) eúmque fugitiuum atque hoſtem appellarent. Vtinam, inquit, hæc falſa eſſent Cæſar, libenter enim te victore mortem occumberem: nunc autem vtrunque ſit, moriar, ne videar ſalutis meæ cauſa fugiſſe: tu verò, cùm hoſtes huc non multò poſt venturi ſint, ſtatue quid tibi faciendum putes. hæc cùm dixiſſet, manus ſibi attulit. Quo facto id verum eſſe creditum eſt ab omnibus: cúmque poſſent facilè bellum renouare (erant enim permulti, aderántque aliæ legiones ex Pannonia, quod eſt in tali re maximum) Othonem amplectebantur, ſingularémque ſuam fidem & beneuolentiam in eum non modò verbis oſtendebãt, ſed etiam ex animo. Qua ex re factum eſt vt otioſè ceſſaret, quouſque cæterorum cõcurſu idem renuntiatum eſt. Tum demum Otho pauca ſecum locutus, apud milites concionatur: qua in concione multa dicit, ſed hæc imprimis. Sufficiunt, inquit, ea quæ facta ſunt: odi enim bellum ciuile, licet vincam: charúmque habeo Pop. Romanum, licet mecum diſſentiat. Vincat Vitellius, poſtquam ita viſum eſt diis immortalibus: ſint incolumes milites eius, quãdo id mihi perplacet. multò enim melius eſt multóque iuſtius vnum pro multis, quàm pro vno multos interire. Ego quidẽ Mutius eſſe malim, aut Decius, aut Curtius, aut Regulus, quàm Marius, quàm Cinna, quàm Sylla, vt ne reliquos numerando perſequar. Quamobrem nolite me cogere, vt efficiar vnus ex iis quos odi: nolite etiam inuidere, ſi velim facta alicuius ex iis quos laudo, æmulari. Vos ad victorem proficiſcimini, atq; illum colite. Ego me ita liberabo, vt omnes homines intelligant eum eſſe Imperatorem à vobis delectum, qui non vos pro ſe, ſed ſe pro vobis dedit. Hac habita concione, milites eum propter ea quæ audierant, admirari, miſerarique eius fortunam, præſertim ſi quid ei grauius accideret. Tum profundere lachrymas, lamentari, eum patrem appellare, ſibíque ſuis liberis ac parentibus chariorem eſſe dicere. Quæ cùm iam in multam diem dicerẽtur, peterétque Otho vt ſibi liceret mortem cum vita commutare, neque id illi concederent, facto ſilentio ita dixit. Non poſſum, inquit, peior eſſe eo milite quem vos mortem ſibi propterea tantummodo conſciſcere vidiſtis, quòd Imperatori ſuo nuntium acceptæ cladis attuliſſet. Itaque ego illum ſequar, ne quid tale videam in poſterum, aut audiam. Vos, ſi me amatis, quæſo, ſinite me mori, vt volo: nolite me cogere vt viuam,

Othonis oratio.

inuitus, ſed ad victorem abite, eúmque ſtudioſè ac diligenter colite. Hæc cùm dixiſſet, ſeceſſit in thalamum, ſéque pugione interemit. Corpus eius elatum milites ſepeliuerunt non ſine lachrymis: nonnulli propter eum mortem ſibi conſciuerunt. Igitur Otho hunc vitæ finem habuit, vixítque annos XXXXVII, detractis diebus vndecim. Regnauit dies XC. cúmque peſſimè omnium vixiſſet, mortuus eſt honeſtiſſimè, & Imperium, quod cum magno ſcelere inuaſerat, cum maxima virtute depoſuit.

Vitellius.

POSTQVAM Romæ clades Othonis audita eſt, populus Romanus ſtatim, vt par erat, ſententiam mutare cœpit, Othoníque quem laudauerat antea, & cuius victoriam optauerat, non aliter atque hoſti cõtumelioſè maledicere, ac Vitelliũ, quem deteſtatus fuerat, collaudare, eúmque Imperatorem dicere. Adeò nihil eſt in rebus humanis fixum ac perpetuum: ſed & ii qui florent maximè, & ii qui humiles & abiecti ſunt, exitus incertos habent, ac pariter pro fortuna ipſorũ, laude, vituperio, honore, & ignominia afficiuntur. Vitellius, vt Romã venit, cœpit omnia ſuo arbitratu gerere: ſed in primis edicto propoſito aſtrologos expulit ex Vrbe, edixítq; vt intra certã diem quã ipſe cõſtituerat, ex omni Italia excederẽt. Illi contrà de nocte diẽ ei in tabulis præſcribũt, intra quã excedat è vita: íſque ante eam diẽ mortuus eſt: adeò futuros rerum euẽtus præcognoſcebãt. Interim Vitellius explere libidinem ſuam, inſeruire voluptatibus, nullam curã habere diuinarum aut humanarũ rerum. Nimirum principiò talis erat: quippe popinas frequẽtauerat, & ludos aleatorios, ſaltatorúmque & aurigarũ ſtudioſus fuerat, conſumpſeráque in eos infinitam pecuniam, atque eius rei cauſa magnũ æs alienum contraxerat. Itaque tunc tantam potentiam conſecutus, cœpit multo grauiora facere. Magnam enim diei partem noctíſque conſumere in cõmeſſationibus, crebróque vomere omnia, vt ſolo trãſitu ciborum nutriretur. Cui quidem rei ipſe ſufficere poterat: quanuis cæteri qui cum eo cœnabant, omnes miſerè interirent.

Aſtrologi expelluntur ex urbe.

Vibius Crispus.

Ex quibus Vibius Crispus cùm incidisset in morbũ, & ob eam causam per multos dies non interfuisset conuiuio, facetè dixit, se, nisi ægrotauisset, omnino fuisse periturũ. Fuit tempus principatus Vitellii nihil aliud quàm ebrietas & comessationes. Etenim pretiosissima quæque intra fines Oceani, ne dicam vlterius, vndique terra marique conquisita, vsque adeò opiparè apparabantur, vt omnes cupediæ, cibique eiusdem generis ex eo etiam nunc Vitelliani nominentur. Quæ omnia quis figillatim queat attingere? quando constet inter omnes, eum, quo tempore principatum tenuit, consumpsisse in cœnas aureorum nonagies centena millia. sed res huiuscemodi pretiosissimæ breui tempore defecerunt, quòd omnia pretiosa esse oporteret. Patinam quidem vnam apparauit, in quam impendit decem millia aureorum, linguis cerebrisque & iecoribus piscium, & quarundam auium in eam coniectis. Hanc patinam, cùm fictilis esse nõ posset propter magnitudinem, argenteã fecit, eáque diu permãsit, veluti res diis consecrata, quousque Adrianus eandem conspicatus tolli ac dissipari iussit. Sed cùm de his rebus mẽtionem fecerim, illud etiam addendum videtur, domum auream Neronis ei nequaquam satisfeciisse. Cúmque nomen & vitam, moresque eius laudaret, hac in re tantũmodo reprehendebat, quòd diceret eum habitauisse perperam, vsúmque fuisse paruo & humili apparatu. Vitellium vxor sua Galeria ridere solebat, quòd raro ornatu regali inueniretur. Cæterùm qui hos sumptus de alieno faciebant, quanuis eos magnopere non computarent, tamen ii qui epulum dabant vicissim, magno incõmodo afficiebantur, licet conuiuium ab vno minimè totum diem ageretur. Dabant enim alii ientacula, alii prandiũ, alii cœnam, alii comessationes, veluti solatium pristinæ satietatis. Ex quo factum est, vt paucis pòst diebus consumpta sint in cœnam aureorum quadraginta millia. Vitellius plerisque risum excitabat. Cùm enim viderent grauitatem & maiestatem eius in publicis conuentibus, cuius stupra antè cognouerãt, sederéque in equo regio, ornatum chlamyde purpurea eum, quem sciebant Veneto vestitu certatores equos in certaminibus abstersisse: deinde cum tanta manu militum cõscendere in Capitolium, quem nemo antè videre poterat in foro propter multitudinem creditorum: postremò coli ab omnibus, quem ne amplexari quidem libenter voluerat quisquam, teneri non poterant, quin riderent. Cùm autẽ ii, qui ei proficiscenti in Germaniam grandem pecuniam crediderant, instarent, eúmque vix datis fideiussoribus dimitterent,

Cibi Vitelliani.

Duæ Myriades myriadũ. duo millia, quingentæ drach.

Patina Vitellij. XXV Myriades drach.

Centũ Myriades drach.

Veneta uestis.

tunc non modò non ridebant, ſed etiam eum miſericordia permoti occultabant. At Vitellius requiſitis poſtea creditoribus dicebat ſe reddidiſſe ſalutem pro credita pecunia, repoſcebátque tabulas contractuum. Crebrò veniebat in Theatra, vt ad ſe plebis animos alliceret. Cœnabat familiariter vnà cum optimatibus, vt eos ſibi maiorem in modum deuinciret. Sæpe mentionẽ faciebat veterũ ſodalium, eoſque habebat in honore. Neque enim turpe, aut ſe indignum putabat, ſi aliquem ex iis agnoſcere videretur: quod plerique faciunt, qui elati maximis & inſperatis honoribus, oderunt eos, à quibus ſe intelligunt humiles antea & abiectos cognitos fuiſſe. Dum hæc faceret, extitere ſiniſtra prodigia: nam & cometes apparuit, & Luna cõtra rationem ſtatuti temporis bis viſa eſt deficere. Quarto enim, & ſeptimo die obſcurata eſt. Præterea in oriente atque in occidente duo Soles viſi ſunt eodem tempore: quorum hic imbecillis & pallidus, ille potens & clarus erat. Inuenta quoque ſunt in Capitolio multa & magna veſtigia quorundam deorum, qui ex eo deſcendiſſe videbantur, renuntiatúmque eſt à militibus, qui ea nocte in excubiis eius fuerant, templum Iouis ſua ſponte cum magno fragore apertum eſſe, atque ob eam cauſam nonnullos cuſtodes perterritos & exanimatos fuiſſe. Quæ cùm ita facta ſint, Veſpaſianus qui bellũ cum Iudæis gerebat, vt audiuit diſſenſionem eſſe inter Othonem & Vitellium, deliberare cœpit, quid ſe facere oporteret. Summa erat in eum beneuolentia omnium, nõ ſolùm propter gloriã belli Britannici, eiúſque quod tũ gerebat, ſed etiã propter æquitatẽ & prudentiã ipſius: quibus rebus adducebantur, vt ſe ab eo regi cuperẽt. Inſtabat Mutianus vehemẽter, quòd ſe ſperaret etiam nomen Imperatoris habiturum, ac propter æquitatem Veſpaſiani Imperii participem fore. Quibus cognitis rebus milites circunſiſtunt tabernaculum Veſpaſiani, eúmque Imperatorem renuntiant. Neque verò defuere Veſpaſiano prodigia & ſomnia, quibus ei futurum Imperium fuerat longo tempore antè ſignificatum, eáque nos, cùm ad vitã eius venerimus, attingemus. Igitur Veſpaſianus primo quoque tempore Mutianum in Italiam contra Vitellium mittit: ipſe obſeruatis rebus Syriæ, præfectíſque aliis ducibus bello Iudaico, in AEgyptum contendit, ibíque pecuniam, qua maximè ei opus erat, colligit, comparátque frumentum, vt Romam quàm maximum numerum poteſt, mittat. Legiones, quæ erãt in Myſia, cognitis iis quæ de Veſpaſiano perferrentur, Mutiano nequaquam expectato, quem audiebant eſſe in itinere, Antonium

Antonius Primus.

Primum ducem ſuum deligunt, is fuerat à Nerone miſſus in exilium: poſt verò à Galba reſtitutus Pãnonico exercitui præerat, eóque tempore neque ab Imperatore, neque à ſenatu delectus, ſummum Imperium habuit: tanta erat in Vitellium indignatio militum, tanta prædandi cupiditas. Neque enim milites hæc ob aliam cauſam agebant, quàm vt Italiam diriperent, id quod factũ eſt. Vitellius cognitis his reb⁹ omnibus, nihilo minus remanet in Vrbe: neque verò à delitiis abſtinet, ſed præter cætera ludos gladiatorios facit. In his ludis Sporus cũ eũ ornatu raptæ puellæ oporteret in theatrum venire, neque poſſet talẽ contumeliam pati, mortem ſibi conſciuit. Vitellius Alienũ cum
Alienus. paucis bello præficit. Alienus Cremonã venit, oppidúmque occupat. Poſt vbi videt ſuos milites propter delitias Vrbis intẽperantes, nimióque otio molles & effœminatos eſſe: contráque hoſtes corporibus exercitatis, magníſque animis, timere cœpit: dein vt ei à Primo nuntius gratus venit, conuocauit milites, iíſq; expoſita imbecillitate Vitellii, viribúſq; Veſpaſiani, ac vtriuſque moribus, perſuaſit vt in partes Veſpaſiani tranſirent. Illi delent imagines Vitellii ex ſignis, iuránteque ſe ſub Imperio Veſpaſiani fore: víxque dimiſſi in tentoria reuerterant, cùm eos facti pœnitere cœpit. Itaque repentè magno ſtudio ac tumultu congregati, rurſum Vitellium Imperatorem vocãt, Alienúmque, quòd eſſent ab eo proditi, vinculis conſtringunt, nulla conſulatus eius habita ratione, quæ præſertim fieri ſolẽt in bellis ciuilib⁹. Cúmque iam eſſet ingens tumultus in exercitu Vitellii, tum Lunæ defectio eum longè fecit maiorẽ, non tantùm quòd obſcurata eſt (quanquam hæc terrorem iniiciunt tumultuantibus) ſed etiam quòd ſanguinolenta atráque eſſe, alióſq; horribiles colores emittere viſa eſt. Hi enim nihilo magis decedere de ſententia, aut aliquid remittere, ſed ad manus venire inter ſe, pugnaréq; alacriter: etſi, vt dixi, Vitellianis dux non erat, quòd Alienus Cremonæ eſſet in vinculis. Pugnatur interdiu ac noctu vtrinque æquo Marte. Nox enim inuenit pugnantes, nec ea quidem prælium dirimere potuit, tãta erat ira, tãta vincẽdi cupiditas. Agnoſcebãt ſe inter ſe, atque vnà colloquebantur: non eos placabat fames, non labor, non frigus, non tenebræ, non accepta vulnera, nõ cædes, non reliquiæ mortuorum, non multitudo pereuntium: tãta denique inſania vtroſque pariter ceperat, vt ne propter noctẽ quidem quæ ſuperuenit, vt dixi, aliquid remitterent. Videre licebat, quoties Luna luceret (nam interdum occultabatur nubibus) pugnare illos nonnunquam, nõnunquã ſtare, ad haſtas adhæreſcere,

hæreſcere, ſedere, ſimul clamorem tollere, hi Veſpaſianum, illi Vitellium Imperatorẽ dicere, vocare ſe mutuò, conuitiari, laudare: ſed & priuatim alter ita alterum admonere, Mi cõmilito & ciuis quid facimus? cur pugnamus? huc tranſi ad me: nequaquam, inquit alter, tu ad me potius. Cui verò mirũ non videatur, quòd cùm mulieres ex oppido eſculenta & poculẽta de nocte ad Vitellianos attuliſſent, nõ modò ſe ipſi cibo potúque, ſed etiam aduerſarios refecerunt. Vocabat quiſque aduerſariũ nominatim (omnes enim ferè ſe nouerant, ac tum agnoſcebant) Accipe, inquit, mi commilito, ede: non enim tibi gladium præbeo, ſed panem. accipe rurſum, & bibe: non enim tibi ſcutum, ſed poculum trado: vt ſiue tu me interficias, ſiue ego te, moriamur facilius. atque vt ne me eneruata aut imbecilli manu occidas, aut ego te; hæ noſtræ ſint exequiæ nobis adhuc viuentibus. Vitellius enim & Veſpaſianus bellum gerunt inter ſe, vt nos iis qui iam olim mortui ſunt, mactent. Hæc atque alia eiuſdẽ generis cùm inter ſe dixiſſent, ceſſatur aliquandiu, & comeditur, eóque facto pugnatur iterum: paulò pòſt pugnam intermittũt, deinde renouant. Hæc totam noctem, quouſque illuxit, facta ſunt. Tum autem duo ex militibus, qui Veſpaſiani partes ſuſtinebant, quiddam tale fecerunt. Cùm enim graue damnũ caperent ex aliqua machina, raptis ſcutis ex ſpoliis Vitellianorum qui iam ceciderant, permixtíque cum aduerſariis clàm ad machinam veniunt pro Vitellianis, funéſque eius incidunt, vt ex ea nullum telum amplius emitti poſſet. Orto ſole milites tertii exercitus (is Gallicus nominatur) qui hybernat in Syria, aderátque tum fortè cum iis qui Veſpaſiani partes tuebantur, ſolem illico ſalutant, vt antè conſueuerant. Qua ex re Vitelliani rati Mutianum veniſſe, perterriti victíque clamore, in fugam ſe cõiiciunt: & cùm antè maximos labores ſuſtinuiſſent, minima re perterrentur. Poſt hæc ad murum ſe recipiunt, paſſíſque manibus obteſtantur victores: cumque à nemine exaudirentur, cõſulem diſſoluerunt, eúmque ornatum veſte conſulari miſerũt cum faſcibus ſupplicandi cauſa, ac poſtulata fœdera per eũ impetrauerunt. Alienus enim propter dignitatẽ ſuam facilè Primo perſuaſit, vt conditiones eorum acciperet. Poſtquam portæ Vrbis apertæ, atque ipſi omnes intuto fuerunt, concurrunt vndiq; cunctáque rapinis & incendiis vaſtant. Fuit hæc grauiſſima calamitas, propterea quod Cremona erat maximis atq; pulcherrimis ædificiis ornata, magnáq; vis pecuniæ à ciuibus & peregrinis in eam coacta fuerat. Huic vrbi Vitelliani, vt qui ædes lo-

Cremonæ direptio.

cupletum,& exitus viarum nouerãt, maiora incommoda attulerunt. Nec enim piguit eos ciues,pro quibus pugnauerãt,perdere,ſed quaſi ab iis iniuriam accepiſſent,eóſque viciſſent,violare,percutere,atque occidere auſi ſunt,ita vt cũ iis qui in prælio ceciderunt, deſiderata ſint hominum quinquaginta millia. Vitellius de hac clade certior factus, vehementer tumultuari cœpit,non ſolùm perturbatus prodigiis,quòd peracto quodam ſacrificio, cùm eius cauſa apud milites concionaretur, magnus numerus vulturũ irruit,diſcerpſítque exta,ac ipſum ferè de tribunali deturbauit: ſed multo etiam magis propter nuntiũ acceptæ calamitatis. Itaque fratrẽ ſuum Tarracinas celeriter mittit,munitúmque oppidum per eum retinet. Sed cùm exercitus Veſpaſiani Romam aduẽtaret,ita perterritus obſtupuit, vt nihil certi ageret,aut ſentiret, ſed temerè ſurſum deorſum ferretur, veluti in maxima tempeſtate:modò enim imperium arctè tenere, accuratéque defendere conabatur,ſéque ad bellum gerendũ parabat:modò vltrò deponebat,quòd ſtatueret priuatam vitam agere: interdũ ferebat chlamydem purpuream, accingebátque gladium:interdum pulla veſte induebatur:concionem habebat in Palatio foróque, ac milites nonnunquam ad prælium,nonnunquam ad pacem faciendam cohortabatur : partim vouere ſe pro ſalute Reipublicæ : partim captare miſericordiam, eiúſque rei cauſa filium quẽ tenebat in manibus,amplexari,& ante oculos eorum ponere:dimittere prætorianos,rurſum accerſere: domum fratris ſe recipere relicto Palatio, mox eodem reuerti, ita vt ex iis rebus permulti ſtudium quod habebant in ipſum, remitterent. Nam cùm is maximo furore huc & illuc concurſaret, ídque illi viderent, non amplius imperata facere, neque res eius magis quàm ſuas curare, rideréq; eum multis de cauſis,ſed in primis quòd in concionibus gladium tradebat Cõſulibus & ſenatui, vt ex eo ſummum imperium deponeret: quem dum nemo ex ſenatoribus auderet capere,ii qui aderant,multo magis ridebant. Quas ob res præſertim cùm iam Primus appropinquaret,C.Quintius & Cn. Cæcilius Simplex Cõſules,& Sabinus propinquus Veſpaſiani,alíque primarii viri ſimul cõueniunt, dictíſque ſententiis in Palatium contendunt cum militibus ſuarum partium,vt aut perſuaderent Vitellio,aut eũ cogerent imperium deponere . Sed cùm incidiſſent in Celtas cuſtodes Vitellii,miſerè afflicti diſcedunt, atque in Capitoliũ perfugiũt. Eodem Domitianum Veſpaſiani filium, propinquóſque eius accerſunt,præſidiíſque muniunt. Poſtridie eius diei Vitel-

liani contra eos irruere: hi impetum illorum propulſauere aliquandiu. Sed cùm incenſis iis quæ circũ Capitolium erãt, igni impedirentur, Vitelliani aſcendunt in Capitolium, magnúmq; numerum eorum concidunt, direptíſque iis omnibus quæ in Capitolio repoſita erant, ac præter alia loca, magno templo Iouis Opt. Max. incenſo, Sabinum & Atticum captos ad Vitellium mittunt: nam Domitianus & Sabinus filius in primo tumultu fugerant ex Capitolio, & abditi in quibuſdam ædibus, latuerãt. Poſtquam nõ longè abfuerunt Veſpaſiani milites, quos Petilius Cerealius vnus ex primis ſenatoribus, & Veſpaſiani affinis, & itẽ Antonius Priſcus ducebant (nã Mutianus nondũ venerat) Vitellius ſummè pertimuit. Illi enim, quòd primũ per nuntios, deinde per literas in vrnas inter mortuos coniectas, & in corbes, in quibus fructus erãt, & item in arundines aucupũ, fiebant certiores omnium quæ in Vrbe gererẽtur, ita vt de iis, quid opus eſſet facto, conſultarent, & quòd ignem viderant in Capitolio, tanquam in nocturna cuſtodia, iter quàm celerrimè faciebant, primúſque omnium Cerealius cum equitatu in Vrbem contendit. Vitellius cõuocato ſenatu, legatos ex eo & ex Veſtalibus ad Cerealiũ mittit: hi cùm nemo vellet ipſos audire, feréq; in mortis diſcrimen veniſſẽt, ad Primum, qui inde non longè aberat, proficiſcũtur, vtque cum eo colloqui poſſint, impetrant: nihil tamen efficiunt, ſed à militibus profectis contra Vitellium maximo furore præſidia pontis Tiberis franguntur. nam cùm tranſire prohiberentur ab iis qui pontem tuebantur, equites flumen tranſierunt natando, eóſque cùm inuaſiſſent à tergo, aliis irruentibus ex aliis partibus, affecerunt acerbiſſimis & grauiſſimis incommodis. Tũ ab iis factum eſt id quod in Vitellio, ac Vitellianis criminabantur, cuiúſve cauſa ſe cum eis bellũ gerere ſimulabant. Cæſi ſunt videlicet quamplurimi mortales, multíq; de tectis fictilibus deiecti, & in anguſtis locis propter multitudinem hominũ oppreſſi interierunt, ita vt per illos dies obierint hominum quinquaginta millia. Dũ Vrbs hoc modo diriperetur, pugnarẽntque alii, aliíque fugerent, & iidem poſtea rapinas & cædes pariter facecent, vt in numero eorum qui Vrbem inuaſerãt, incolumes ſeruarentur, Vitellius ſordido attritóque ſagulo amictus, ſe abdit in obſcurum locum, vbi canes alebantur, ſperans ſe noctu Tarracinam ad fratrem fugiturũ: ſed inueſtigatus inuentúſque à militibus (non enim diu latere poterat is qui fuerat Imperator) pannis obſitus, & ſanguine perfuſus, quòd eum canes læſerant, deprehenditur: deinde veſte eius diſciſſa, vinctíſque à tergo ma-

nibus, ac laqueo in collo religato, Cæſarem è Palatio, vbi magnas voluptates ceperat, deducunt, trahúntque via ſacra eum Imperatorem, qui ſuperbè plerũque ſella vectus fuerat, ipſúmque Auguſtum in forum in quo crebrò concionatus erat, perducunt: ibi ei colaphos impingunt, alii barbam vellunt, illudunt omnes, ac contumelioſè maledicunt, & comeſſationes exprobrant: immenſæ enim gulæ erat. Cúmque Vitellius ob has cauſas magno pudore affectus, demiſſo capite terram intueretur, milites ſub mento eum pungebant, vt caput extolleret inuitus, altúmque cerneret. Quod vbi quidam Celta animaduertit, non pertulit diutius, ſed miſericordia permotus, Ego tibi, inquit, qua in re potero, opem feram: itaque illum percuſſit, deinde ſibi manus attulit. Neque tamen Vitellius moritur ex eo vulnere, ſed trahitur in carcerem vnà cum ſuis ſtatuis, quibus ridicula multa atque turpia exprobrabãtur. Hîc Vitellius ſummo dolore affectus propter ea quæ pateretur, & audiret, Ego quidem, inquit, aliquando Imperator veſter fui. Quamobrem irati milites eum ad ſcalas perductum obtruncant, abſciſſúmque caput eius per totam Vrbẽ geſtant. Vitellius poſtea ab vxore ſepelitur. Is vixit annos quinquaginta quatuor: regnauit annum vnum, decem diebus exceptis. Frater eius cùm Tarracina profectus eſſet, vt ei opẽ ferret, accepiſſétque in itinere eum mortuum eſſe, incidit in eos qui contra ipſum miſſi erãt, cum iíſque de ſalute ſua paciſcitur, licet & ipſe non multò pòſt, & poſt eum filius Vitellii occiſus fuerit: quanquam Vitellius nullum ex propinquis Othonis aut Veſpaſiani occiderat. His confectis rebus omnes ad Mutianum venerunt, íſque omnia vnà cum Domitiano adminiſtrare cœpit: quem etiam ad milites adduxit, fecítque, quanuis puer eſſet, vt apud eos concionaretur. tum ſinguli aurei dati ſunt ſingulis militibus.

obtruncabant

xxv *drach.*

Veſpaſianus.

His rebus geſtis Veſpaſianus etiam à Senatu creatur Imperator, Titúſque & Domitian⁹ Cæſares deſignãtur: præterea Veſpaſianus & Titus abſentes conſularẽ dignitatẽ accipiunt. Horum alter in AEgypto, alter in Palæſtina erat. Veſpaſiano longo tẽpore antè regnum multis prodigiis ſomniiſq; ſignificatum eſt. Nã bos in agro in quo ipſe magnã vitæ partem degebat, cœnanti aſtitit flexis genibus, ac ceruice pedibus ſubiecta: rurſúmq; cùm cibum caperet, canis ſub menſam eius manum hominis poſuit. Itémque eximia cupreſſus magna vi ventorũ euerſa radicitus, poſtero die per ſe ſtetit, ac floruit. Præterea accepit in ſomnis, ſe principem Romanum fore, cùm Cæſar Nero dẽtem perdidiſſet: ídque ſomnium poſtridie quàm ſomniauit, diuulgatũ eſt. Quinetiam ipſe Nero vidit per quietẽ currũ Iouis in ædes Veſpaſiani intromitti. Quæ quidẽ omnia cùm egerẽt interpretatione, Ioſephus natione Iudæus antè ab eo captus cõſtrictúſq; vinculis ridens ait, Nunc quidẽ, inquit, me vincies, poſt annũ autẽ ſolues, cùm fueris Imperator factus. Igitur Veſpaſianus, vt alii pauci, ad principatũ natus erat. Sed cùm is adhuc abeſſet in AEgypto, Mutianus omnia ſumma poteſtate adminiſtrabat vnà cũ Domitiano, dicebatúrq; magnũ aliquid eſſe, quòd Veſpaſianum Imperatorẽ feciſſet, quódq; ab eo frater appellaretur, haberétque magnã potentiã. Nam omnia ſuo arbitratu abſque mãdato Veſpaſiani gerebat, ſcribebátq; de rebus omnibus, tantũmodo adſcripto Veſpaſiani nomine: ob eámq; cauſam ferebat annulũ, quem ad ipſum Veſpaſian⁹ miſerat, vt ea quæ ediceret, ſigillũ principis haberẽt. Igitur eo tẽpore omnia nutu horũ, quaſi ipſi Imperatores eſſent, ita gerebantur, vt Veſpaſianus ad Domitianũ ita ſcripſerit. Ago tibi, inquit, gratias fili, quòd me ſinas principatũ tenere, quódque me ex eo nõdum expuleris. Mutianus vndique quàm maximam pecuniã poterat, referebat in ærariũ, eiúſque rei culpã, ne eã Veſpaſian⁹ ſubiret, in ſe deriuabat, dicebátq; ſemper, pecunias neruos eſſe principat⁹. Itaq; hortabatur Veſpaſianũ, vt vndequaque pecuniã faceret: quod cùm principiò fecerit, grandẽ pecuniam Imperio ſibíque cõfecit. Tum aliæ rebelliones contra

Ioſephus.

Romanos factæ ſunt, quarū memoria, vt ego quidem arbitror,
Iulius Sabinus. nullo vſui eſt. Quanquā mirum fuit, quòd Iulius Sabinus, qui principatum tenebat in Lingonibus, ſeparatim magnum exercitum comparauit, fuítque Cæſar cognominatus, quòd ſe Iulio Cæſare prognatum diceret. deinde aliquot prælíis victus, rus abiit, ibíque in ſepulchrum ſubterraneum, quod ipſe prius incenderat, ingreſſus eſt: cúmque conſtans eſſet opinio illum interiiſſe, in eo nouem annos cum vxore delituit, ex eáque duos filios ſuſtulit. Has rebelliones Germaniæ Cerealius compeſcuit, multis prælíis factis, tantáq; in vno ex iis prælíis multitudo Romanorum, Barbarorúmque cæſa eſt, vt mortuorum cadauera profluentis curſum retinuerint. Domitianus propter ea quæ agebat (nihil enim niſi magnum moliebatur) patrem metuens, in Albano monte morabatur. Is animum ad amorem Domitiæ filiæ Corbulonis applicauerat, eámque à Lucio Lamio AEmiliano viro eius abductam ſecum habebat in numero amicarum,
Titus. eandémque poſtea vxorem duxit. Interim Titus præfectus bel-
Hieroſolyma. lo Iudaico cepit Hieroſolyma, incendítque templum, exiſtimātibus Iudæis nō ſuum interitum, ſed victoriam, ſalutem & fœlicitatem eſſe, quòd vnà cum templo caderent. Capti ſunt ab eo multi, præſertim Barphoras, qui apud eas principatum tenebat, íſque ſolus in triumpho ſupplicio affectus eſt. Itaque Hieroſolyma die Saturni, quem diē imprimis Iudæi colunt ad hæc noſtra tempora, conciderunt. Ab eodem Tito iuſſi ſunt quotannis didrachmum pendere Ioui Capitolino ii qui patrias leges eorū tuerentur. His de cauſis vterque Imperatoris nomen obtinuit, quanuis neuter Iudaicus cognominatus ſit, ſed alia multa, vt par erat, tam magna parta victoria, atq; in primis arcus triumphales eis decreti ſunt. Veſpaſiano ingreſſo in Alexandriam, Nilus inundauit vno die vltra quàm conſueuerat amplius quatuor digítis, quod nunquam antea niſi ſemel factum eſſe dicebatur. Idem Veſpaſianus cæcum hominem, itémque alterum,
Miracula Veſpaſiani. cui imbecilla manus erat, qui per quietē ipſum adire iuſſi fuerant, ſanauit, oculis alterius ſputo conſperſis, & manu alterius conculcata: quæ opinio diuinitatis eum celeberrimū fecit. Neque tamen Alexandrinis gratus erat, cui adeò grauiter infenſi erant, vt ei priuatim publicéque illuderent, atque maledicerēt. In cauſa erat, quòd cùm ſperauiſſent ſe ab eo, quem primi omnium Imperatorem fecerant, magnum aliquod munus accepturos, non ſolùm nihil eis largitus eſt, ſed etiam ab iis pecuniā exegit, atq; tam multā collegit, nullo genere tributi prætermiſ-

ſo,vt ne mendicis quidem pepercerit,ac de diuinis humaníſque rebus pecuniam fecerit. Multa enim vectigalia quæ iam ſolui deſierant,renouauit,auxítq; multa ex iis quæ obtinebant:ídque in cæteris prouinciis ſubditis Imperio Romano,ac poſtea in Vrbe fecit. Hanc ob cauſam Alexandrini multa conuitia in eum iactabant, dicebántque præter cætera, eum ſex obolos exigere. Quamobrem Veſpaſianus vir alioqui mitiſſimus tãta ira commotus eſt,vt viritim ſex obolos perſolui iuſſerit,ſtatuerítq; ſupplicium de iis capere. Quorum pœnam cùm Titus deprecaretur,eis nihilo magis pepercit.Neque verò Alexandrini ob eam cauſam deſiſtebant. Nam ita apud Titum frequentes exclamauere in publico conuentu, Ignoſcimus ei, inquiunt: non enim nouit imperare. Quæ cùm temerè dicerent, eadem petulantia, qua diſcedebãt è vita, inferos explebãt,videlicet abuſi Imperatoris comitate. Veſpaſianus poſt hæc Romam venit. Huic Mutianus cum viris primariis Brunduſium proceſſit obuiam. Domitianum Beneuenti conuenit,qui conſcientia mẽtis, & rerum antè geſtarum ita diffidebat, vt interdum ſimularet ſtultitiam. Nam cùm magnam vitæ partem degeret in Albano, facerétq; multa ridiculè,tum muſcas ſtylo tranſfigebat. Quod etſi indignum eſt grauitate hiſtoriæ, tamen quòd abundè eius mores oſtendit,neceſſariò ſcribendum putaui,potiſſimùm cùm factus Imperator idem fecerit.Ex quo facetè reſponſum eſt à quodam interroganti quid ageret Domitianus,Solus,inquit,eſt,ne muſca quidem cum eo. Veſpaſianus vt deprimebat huius ſuperbiã, ita cæteros omnes non vt Imperator, ſed vt priuatus, memórq; priſtinæ fortunæ excipiebat. Tẽplum in Capitolio ſtatim ædificare cœpit, primúſque eò terram attulit, iuſſítque cæteris illuſtriſſimis & clariſſimis viris vt idem facerent, quò minus cætera multitudo operam ſuam denegare poſſet. Cúmque ſumptus publicos,qui neceſſarii erant,magnificentiſſimos ſemper faceret,publicóſque conuentus ſumptuoſos præſtaret,in cæteris rebus ob eas cauſas parciſſimus erat,nihílque impẽdebat,niſi neceſſariò, ita vt nihil cocti in popinis præter legumina vendi pateretur. Qua ex re perſpicuum eſſe cœpit,eum tam magnã pecuniam non ad ſuas voluptates, ſed ad vſus publicos collegiſſe. Porrò Veſpaſianus ita vitam inſtituerat. rarò habitabat in Palatio, in hortis autẽ Salluſtianis plurimùm erat,eóque recipiebat quencunque, non ſolùm ſenatorii, ſed etiam cuiuſuis ordinis. Ante lucem,cùm etiam adhuc eſſet in lecto,colloquebatur cum iis qui ſibi valde erant familiares, eúmque cæteri in viis ſaluta-

Ne mendicis quidẽ parcebat in tributo exigendo.

Conuitia Alexandrinorũ in Veſpaſianum.

Ne muſca quidem.

Veſpaſianus nõ clibus utebatur

bant. Portæ regiarum interdiu ſemper apertæ, ac omni cuſtodia deſtitutæ erant. Veniebat in Senatum ſemper, & cum patribus cõmunicabat omnia: ſæpe etiã ius reddebat in foro. Quod ſi fortè de quibuſdam rebus non poſſet cognoſcere propter ſenectutem, aut ſiquid abſens ſcripſerat ad Senatum, ea filiis, vt in Senatu legerent, plurimùm iubebat. Neque verò in hac re ſolum Senatum affecit honore, ſed etiam quòd ex eo ordine frequentes & quotidianos conuiuas acciperet: ipſe quoque crebrò apud amicos & familiares ſuos cœnabat. In ſumma quod ad curam reipublicæ pertinet, Imperator habebatur: in cæteris rebus æquabili iure cum reliquis viuebat. Nec enim tantùm iocabatur populariter, verũ etiam iocoſè ſe ludi libenter patiebatur. Cúmque ſcripta quædam in principes ſine nomine, vt aſſolet, atque in contumeliam eius proponerentur, ipſe contrà nihil commotus exponebat commoda principatus. Cùm autem Phœbus ad eum veniſſet purgandi ſui cauſa in eo, quòd Neronis temporibus in Græcia atque in Theatro, cùm videret Imperatorem cõtra decorum facere, mœrore ipſum affeciſſet, iratus iuſſit eum abire: dein roganti quò iuberet, reſpondit in malam crucem. Itaque Phœbo defendenti ſe in hac cauſa non modò nullũ dãnum attulit, ſed nequid aliud, quã hoc ipſum reſpondit, Abi in malã crucem. Vologæſum, qui ad ſe ſcripſerat his verbis, Rex Regũ Arſaces Flauio Veſpaſiano ſalutem: ne reprehendit quidem, ſed ei iiſdem verbis, non adſcriptis Imperatoriis nominibus, reſpondit. Cùm autem Heluidius Priſcus Thraſeæ gener, ac in præceptis Stoicorum ab ineũte ætate verſatus, Thraſeæ loquendi libertatem imitaretur, quanuis minus opportunis temporibus, ac tunc cùm eſſet prætor, nihil faceret in honorẽ Imperatoris, ſed ei ſemper malediceret, atque ob eam cauſam captus, à tribunis plebis lictoribus traditus eſſet: confuſus Veſpaſianus fleuit, éque Senatu exiit, hoc vnum inquiens, Aut mihi filius meus ſuccedet, aut nemo. Sed cùm alii multi excitati ex Stoica diſciplina, in quorum numero fuit Demetrius Cynicus, multa inutilia iis qui audiebant, publicè diſſererent occaſione philoſophiæ, atque ita multos occultè in varias ſentẽtias traherent, Mutianus Veſpaſiano perſuaſit, vt omnes qui eſſent eius ſectæ, ex Vrbe expelleret, dixítque in eos multa, ira magis incitatus, quàm ſtudio doctrinæ. Itaque Veſpaſianus ſtatim philoſophos, præter Muſonium, Roma expulit: Demetrium verò & Hoſtilium in inſulas relegauit. Hic Hoſtilius, cùm de ſuo exilio intelligeret, actum fortè cum alio diſſereret, magíſque contra regnum

Phœbus.

Vologæſus.

Heluidius Priſcus. Thraſeas.

Demetrius Cynicus.

Hoſtilius.

regnum loqueretur, tamen ſubitò ſententiam mutauit. Demetrio verò nondum quieſcenti Veſpaſianus mãdari iuſſit his verbis. Tu quidem, inquit, nihil prætermittis, vt ego te interfici iubeam, ego tamen canem latrantem non occido. Per id tempus mortem obiit Cœnis pellex Veſpaſiani, cuius propterea mentionem feci, quòd maxima fide, & excellenti memoria fuit. Hæc enim heræ ſuæ Antoninæ matri Claudii, quæ ad Tiberium per eam nõnihil de Seiano ſcripſerat, iuſſerátque, vt id, ne quis fortè deprehenderet, ſtatim deleretur, fruſtrà, inquit, Domina iuſſiſti: hæc enim atque cætera omnia, quæ mihi imperas, ita ſem per in memoria habeo, vt ex ea deleri non poſſint. Id igitur in ea admiratus ſum, tum etiam quòd Veſpaſianus valde delectabatur eius conſuetudine, cuius etiam cauſa magnam potẽtiam aſſecutus eſt, ac per eam opes innumerabiles, vt creditum eſt, comparauit. Hæc enim multa accipiebat à multis, cùm magiſtratus, procurationéſque prouinciarum, & officia militum, ac ſacerdotia, ipſa quoque reſponſa principis nonnullis venderet. Veſpaſianus quidem neminem occidi iuſſit pecuniæ cauſa, ſed pleróſque, quòd pecuniam darent, incolumes ſeruauit. Quæ omnia cùm Cœnis caperet, id fieri de voluntate Veſpaſiani ſuſpicio erat ex cæteris quæ gerebant, quorũ pauca exempli cauſa ponam. Nam cùm aliquot homines ſtatuiſſent ei ponere ſtatuam ad aureorum decem millia, porrecta manu ait: Vos verò, inquit, mihi argentum date, hæc enim eius fundamentum eſt. Præterea Tito grauiter ferenti propter vectigal quod ex lotio atque aliis rebus capiebat, aureos ex eo vectigali quæſitos oſtẽdit, dixítque, Vide, inquit, fili, num oleant. Veſpaſiano ſextùm, & Tito quartùm conſulibus templum pacis dedicatum eſt: & Coloſſus ſacra via collocatus, quẽ ferunt fuiſſe altum pedes centum: huic imago Neronis erat, vel Titi, vt ab aliis traditum eſt. Cædes belluarum Veſpaſianus fecit in amphitheatris: ludis autem gladiatoriis non magnopere delectabatur. quanquam Titus ludis Iuuenalibus, qui in patria eius facti erant, armis certauit cum Alieno, videlicet ficto certamine. Parthis bellum cum quibuſdam populis gerentibus, opémque ab eo poſtulantibus, auxilia non miſit, negauítque cõuenire ſibi curam rerum alienarum. Per id tempus Beronice maximè florebat, ob eámque cauſam cum Agrippa fratre Romam venit. Is prætoriis honoribus auctus eſt. ipſa habitauit in Palatio, cœpítque cum Tito coire: ſpes erat eam Tito nuptum iri, iam enim omnia, ita vt ſi eſſet vxor, gerebat. Sed Titus cùm intelligeret populum Roma-

Cœnis.

XXV *Myriades drach.*

Templũ pacis.

Coloſſus.

Beroniæ.

num id moleſtè ferre, eam repudiauit, præſertim quòd de iis rebus magni rumores perferrentur. Eodē tempore moleſti quidam ſophiſtæ clàm in Vrbem ingreſſi ſunt, ex quibus Diogenes cùm prior in Theatrum veniſſet refertum magna hominū multitudine, ac populum vexaſſet multis cōtumeliis, virgis cæſus eſt. Poſt hunc Eras venit, qui ratus nihil ſibi grauius euenturum, multò exclamauit inſolentius atque impudentius: quā obrem ei caput obtruncatum eſt. Iiſdem temporibus in quadam taberna vas plenum vini vſque adeò redundauit, vt in viā profluueret. Itémque Sabinus Gallus, qui ſe Cæſarem eſſe dixerat, atque cùm ad arma veniſſet, victuſque eſſet, in monumentum ſe abdiderat, agnitus & Romam adductus eſt, cum eóque occiſa eſt Peponila vxor, quæ eum incolumē ſeruauerat: quanuis Veſpaſiano filios ſuos propoſuerit, dixerítque ad captādam miſericordiam, Ego, inquit, Cæſar, hos in monumento peperi, aluíque, vt plures tibi ſupplices eſſemus. Qua oratione etſi ei cæteríſque qui aderant, exciuit lachrymas, tamen ipſe eis non pepercit. Dum hæc gererentur, Alienus & Marcellus contra Veſpaſianum coniurant, quos ipſe ſibi amiciſſimos eſſe arbitrabatur, ſummíſq; auxerat honoribus: neque tamen ab iis interficitur, propterea quòd patefacta coniuratione, Alienus in Palatio, ſtatim vt ſurrexit è conuiuio, iuſſu Titi occiſus eſt, nequid noctu moliretur: iam enim magnum numerum militum cōparauerat. Marcellus autem damnatus in Senatu, guttur ſibi nouacula præcidit. Adeò homines malo ingenio prædíti, nullis beneficiis vincuntur, quando iſti parauêre inſidias ei à quo tot beneficia acceperant. Quæ cùm ita ſint, conſtat Veſpaſianum morbo, non quidem podagra, qua laborare conſueuerat, ſed febribus extinctum eſſe in aquis Sabinis, quæ Cutiliæ appellantur. Alii Titum falſò criminantur, præſertim Adrianus, dicúntque eum veneno in cōuiuio ſublatum eſſe. Planè prodigia, quæ eò pertinebant, præceſſêre. nam cometes diu viſus fuit, & monumentum Auguſti ſua ſponte apertum eſt. Cùm autem increparetur à medicis, quòd morbo correptus, nihil de quotidiana victus ratione immutaret, facerétque omnia quæ ad principatum ſpectarent, reſpondit Imperatorem ſtantem mori oportere. Iis verò qui de comete neſcio quid inter ſe colloquebantur, ait, Non mihi, inquit, ſed regi Parthorum mortem portendit: ille enim comatus eſt, ego caluus ſum. Poſteaquam autem credidit ſe moriturum, Ego, inquit, deus efficiar. Vixit annos LXIX. menſes VIII. regnauit annos X. ſex diebus exceptis. Ex

Diogenes.

Eras Cynicus.

Peponila.

Alienus.

Marcellus.

Moritur Veſpaſianus.

Aquæ Cutiliæ.

Signa.

quo fit, vt à morte Neronis, vſque ad principatum Veſpaſiani annus vnus intercedat, dieſque viginti duo. Quod idcirco ſcribendum putaui, ne errore ducerentur ii qui numerum temporis ad eos qui principatum obtinuerunt, referrent. Non enim ſibi ſucceſſêre inuicem, ſed viuo adhuc & regnante altero quiſque eorum ita habitus eſt Imperator, vt quodammodo fuerit. Itaque dies eorum non ex ſucceſſione mutua numerandi ſunt, ſed accurata exactaque ratione temporis: vt à me dictum eſt.

Titus.

TITVS ex quo tempore principatum ſolus obtinuit, nec cædes fecit, nec amoribus inſeruiuit, ſed comis, quãuis inſidiis peteretur, & continens, Beronice in Vrbem reuerſa, fuit. adeò mores ſtatim mutauit. Neque enim eodem modo ſe gerũt ii qui ſocii tantummodo regni ſunt, & ii qui ſoli regnum tenent: propterea quòd illi neglecta gloria principatus immoderatè eius poteſtate abutuntur, multáque ad inuidiam & calumniam eius faciunt. Qui autem intelligunt omnia ex ſeſe pendere, magna in opinione & exiſtimatione eſſe ſtudent. Id quod Titus aliquando dixit ei, cuius antea ſtudioſus fuerat. Diſſimile eſt, inquit, egere opera alterius, & iudicem eſſe, perinde ac poſtulare ab alio, & dare. Is perpaucos annos ita principatum tenuit, vt in eo nullum ſcelus ædiderit. Vixit enim in eo duntaxat annos II. menſes II. dies XX. antè verò quàm eſſet Imperator, annos XXXIX. menſes V. dies XXV. Quamobrem eum plerique in hac re ita cum Auguſto comparant, vt negent & illum, ſi celerius obiiſſet, & hunc, ſi vixiſſet diutius, charos vnquam fuiſſe: propterea quòd Auguſtus cùm coactus inimicorum multitudine & ſeditionibus principiò aſper fuiſſet, poſtea cùm diu vixerit, multitudine beneficiorum clarus eſſe potuit. Titus verò, quòd eo tempore, quo comiter regnare cœperat, & ob eam cauſam magnam gloriam habebat, mortuus eſt, quam fortaſſe amiſiſſet, ſi vixiſſet diutius: ita vt virtus eius maiorem fœlicitatem nacta ſit. Igitur Titus nõ modò ſenatorem, quãdiu principatum tenuit, nullum interfici iuſſit, ſed nec alius quiſquam ſub eius imperio morte affectus eſt.

De crimine impietatis nũquam cognouit, neque permiſit aliis vt cognoſcerent. Nemo enim, inquit, iniuria me afficere, aut inſequi contumelia poteſt, propterea quòd nihil ago quod reprehendi mereatur: ea verò quæ falsò de me dicuntur, prorſus negligo. Porrò principes qui mortem cum vita commutarũt, ipſi ſe, ſi verè heroes ſunt, aut ſi quicquam poſcunt, vlciſcentur, ſiquis eis iniuriam faciat. Multa quoque conſtituit ad ſecuritatem & tranquillitatem omnium, propoſitis edictis, quibus omnia beneficia, quæ ſuperiores principes dederant, confirmabantur, ne dum quenque pro ſe poſtulare oporteret, moleſtiam caperent. Delatores quoque ex vrbe expulit. Eodem tempore alterum bellum extitit in Britannia, quo bello Cneus Iulius Agricola regionem hoſtium vaſtauit, primúſque omnium Romanorum, quod ſciamus, Britanniam circumfuſam eſſe mari vndique cognouit. Cùm enim pauci milites facta ſeditione, interfectíſque centurionibus tribuníſque ſuis, ad naues confugiſſent, atque inde ſoluiſſent, nauigauêre eam partem Britanniæ, quæ ſpectat ad occidentem ſolem, vt fluctibus ventóque ferebãtur: cúmque id feciſſent, atque ad altera caſtra Romanorũ, quæ tum ibi erant, appuliſſent imprudẽtes, Agricola alios miſit, qui nauibus eundem curſum tenerent, ex quibus etiam inſulam eſſe comperit. His rebus geſtis in Britannia, Titus Imperator xv appellatus eſt. Agricola reliquum vitæ tempus in ignominia & paupertate tranſegit, ſcilicet quòd maiora, quàm prætori par eſſet, effecerat, ob eáſque cauſas à Domitiano tandem interfectus eſt: quanuis permiſſu Titi triumphauiſſet. Per id tempus accidêre in Campania horribilia quædam, quæ magnam admirationem habent. Nam ſub Autumni tempus ingens incendium repente excitatum eſt, eóque mons Veſeuus conflagrauit. Is mons mare ſpectat ad Neapolim, habétque fontes ignis maximos: ac olim quidem ex omni parte excelſus erat, ſed tunc ex medio eius ignis extitit. Nam ea parte tantùm exuſtus eſt, extrinſecus enim intactus integérque permanet ad hæc tempora. ex quo fit, vt cùm ignis externas partes non exurat, eáque quæ ſunt in medio, conſumantur igni, redigantúrque in cineres, vertices qui circùm ſunt, vſque adhuc veterem altitudinem habeant, & quæ pars igni conſumpta eſt, ex locorum vicinitate concaua facta ſit, ita vt totus mons (ſi licet parua cum magnis conferre) formam habeat amphitheatri, in quo venationes fiunt. Culmina eius montis multas arbores habent, vitéſque: ipſe interius circuitu propter ignem de-

Delatores.

Cneus Iulius Agricola.

Incendium Veſeui.

cliuis eſt, vtque fumum interdiu, ita noctu flammam reddit, ita vt in eo ſuffimenta cuiuſuis generis fieri ſemper videantur. Quod cùm ita ſe habeat, nec ſemper eodem modo, id magis aliquando, interdum minus facit: ad hæc puluerem proiicit, quoties ſimul aliquid ſubſidit, emittítque ſaxa facto impetu ventorum: tum reſonat mugítque, quòd minimè denſas atque conſtipatas, ſed raras & occultas reſpirationes habet. Cùm igitur Veſeuus eiuſmodi ſit, hæc in eo quotannis ferè fieri ſolent. Quæ cùm illis temporibus præter morem euenerint, magnaque adhuc eſſe videantur iis qui ea ſemper inſpiciunt, tamen licet omnia ſimul cum cæteris, quæ tum quoque euenerunt, comparentur, parua habeantur neceſſe eſt. Etenim eo tempore magnus numerus hominum inuſitata magnitudine, quales gigantes finguntur, in eodem môte regionéque finitima, ac proximis ciuitatibus interdiu noctúque vagari, verſaríque in aëre viſus eſt. Poſt hæc conſecuta eſt maxima ſiccitas, ac repente ita graues terræmotus facti, vt & omnis ea planities feruida eſſet, & culmina montium ſubſiderent. Ad hæc ſonitus ſubterranei tanquam tonitrua, & ſuper terram mugitibus ſimiles extiterũt. Dein mare ſimul fremere, omne cœlum reſonare, ingénſque & repentinus fragor, quaſi montes ſimul conſiderent, exaudiri. Tum exilire primùm immenſi lapides, & ad ſummos vertices peruenire: deinde magna copia ignis fumíq;, ita vt omnem aërem obſcuraret, occultarétque ſolem non aliter quàm ſi defeciſſet. Igitur nox ex die, & tenebræ ex luce factæ erãt, putantibus nonnullis gigantes ſeditionem inter ſe facere, quòd multæ imagines eorum in fumo conſpicerentur, quódque clangor tubarum audiretur. Alii exiſtimabant aut mundum in chaos redigi, aut igni conſumi, ob eámque cauſam properabant alii ex ædibus in vias, alii de viis in ædes confugere, atque è mari in continentem, & ex continenti in mare ſe recipere. Alii conturbati ea quæ nondum venerant, exiſtimare tutiora rebus præſentibus. Tanta verò erat copia cineris, vt terram maréque, atque adeò ipſum aërem compleret: quæ res multa damna, vt cuique ſors tulit, importauit, non ſolùm hominibus, prædiiſque ac pecoribus, ſed etiam piſces, volucréſque omnes peremit, duáſque vrbes, Herculanum & Pompeios, populo ſedente in Theatro, penitùs obruit. Poſtremò tantus fuit cinis, vt inde peruenerit in Africam, Syriam, & AEgyptũ, introierítque Romam, eiuſque aërem cõpleuerit, & ſolem obſcurauerit. Id Romæ accidit paucis pòſt diebꝰ, cùm omnes ignorarẽt id quod

factum erat in Campania, nec, quid esset, cōiectura assequi possent. Itaque etiam ii putare cœperunt, omnia sursum deorsum ferri, solémque in terram cadere, aut terram in cælum conscēdere. Quanquam autem hic cinis non attulit statim grauia incommoda populo Romano, tamen postea morbum pestilētem & grauem immisit. In sequenti anno Tito ad visendam calamitatem Campaniæ profecto, multa Romæ cōflagrauerunt, quod incendium tamen nō extiterat ex terra. Nam Serapium, Isium, Septa, templum Neptuni, balnea Agrippæ, Pantheon, Diribitorium, Theatrum Galbæ, Scena Pompei, Octauiana ædificia vnà cum libris, templum Iouis Capitolini, cum proximis templis igni consumpta sunt. Ita id malum diuinum potius, quàm humanum fuit. Licet enim ex iis quæ commemoraui, cætera quæ eo incendio perierunt, coniicere. Titus ad Cāpanos misit duos viros consulares, qui colonias eò deducerent, iísque grandē pecuniam dedit, atque eam potissimùm, quam reliquissent ii qui sine hæredibus mortui essent. Ipse nihil à priuatis, aut ciuitatibus, aut regibus, cùm ei multa darent ac pollicerentur, accepit: quinetiam ea quæ adhuc apud se habebat, restituit. Quod pertinet ad cætera, nihil præcipuum gessit: tantùm amphitheatrum venationū causa, & balnea suo nomine dedicauit: tum ibi multa eáque admirabilia fecit. Grues enim certauerūt inter se: præterea quatuor elephanti, ac pecorum ferarúmve millia nouem interfecta sunt, quæ mulieres ignobiles confecerūt. multi obierunt munus gladiatorium: multi quoque conferti pedestria ac naualia prælia commiserunt. Nam amphitheatro de repente aqua impleto, in ipsum equos taurósque, aliáque mansueta animalia introduxit, quæ facere didicerant ea quæ in terra cōsueuerant. In hanc aquam introducti sunt homines in nauibus, qui in Corcyrenses & Corinthios diuisi, prælio nauali certauerunt. Extra hunc locum pugnatum est ab aliis in horto Cai & Lucii, quem Augustus perfodi ob eandem causam iusserat. Ibi enim primo die bellum nauale, cædésque belluarū facta est, lacu, qua parte statuas spectat, tabulis inædificato, ac fixis vndique trabibus. Postridie eius diei ludi Circenses facti sunt. Tertio die nauale prælium factum est hominum trium millium: post hæc pedestris pugna consecuta est. Nam Athenienses superatis Syracusanis (his enim nominibus vsi pugnauerunt) cùm in paruam insulam descendissent, magno impetu celeriter facto, monumentum quod ibi factum erat, inuadunt, capiúntque. Fuêre per centum dies spectacula eius generis. Sed & plebi vtile fuit,

Diribitorium.
Octauiana ædificia.

quòd Titus paruos globos ligneos de ſuperiore loco iaceret in amphitheatrum, in quibus ſcripta erat nota alicuius eſculenti, veſtiſve, aut vaſis argentei, aut aurei, equorúmque & iumentorum ac mancipiorum. Quos globos qui rapuiſſet, attuliſſétque ad eos quibus imperatum fuerat ea munera largiri, quod ſcriptum erat, conſequebantur. His confectis rebus, poſtremo die fleuit, inſpectante vniuerſo populo, nec amplius quicquam magnum geſſit: ſed inſequenti anno Flauio & Pollione conſulibus, dedicatis iis quæ ſupradicta ſunt, in iiſdem aquis, in quibus pater obierat, mortuus eſt. Fama eſt fratrem mortem ei attuliſſe, præſertim quòd ei inſidias antè parauerat: alii morbo extinctum tradunt. Cùm enim adhuc reſpiraret, poſſétque forſan conualeſcere, Domitianus ipſum in arcam plenam niuis cõiecit, quò celerius moreretur. Eo quidem certè viuo Romã venit, introiítque in caſtra, ac nomen & potentiam Imperatoris accepit, dedítque militibus, quantum eis frater dederat. Titus moriens, ſe vnius tantummodo rei pœnitere dixit: id autẽ quid eſſet, non aperuit, nec quiſquam certò nouit, aliud aliis coniiciẽtibus. Conſtans fama fuit, vt nonnulli tradũt, quòd Domitiam vxorem fratris habuiſſet: alii putant, quibus ego aſſentior, quòd Domitianum à quo certò ſciebat ſibi inſidias parari, non interfeciſſet, ſed id ab eo pati maluiſſet, & quòd traderet Imperium Romanum tali viro, qualem eum fuiſſe referemus. Regnauit, vt ſuprà dictum eſt, annos II. menſes II. dies XX.

Domitianus.

DOMITIANVS homo audax erat & iracundus, præterea inſidiator & vafer: itaque ex altero temerarius, ex altero fraudulẽtus erat. Multa enim vaſtabat irruens celeriter inſtar fulminis: cõtrà multa damna paratus & præmeditatus inferebat. Mineruam præcipuè ex omnibus diis coluit, atque ob eam cauſam quinquatria magnificè celebrauit: in quibus certamina poetarum, oratorum, gladiatorúmque quotannis ferè exhibebat in Albano. nam eum locum ſub Albano monte, ex quo ita cognominatus eſt, tanquã *Albanum.*

arcem aliquam elegerat. Neminem vnquam verè & ex animo dilexit, præter paucas mulieres: quanquam eum se diligere simulabat semper, quem maximè interfectũ cupiebat. Adeò verò diffidebat iis qui ei aliquid gratificabãtur, aut obsequebãtur in molestissimis atque grauissimis rebus, vt eos qui ei maximam pecuniam darent, aut qui multos homines calumniarẽtur, penitùs perderet, præsertim seruos, si quid contra dominos detulissent. Cúmque se talem erga omnes præstiterit semper in suo principatu, tum verò seipsum in eo longè superauit, quòd patrẽ fratrémq;, & amicos ignominiosè & perditè tractauit. Eos enim oderat, propterea quòd ei non concessissent omnia quæ postulauerat: præstitissentque multa, quæ non satis idonea aut recta esse videbantur, & quòd antea in aliquo honore fuissent. Quas ob res etsi Elearinum Eunuchum amabat, tamen quòd Titus exectos quoque dilexerat, vetuit in eius contumeliam, nequis in posterum intra fines Romani Imperii castraretur. Omnino dicebat Imperatores, à quibus permulti homines non punirẽtur, fortunatos magis quàm bonos esse: & quasi in scena esset, simulabat se fratrem amare ac lugere, laudabátque nõ sine lachrymis, cùm tamen omnia contrà, quàm vellet, præ se ferret. nam Circenses ludos, qui natali die illius fiebant, diremit: cæteri, quemadmodum condolerent, aut ei congratularentur tutò, nesciebant, ne aut ei molestiam afferrent, aut eius dissimulationem percipere viderentur. Cùm autem de cæde Domitiæ vxoris suæ consultaret, propter admissum adulterium, capto consilio de sententia Vrsi, eam repudiauit, propter quam Paridẽ saltatorem in media via occidit: ac postquam accepit eum locum à multis hominibus floribus frondibúsque & virgultis ornari, eos interfici iussit. Quibus cõfectis rebus, palàm cum nepte sua Iulia tanquam cum vxore coibat. Multos primarios viros compluribus de causis morte & exilio de medio sustulit. Sed neque Vestalibus pepercit, in quas animaduertit, quasi cum viris consuetudinẽ habuissent: de quibus cùm esset asperè & acerbè quæsitum, ac multi qui accusati fuerant, supplicio afficerentur, id vnus è pontificibus Eluius Agrippa non ferens, atque eo perterritus, in Senatu, vbi tum erat, extinctus est. Domitianus profectus in Germaniã cum exercitu, hoste nusquã viso, reuertit. Hoc loco mihi commemorare non necesse est ea quæ tum ob eam causam ei, cæterisq; Imperatoribus eius simillimis semper tributa sunt, ne paruos honores adepti, ac proinde rati se contemni, molestè & grauiter ferrent. Illud fuit in eo grauissimũ, quòd

Domitiam repudiat.

Paris.

cùm

cùm ſe adulari cuperet, vtriſque & colentibus eum, & non colẽtibus pariter ſuccenſebat: illis, quòd aſſentari: his, quòd negligere viderentur. Adeò verò ſtultè elatus eſt & inſolenter, vt conſul decem annos perpetuos, & Cenſor, quandiu viueret, primus ſolúſque ex priuatis ciuibus atque Imperatoribus deſignatus ſit. Lictores cepit quatuor & viginti: vtque veſte triumphali vteretur, quoties veniret in Senatum, obtinuit. Menſem Octobrem, quòd in eo natus erat, Domitianum cognominauit. Aurigarũ duo genera adiunxit, quorum vnum aureum, alterum argenteũ appellauit. Spectatoribus multa crebrò largiebatur in ſphæris paruulis: nonnunquam conuiuium faciebat eis in eodem loco ſedentibus, præbebátque ſæpenumero vinum fluens nocturno tempore. Quæ res vt multitudini erat voluptati, vt par eſt, ita potentibus viris cauſa erat interitus. Multos enim occidebat, cùm non haberet vnde tantos ſumptus faceret, partim reos factos in Senatu, partim abſentes accuſatos: nonnullos quoque ex inſidiis, clandeſtinis venenis ſuſtulit. Per id tempus maximũ bellum fuit populo Romano cum Dacis, apud quos Decebalus regnum obtinebat. Is erat in cognoſcendis rebus hoſtium perſpicax, in agendo ſolers, promptúſque ad inuadendum, & ad regrediendum, ſi res ita poſtulabat. nouerat enim optimè inſidias facere, prælium committere, optimè vti victoria, & acceptam cladem ferre moderatè. Quamobrem diutiſſimè aduerſarius fuit populo Romano, dignus certè, quicum bellum gereretur. Porrò eam gentem Dacos appello: nam ita ſe ipſi nominãt, eodémque nomine à Romanis appellãtur, etſi non ignoro eos à quibuſdam Græcis Getas eſſe dictos. Quod an rectè factum ſit, neſcio: illud quidem ſcio, Getas trans Hæmum apud Danubiũ incolere. At Domitianus ducto in eos exercitu, quãquam ipſe bellum nulla ex parte attigit (erat enim non ſolùm impatiens laboris corporis, ſed etiam animo timido & imbelli, petulánſque & libidinoſus non modò in mulieribus, ſed etiam in pueris) tamen miſſis ducibus ad bellum gerendum, ac magna parte militum turpiter amiſſa, vt victor Romã literas miſit. Quamobrẽ ei tot & tanta decreta facta ſunt, vt in omni ferè orbe terrarum, qui ſub ditione eius erat, ſtatuæ aureæ atque argẽteæ poſitæ ſint. Edidit ſumptuoſum ſpectaculum, ex quo nihil dignum hiſtoria accepimus, præterquã quòd virgines curſu certauerũt. Poſt hæc dies feſtos egit, videlicet triumphales: exhibuit crebra certamina, præliis peditum, ac deinde equitũ commiſſis in Circo, tum etiã in nouo quodam loco bello na-

Domitianus conſul fuit decẽ annos perpetuos.

October Domitianus appellatus eſt.

Factiones aurigarum duæ.

Daci.

Getæ.

uali facto, in quo nõ ſolùm omnes ferè qui pugnauerũt, mortui ſunt, ſed etiã multi ex ſpectatoribus, propterea quòd maximo imbri, & vehementi tempeſtate repente commota, nemini permiſit abire ex ſpectaculo : & quanquam ipſe penulã mutauit, tamen cæteros nihil mutare paſſus eſt. Qua ex re nõ pauci in graues morbos inciderunt, & mortui ſunt. Itaque populo nocturnum epulũ dedit, eius conſolandi cauſa. Noctu enim ſæpe exhibebat certamina, in eáque nonnas & mulieres introducebat. V'tque plebi eo tempore, ita pòſt principibus ſenatorii & equeſtris ordinis conuiuium in hunc modum fecit. Apparauit ædes nigerrimas ex omnibus partibus : erant enim atra laquearia, parietes ac pauimentum, in eóque ſedes nudæ eodem modo collocatæ erant. Quibus paratis rebus, eos de nocte introduci iubet abſque comitibus: ac primùm omnium iuxta vnumquemque columnam collocat, factam inſtar ſepulchri, in qua nomen eius ſcriptum erat, pendebátque de ea lychnuchus paruus, vt aſſolet in monumẽtis: tum nudi pueri, atramentóque obliti, tanquam ſpectra quædam ingrediuntur, ipſóſque horribili ſaltatione circumeunt, eóque facto ante pedes ipſorum cõſiſtunt, fiúntque ad extremum omnia quæ in exequiis mortuorum fieri ſolent. Nam & res atræ in vaſis eodem modo eis appoſitæ fuerunt. Quas ob res quiſque maximè reformidare cœpit, & perhorreſcere, quòd ſe iam expectarent interfectum iri, præſertim quòd cæteris magnũ ſilentium erat, quaſi iam mortui eſſent, quódque Domitianus ſermonẽ habebat de iis rebus quæ ad mortem, quæve ad cædes pertinerent. Tandem verò illos dimittit, præmiſſis famulis ipſorum qui in veſtibulis ædiũ remanſerant. Cúmque præparaſſet alios incognitos homines, à quibus domum reducerẽtur, vehiculis & lecticis datis, iis metum multo maiorem incuſſit. Iam quiſque domũ venerat, iámque reſpirare quodam modo incipiebat, cùm nuntiatum eſt, nonnullos ab Auguſto venire. Qua ex re eis mori omnino expectantibus, ab vno horum oblata eſt columna argentea, ab altero aliud quippiã: ab alio vas ex iis quæ in cœna appoſita fuerant, quæque erant pretioſiſſima: poſtremò puer dæmonion vnicuique lotus & ornatus obtulit : eóque pacto illi totam noctẽ magno timore perculſi, munera acceperunt. Et Domitianus hos triumphos egit, vel vt vulgò loquebantur, exequias eorum qui in Dacia, Romæque mortem obierant. Iiſdem temporibus interfecit quoſdam primarios viros, priuauítque facultatibus eum qui vnum ex iis in prædiis ſuis defunctum ſepultura affecerat.

Cœna ſepulchralis, & cõuiuium laruale.

Cæterũ Dacico bello hæc accidêre memoria. Iulianus, cui cura belli gerendi ab Imperatore mandata erat, cæteris rebus benè conſtitutis, iuſſit militibus vt ſua & centurionum nomina in ſcutis inſcriberent, quò facilius ii qui præclarè aliquid aut turpiter feciſſent, agnoſcerentur: congreſſúſque cum hoſtibus in Tapis, magnũ numerũ eorum cõcidit. ex quib⁹ Vezinas, qui ſecundũ locum poſt Decebalũ obtinebat apud ſuos, cùm viuus nõ poſſet ſe in fugã cõiicere, de induſtria pro mortuo cecidit: deinde noctu clàm profugit. Decebalus veritus, ne Romani quaſi victores in regias eius irruerẽt, arbores, quæ prope eas erãt, excidi mandauit, & arma truncis imponi, vt hoſtes veriti, ne milites adeſſent, regrederẽtur, id quod factum eſt. Per id tẽpus Antonius, qui Germaniæ præerat, inſurgere cõtra Domitianum eſt auſus. Hunc Lucius Maximus deuicit, & bello cœpit: qui etſi propter victoriam nõ eſt magna laude dign⁹, tamẽ quòd literas omnes inuentas in arcis Antonii combuſſit, neglecto proprio periculo, vt cæteri calumniam effugerent, laudari dignè nunquam poteſt. Sed Domitianus inde nactus occaſionem, abſque literis animũ induxit ad cædes faciendas, nec quot homines interfici iuſſerit, dici poteſt. ex quorum numero Iulius Caluaſter adoleſcens, is fuerat tribunus militum, ſpe capti conſilii fretus, contra opinionem euaſit. Nam cùm ſæpenumero ſolus cum eo ſermones conferre deprehenſus fuiſſet, nec poſſet alio pacto cauſam coniurationis eluere, cum eo ſe conſuetudinem habuiſſe, & amore coniunctum eſſe dixit: erat enim talis vt amari poſſet. itaque liberatus eſt. Cætera quæ facta ſunt illis temporibus, prætermittam, ſi hoc vnum dixero, Lucianum Proclum Senatorem ætate prouectum, ac plerunque ruri vitam agentem, coactum fuiſſe proficiſci ex Vrbe cum Domitiano, ne ſi videretur eum in periculis deſerere, morte afficeretur. Sed poſtquam nũtium de parta victoria allatum eſſe intellexit, Viciſti, inquit, Imperator, vt optabam: quamobrem, vt ruri me reſtituas, peto. Itaque dimiſſus rus abiit: cúmque longo tempore diutiſſimè vixerit poſtea, tamen amplius ad eum reuerſus non eſt. Per id tempus cœpere nonnulli acubus oblitis veneno, quos collibitum eſſet, pungere. Qua ex re multi eorum ne ſentiẽtes quidem moriebantur. Multi ex illis, cùm delati eſſent, ſupplicio affecti ſunt: idque non ſolùm Romæ, ſed etiam in omni ferè orbe terrarũ factum eſt. Vlpio verò Traiano, & Aculio Glabrioni, qui vnà olim conſulatum geſſerant, eadem prodigia dicuntur eueniſſe, ex quibus Glabrioni interitus, Traiano ſummum Imperium

Iulianus.

Decebalus.

Antonius rebellionem facit in Germania.

Lucius Maximus.

Lucianus Proclus.

Acus oblitæ veneno.

prædictum eſt. Mulier quòd exuta fuerat ante ſtatuam Domitiani, damnata & interfecta eſt. In numero eorum qui tum interfecti ſunt, quorũ eſt magna multitudo, fuit Metius Põpuſianus, quem Veſpaſianus propterea nullo vnquã damno affecerat, quòd acceperat ex aliquo reſponſo eũ regnaturũ, ſed ob eã cauſam habuerat in honore, de eóq; dicere ſolebat, Põpuſianus memor erit officii mei, & remunerabitur. Hunc Domitianus antè in Cyrnum relegauit, ac tum interfecit, accuſatũ præter cætera, quòd haberet orbem terræ pictũ in parietibus cubiculi, quódq; conciones regum & cæterorum principum, quæ ſunt apud Liuium ſcriptæ, euolueret, & ſtudioſè legeret. Maternum Sophiſten occidit, quòd exercẽdi ſui cauſa in tyrannos dixerat. Cum accuſatoribus & teſtibus vnà aderat præſens, cõfingebátque & cõminiſcebatur omnia quæ dici ab iis oporteret: ſæpe etiam cũ iis qui vincti eſſent, colloquebatur, remotis arbitris, eorúmque vincula tenebat in manibus, quòd nec aliis crederet ea quæ dicenda eſſe exiſtimaret, quódq; illos vinculis conſtrictos timeret. Cæterũ Domitianus, vt Cẽſor, rem memoria dignã fecit. Nam Cæcilium Rufinum propterea Senatu mouit, quòd ſaltaret: & Claudium Pacatum, etſi Cẽturio fuerat, domino reddidit, quòd eum ſeruũ eſſe conſtaret. Porrò quæ ſequũtur, diſſimilia ſunt, quæque ab eo facta ſunt ſumma Imperatoris poteſtate. Nã Ruſticum Arulenum interfici iuſſit, propterea quòd philoſophabatur, quódque Thraſeam diuinum fuiſſe hominem dicebat. Itémque Herennium Senecionem, quòd cùm vixiſſet diutiſſimè poſt Cenſoriam dignitatem, nullũ magiſtratum petiuiſſet, quódque Eluidii Priſci vitam conſcripſiſſet: cõpluréſque alii ex eadem cauſa, quòd ſtudio philoſophiæ operam darent, occiſi fuerunt, cæteris omnibus ex Vrbe iterum expulſis. Iubẽtius verò Celſus, qui cum quibuſdam primariis viris contra eum coniurauerat, fuerátq; ob eam cauſam delatus, ſaluus nec opinatò conſeruatus eſt. Nam cùm ab iis qui ipſum capturi erant, petiuiſſet, vt ſibi liceret cum Domitiano ſecretò colloqui, ac deinde eum coleret, dominúmq; & deũ, quibus nominibus iam quoq; ab aliis appellabatur, crebrò nominaret. Ego quidẽ, inquit, nihil tale cõmiſi: quòd ſi differre tibi placuerit, omnia inueſtigabo curioſè: deinde multos ad te deferã, multóſque cõiuratos indicabo. ita ob hãc cauſam dimiſſus neminẽ in poſterũ indicauit, ſed allatis aliis atq; aliis cauſis, rem in id tẽpus diſtulit, quo Domitianus mortuus eſt. Iiſdem temporibus ea via, quæ inter Sinoëſſam eſt & Puteolos, fuit lapidibus ſtrata. Eodẽ anno Do-

Pompuſianus.

Suet. in Domit. ch. 10.

Ruſticus Arulenus.

Herennius Senecio.
Eluidius Priſcus.
Iubentius Celſus.

mitianus cùm multos alios, tum verò Fabiũ Clementem Cõsulem, etsi nepos eius erat, duxeráq; vxorem Flauiã Domitillam propinquã ipsius, morte affecit, illato ambobus crimine ἀθεότητος. Cuius rei causa multi, qui in mores Iudæorũ transierant, dãnati sunt: quorũ pars occisa est, pars spoliata facultatibus: Domitilla tantũ modo in Pandateriã relegata est. Glabrionẽ quoq; qui cũ Traiano magistratũ gesserat, accusatũ præter cætera superioris criminis, & quòd cum bestiis pugnauisset, interfici iussit, cui præsertim propter inuidiã infensus erat. Nã cùm eũ consulẽ in Albanũ vocasset ad Iuuenalia, coëgissétq; immanem leonẽ expugnare, Glabrio nõ solùm à leone læsus non est, sed etiã eum egregiè cõfecit. His de causis Domitiano omnes homines suspecti esse cœperũt: non enim amplius in libertis, nõ in præfectis prætorio, quos etiã in præfectura curabat damnari, spẽ firmam habebat. Nam Epaphroditũ libertum Neronis, quẽ antea persecutus fuerat, tũc interfecit, criminatus eum, opẽ Neroni non tulisse, vt sumpto de illo supplicio, libertos suos nequid tale committere auderẽt, multò antè deterreret. Quæ res tamen nihil ei profuit: siquidẽ insequenti anno ex insidiis occisus est, Caio Valenti (qui cùm nonaginta annos habẽs consulatũ gessisset, mortuus est) & Caio Antistio consulibus. Inuasêre eum homines insidias moliti Parthenius cubicularius eius, licet ab eo magno honore ferẽdi gladii affectus esset: & Sigerius, qui & ipse cubicularius erat: itémque Entellus, cui incumbebat cura libellorũ Imperii, cũ Stephano Liberto: sed neq; Domitia vxor, neque Norbanus præfectus prætorio, neq; collega eius Petronius Secũdus id dicũtur ignorasse. Nã & Domitia in odium eius venerat, timebátq; ne se interfici iuberet, & cæteri amplius eũ charũ non habebãt, quòd iam quibusdã eorũ nonnulla crimina inferebãtur, quódq; cæteri, ne idẽ sibi eueniret, metuebãt. Equidẽ illud etiam accepi, Domitianũ statuisse eos omnes interficere, quòd iã ei suspecti forent, atque eorũ nomina scripta in tabulis tiliaceis, iisdémq; duplicibus sub puluinari eius lecti in quo requiescebat, abdidisse: quas cũ inde nudus & garrulus puer fortè dormiẽte eo accepisset, eáq; interdiu haberet in manib⁹, ignorãs quid ferret, Domitiã fortè occurrisse, eáq; quæ scripta erãt, legisse, ac postremò rẽ omnẽ illis significauisse. Qua re animaduersa, maturauêre insidias: etsi antè ad rẽ gerendã nõ sunt aggressi, quàm successorẽ imperii cõfirmauerint. Qua de re cũ sermonẽ habuissent cum multis, nec vellet quisquam Imperium adipisci, quòd omnes tentari se ab iis metuebant, tandẽ ad Neruã vene-

7.

Christianos (opinor) intelligit.

Cædes Epaphroditi Neronis liberti.

Parthenius.

Entellus.

Stephanus.

δίπτυχα.

runt: is erat vir nobiliſſimus atque humaniſſimus, veneráque in periculũ, calumniantibus eum aſtrologis, ita vt ex hac re multò facilius ei perſuaſerint, vt Imperium reciperet. Nam Domitianus indagatis diebus horíſque in quibus principes viri nati eſſent: pleróſq; etiam ex iis qui potentiam nunquam ſperauerant, ſuſtulerat: adeóque Neruam occidi iuſſiſſet, niſi vnus ex aſtrologis pro ſua in ipſum beneuolentia dixiſſet, eum paucis pòſt diebus moriturum. Sed nihil eſt eiuſmodi, quod non antè proſpectũ & præuiſum ſit. Euenêre Domitiano prodigia, quòd ruſticum ad ſe cum gladio accedere, & Mineruam, quæ in cubiculo eius collocata erat, arma abiicere, eandémque ex curru, qui nigris equis trahebatur, in magnum hiatum deſcendere in ſomnis vidit. Illud verò maximè eſt admirandum, quòd Larginus Proclus publicè prædixit in Germania, Domitianum, quo die exceſſit è vita, mortem obiturum: cúmque eſſet ob hãc cauſam ab eo qui prouinciæ præerat, Romam miſſus, introductuſque ad Domitianum, id ita etiam tunc confirmauit fore. itaque rei capitalis damnatus eſt: ſed dilato ſupplicio, quo tum demũ afficeretur, cùm ille periculum effugiſſet: tandem necato Domitiano ſaluus euaſit, & à Nerua aureorum quatuor millia accepit. Fuit alius, qui cùm Domitiano tempus & genus mortis prædixiſſet, ab eóque viciſſim interrogatus, quem exitum vitæ ipſe eſſet habiturus, reſpondiſſet, fore vt à canibus dilaniaretur, viuus exuri iuſſus eſt: ſed admoto igni, tãtus imber aquæ effluxit ſubitò, vt rogus extingueretur, in quo canes eum cùm vinctis à tergo manibus reperiſſent, dilacerauerunt. Poſſum referre præterea aliud quod dictu eſt inopinatum atque mirabile, idque ego, poſteaquam de Domitiani morte dixero, exponam.

Larginus Proclus.

Decem Myriades drach. Mirum.

Igitur poſtquam Domitianus de tribunali ſurrexit, voluítque interdiu, vti conſueuerat, requieſcere, primùm Parthenius gladium ferreum, qui ſub eius puluinari erat ſemper, accepit, ne eo Domitianus vteretur: mox Stephanum virum robuſtiorẽ cæteris omnibus intromiſit, íſque vulnus ei inflixit, non lætale illud quidem, ſed tamen graue, vt eo vulnere accepto proſtratus iaceret: tum exiluit foras, veritus ne poſſet effugere, & Maximum libertum, vt quidam putant, immiſit. Ita Domitianus occiſus eſt: tum etiam Stephanus, accurrentibus ſubitò, irruentibuſque iis qui conſcii cõiurationis nõ fuerant. Quod verò paulò antè dicebã mihi omnino admirabile videri, eſt, quòd Apollonius Tyaneus eo ipſo die & hora, qua Domitianus occidebatur (nam id poſtea reſcitũ eſt ex iis quæ vtrobíque facta ſunt)

Apollonius Tyaneus.

cùm in præcelſum atque editum ſaxum ſiue Epheſi, ſiue alibi conſcendiſſet, multitudine hominum conuocata, in hunc modum dixit. Rectè Stephane, euge Stephane, percute homicidã, percuſſiſti, vulneraſti, occidiſti. Quæ etſi pleriſque videntur eſſe incredibilia, tamẽ ita facta ſunt. Vixit Domitianus annos quatuor & XL. menſes. x. dies ſex & XX. Regnauit annos XV. dies V. Corpus eius Phyllis nutrix furata ſepeliuit.

Nerua.

POST cædem Domitiani Nerua Cocceius Romæ Imperator deſignatus eſt: deinde pleræque ſtatuæ Domitiani, argenteæ atque aureæ (quippe odio apud omnes erat) ſublatæ ac diſſipatæ ſunt, ex quibus grandis pecunia redacta eſt. Fuêre quoque arcus triumphales, quos ei plurimos fecerant, diſturbati. Nerua autem eos qui rei facti erãt impietatis, abſoluit, exuleſque reſtituit. Seruos verò ac libertos, qui inſidias dominis patroníſve ſuis fecerant, omnes interfici iuſſit, cauítque, ne eis liceret crimen vllius facinoris, dominis inferre: neminem quoque impietatis, aut ritus Iudaici accuſari permiſit. Tã multi enim per calumniã damnati fuerant, in quorum numero Seras philoſophus fuit, ob eámque rem ingens tumultus concitatus erat (omnes enim accuſabantur ab omnibus) vt ferant Frõtonem conſulem dixiſſe, malum quidem eſſe, Imperatorem habere, ſub quo nemini licet quicquam facere, ſed multo peius eſſe, cùm omnia licẽt omnibus. Quibus cognitis rebus Nerua talia fieri in reliquum tempus vetuit. Erat Nerua ſenectute & languenti ſtomacho imbecillior: nam ex eo cibum, quem ceperat, euomebat. Statuas aureas aut argenteas ſibi fieri vetuit, bonáque, quæcunque adhuc inuenta ſunt in Palatio, reſtituit iis quibus ea Domitianus per iniuriam ademerat. Ciuibus Romanis, qui in ſumma forent egeſtate, agrum dedit ad aureorũ ſexcenta millia, eius agri emptione diuiſionéque quibuſdam viris Senatorii ordinis imperata. Cúmque egeret pecunia, magnum numerum veſtium, mul-

Arcus triumphales.

Seras philoſophus.

Frõto conſul.

Mille quingẽtæ Myriades drach.

táque vaſa argentea atque aurea,& reliquam ſupellectilem non modò de priuatis ſuis, ſed etiam de principalibus rebus,multa etiam prædia,multáſque domos,atque in ſumma omnia,præter ea quæ neceſſaria erant, vendidit. Neque verò in pretiis harum rerum ſordidus, ſed in hoc ipſo benignus erga multos & liberalis fuit. Multa ſacrificia,multóſque ludos Circēſes, aliáq; nōnulla ſpectacula ſuſtulit,vt ſumptus, quoad eius fieri poſſet, minueret. Iurauit in Senatu, nullum è ſenatoribus ſuo iuſſu interfectum iri: ídque iuſiurandum facta etiam coniuratione cōtra ſe ratum fecit. Cúmque nihil abſque primariis viris gereret,multas leges tulit,præſertim nequis eunuchum faceret, néve quis neptem in vxorem duceret. Virginium Rufum,qui ſæpe Imperator appellatus fuerat, non eſt grauatus collegam in conſulatu aſſumere: in cuius mortui ſepulchro inſcriptum fuit, eum ſuperato Vindice,nequaquam ſibi Imperium peperiſſe,ſed patriæ. Nerua quidem vſque adeò bonus princeps fuit, vt aliquando dicere auſus ſit,ſe nihil feciſſe, quo minus poſſet depoſito Imperio priuatus tutò viuere. Cùm autē Calpurnius Craſſus, illorum Craſſorum nepos, atque alii nonnulli contra eum coniuraſſent,eos,cùm nondum reſcirent,patefactam eſſe coniurationem in ſpectaculo,iuxta ſe collocauit,iíſque gladios tradidit in manus,vt,ſicuti dicebat,an ſatis acuti eſſent, inſpicerēt, quemadmodum fieri ſolet: reuera autem id fecit,vt eis oſtenderet ſibi nequaquam curæ eſſe, ſi vel in eodē loco ſtatim necaretur. Caſperius quoque AElianus,quem, vt antea factū erat à Domitiano,prætorianis præfecerat,milites in eum concitauit, vt nonnullos ex iis ad ſupplicium depoſceret. Quibus non modò non reſtitit Nerua, verumetiam eis nudum iugulum præbuit,quanuis nihil egerit. Ii quidē,quos voluit AElianus,interfecti ſunt. Hac de cauſa Nerua,qui propter ſenectutem minimè contemptus erat,in Capitolium conſcendit, ibíque magna voce, quod fœlix fauſtúmque ſit, inquit Senatui populóque Romano,mihíque ipſi,M. Vlpium Neruam Traianum principē facio: eundémque poſtea in Senatu Cæſarem deſignauit, atque ad eum ſua manu ſcripſit (is tum præerat Germaniæ)

Τίσιαν Δαναοὶ ἐμὰ δάκρυα σοῖσι βέλεσσι,

Telis Phœbe tuis lachrymas vlciſcere noſtras, Itaque Traianus, quanquam Neruæ propinqui non deerant,tunc Cæſar, ac poſtea Imperator factus eſt. Nec enim ille coniunctionem ſanguinis antepoſuit publicæ vtilitati: neque rurſum eum deterruit,quòd Traianus homo Hiſpanus,nec Italus erat, nec

Epitaphiū Virginij Rufi.

Hiſpanus Traianus.

nec Italicus, quódque ante eum nemo alterius nationis Imperium Romanum obtinuerat. Cẽſebat enim virtutem cuiuſque, non patriam exiſtimari & ponderari oportere. His confectis rebus mortuus eſt. Regnauit annum vnum, menſes IIII. dies IX. Vixit annos LXV. menſes X. dies X.

Traianus.

TRAIANO, priuſquam Imperium adipiſceretur, viſum eſt in ſomnis, virum iam grandem natu, veſte purpurea & corona ornatũ, qualis pingitur Senatus, primùm in ſiniſtram partem iuguli ipſius, pòſt in dextram annulo ſigillum impreſſiſſe. Vt autẽ Imperator factus eſt, multa ſua manu ſcripſit ad Senatum, atque illud in primis, ſe nullum vnquam virum bonum interfecturum, aut notaturum ignominia, ídque non tunc ſolùm, ſed etiam poſtea iureiurando confirmauit. AElianum prætorianóſque milites, qui contra Neruam ſeditionem fecerant, quaſi vti vellet eorum opera, accerſi iuſſit, eóſque de medio ſuſtulit. Poſtquam Romã venit, multa fecit ad emendandum corrigẽdúmque ſtatum reipublicæ, atque in gratiam bonorum, quorum in primis curam geſſit. Nam ciuitatibus Italiæ multa largitus eſt ad educationẽ liberorum, in quos magna beneficia contulit. Huius vxor Plotina cùm primùm ingrederetur in Palatium, eſſétque adhuc in gradibus: cõuerſa ad multitudinẽ, Talis, inquit, huc ingredior, qualem me exire cupio. Ea quidem ſic ſe geſſit in principatu, vt iuſta reprehenſione caruerit. Traianus autem cùm Romæ aliquandiu commoratus eſſet, in Dacos cum exercitu proficiſcitur, quòd ſecum ea quæ ab aliis geſta eſſent, reputaret, quódque pecunia quam ipſi quotannis capiebãt, grauaretur: & quòd eorum copias indies augeri, efferríq; animos animaduerteret. Cognita eius profectione, Decebalus pertimuit: quippe ſciebat antea nõ populum Romanum, ſed Domitianum ab ſe ſuperatum eſſe: tunc autem bellum ſibi fore cum populo Romano, Traianóque Imperatore, qui iuſtitia, fortitudine, bonitate lõgè

Plotina uxor Traiani.

antecelleret,ac viribus corporis præditus eſſet (quippe regnare cœpit agens annum ſecundum & quadrageſimum) & ita vigeret animo,vt non eum iuuentus temerarium, non tardum efficeret ſenectus. Traianus quidem nulli inuidebat, perdebátq; neminẽ: bonos omnes ornabat honoribus,& dignitatibus augebat. Ex quo fiebat,vt neque timeret quenquam,nec haberet odio. Nullam fidem habebat calumniatoribus,nulla ira tenebatur: abſtinebat ab aliena pecunia nõ minus, quàm ab iniquis cædibus. Magnos ſumptus fecit belli pacíſque temporibus. Multa eáque apprimè neceſſaria ædificauit, cuius generis ſunt viæ, portus,ædificia publica, quorum tamen cauſa nullius vnquam ſanguinem effudit.Magnificus enim natura & magnanimus erat. Itaque poſtquam Circum collapſum reſtituit, maiorémque reddidit atque pulchriorem, inſcripſit in eo, perfeciſſe ſe vt populo Romano ſufficeret.Amari à ciuibus cupiebat magis quàm honore affici. Cum populo humaniter, cum Senatu honorificè verſabatur.Charus ciuibus,hoſti formidoloſus erat. Venationibus, conuiuiis, ſeriíſque ac iocoſis rebus ciuium intererat. Sæpe quartus diſcumbebat,veniebátque in ædes eorũ, interdum nulla munitus cuſtodia,ibíque nonnunquam requieſcebat. Bonarum artium expers & ignarus fuit, licet verè ea quæ ad virum doctum pertinent, intelligere, ac facere videretur. Cuncta in eo viro optima atque præſtantiſſima erant: nam etſi erat amoribus puerorum & vino deditus,tamen nihil ob eã cauſam turpiter aut nequiter fecit,paſſúſve eſt,quamobrem iure reprehenderetur. Licet enim vinum largiter biberet, tamen ſobrius erat, & quod ad pueros attinet, nemini moleſtus fuit. Cúmque eſſet auidus belli,ita ſibi in eo tẽperabat,vt hoſtes frãgeret,amicos autẽ augeret.Non enim ei vnquam accidit, quod euenire in huiuſmodi ſolet, vt milites feroces ſe & inſolentes præbuerint: vſque adeò bene & ratione imperabat. His de cauſis Decebalus meritò eum verebatur. Poſtquam Traianus in Dacos exercitum duxit, nec longè abfuit ab iis locis in quibus Barbari caſtra poſuerãt,fungus ingens ad eum allatus eſt,in quo ſcriptum erat Latinis literis,Burros ſocióſque omnes à Traiano petere,vt pace facta domum reuerteretur. ſed Traianus nihilo minus conflixit. Quo in prælio quanquam magna cædes hoſtium facta eſt, tamẽ multos ex ſuis ſaucios vidit. Cúmque deficerent ea quibus vulnera militum obligarentur, fertur ne veſti quidem ſuæ peperciſſe, ſed eam diſcidiſſe ad obliganda vulnera militum,cæſíſque in prælio ſtatuiſſe aram,in qua quotan-

Fũgus inſcriptus Latinis literis.

nis parentari iuſſit. Pòſt contendit ad editiora loca mõtium, indéque aliis atque aliis occupatis collibus, non ſine magno periculo ad regiam Dacorum peruenit: quos Luſius ex altero latere adortus, magnum numerum eorum concidit, cepítque. Decebalus continuò primores eorũ qui pila geſtabant, ad Traianum mittit, pacémque per eos ab ipſo poſtulat, ſéque imperata facturum pollicetur. Is iubet arma, machináſq;, & earum artifices tradere, tranſfugas dedere, diruere propugnacula, de regione, quam ex finitimis cepiſſet, decedere, & amicos hoſtéſque eoſdem, quos populus Romanus haberet, exiſtimare. Has conditiones Decebalus deductus ad Traianum inuitus accipit, eúmq; proſtratus ad pedes veneratur. His confectis rebus Traianus in Italiam reuertitur. Tum legati Decebali intromittũtur in Senatum, depoſitíſque armis, iunctíſque manibus more ſeruorum, pauca ſupplices loquuntur: dein confirmata pace arma recipiunt. eóque facto Traianus de Dacis triumphauit, & Dacicus cognominatus eſt. Pòſt in Theatrum gladiatores, quibus delectabatur, ſaltatoréſque reduxit, ex quorum numero Pilades ei præſertim charus erat. Porrò in tanto armorum ſtudio curam habuit cæterarum rerum: nam in foro Auguſti, & in porticu Liuiæ, ac in pleríſque aliis locis ius pro tribunali dicebat. Dum hæc geruntur, nuntiatur Decebalum multa contra fœdus facere, arma comparare, tranſfugas recipere, arces inſtaurare, finitimas nationes per Legatos ad defectionem ſolicitare, eóſque qui ipſi antè non paruerant, diripere, iámque Iazygum nonnullã partem regionis occupauiſſe: quam cùm illi poſtea repeterent, Traianus eam non reſtituit: ob has cauſas Decebalus hoſtis iterum à Senatu iudicatur. Traianus id bellum per ſe, non per alios duces confecit. Et quanquã Decebalus Traiano multo erat imbecillior, tamen parum abfuit quin eum ex inſidiis tolleret. Miſit enim tranſfugas in Myſiam, qui Traianũ occiderẽt: ad quem cùm antea erat ſemper facilis acceſſus, tum verò belli temporibus cum quibúſvis facillimè colloquebatur: ſed id facinus tranſfugæ facere non ſunt auſi, propterea quòd vnus ipſorum cùm in ſuſpicionem veniſſet, captus magna vi tormentorum, inſidias patefecerat. Itaque Traianus Longino, quem in ſuo exercitu ducem habebat peritiſſimum rei militaris, perſuaſit, vt Decebalum adiret, quaſi ſtatuiſſet imperata eius facere. Hunc Decebalus comprehendi iuſſit, rogauítque publicè Traiani conſilia. Pòſt vbi nihil potuit ex eo cognoſcere, mandauit ipſum ſolutum vinculis in cuſtodia retineri: deinde petiit

à Traiano per literas, vt recepto Lõgino ſecum reconciliari vellet. Cui Traianus ita reſpondere viſus eſt, vt Longinum neque multi facere, neque prorſus cõtemnere videretur: cuius mortẽ licet non expeteret, tamen eiuſdem ſalutẽ non magnopere poſtularet. Quæ dũ animaduerteret Decebalus, ſtatuerétque quid ſibi faciendũ eſſet, Lõginus ſumpto veneno, cuius ei magna copia erat, moritur. Interim Traianus pontẽ lapideũ in Danubio faciendũ curauit, quem ego quidẽ dignè admirari non queo. nã etſi Traiani ſunt alia opera magnifica, tamẽ is pons longè omnibus antecellit. Eius pontis pilæ ſunt XX, ex lapide quadrato, ſingulæ abſque fundamentis, altitudine pedũ CL. latitudine pedũ LX. diſtant inter ſe interuallo CLXX pedũ, ſúntque cum fornicibus coniunctæ. Cuius operis ſumptus licet ſit incredibilis, tamen plus admirationis habet, quòd hæc in fluuio gurgitibus pleno, limoſóque alueo facta ſunt, quódq; fluxus eius fluminis aliò auerti non potuit. Neque verò latitudo ipſius idcirco à me dicta eſt, quòd permagna ſit: nonnunquã enim duplo triplóque maius inundat, ſed quòd tanta ſit in eo loco anguſtiſſimo, quo tamẽ nullus erat ad faciendos pontes accõmodatior. Quo in loco quãto magis flumen ex lato in anguſtũ fluit, rurſúmque ex anguſto multo fit latius, tãto rapidius fertur, altiúſque eſt, vt id põtis faciendi difficultatẽ maximè augeat. Ex quo Traiani magnitudo animi intelligi facilè poteſt. Is põs nobis quidem nullo eſt vſui: nec enim tranſitur: extant pilæ eius oſtentationis cauſa, quaſi tantummodo factæ ſint, vt conſtet ex iis nihil eſſe, quod humano ingenio effici non poſſit. Hunc põtem Traianus fecit, metuẽs ne Danubio cõglaciato frigoribus, Romanis qui trans flumẽ eſſent, bellũ inferretur. Quòd ſi eueniret, vt poſſet per eũ copias facilè traducere. Sed Adrianus contrà metuẽs, ne Barbari oppreſſis cuſtodibus põtis, in Myſiam facilè tranſirent, ſuperiores partes eius diſturbari iuſſit. Igitur Traianus eo põte facto, Danubiũ tranſiit: dein ſecurè bellũ geſſit magis, quàm celeriter, ac Dacos vix tandẽ ſubegit. Multa in eo bello ipſe ſtrenui Imperatoris, ac viri fortis facinora edidit, multáq; pericula milites eius adierunt, ſéque fortes viros præſtiterunt. Ex quibus vnus eques ſaucius exportatus ex prælio ad ſananda vulnera, vbi deſperatam eſſe ſalutem cognouit ex tabernaculo (nondum enim vis mali eum oppreſſerat) iterum in aciem proceſſit, magníſque rebus geſtis, mortuus concidit. Decebalus poſtquam regiam, regionémque ſuam omnem captam eſſe cognouit, imminéréque periculum, ne ipſe quoque caperetur, manus ſibi at-

Pons magnificus in Danubio.

tulit. Eius caput Romã perlatum eſt, & Dacia in poteſtatẽ venit populi Romani, in eámque Traianus coloniã deduxit. Theſauri Decebali quanquam in Sargetia flumine, nõ procul à regia eius repoſiti erant, inuenti ſunt. Decebalus enim flumine opera ſeruorum auerſo, perfoſſóque alueo, magnam vim argenti auríque, tũ pretioſiſſimas quáſque res atque delicatiſſimas, quæ conſeruari poterant, eò congeſſerat, iíſque rebus magnis lapidibus aggeribúſque tectis, flumẽ priſtino alueo reſtituerat. Præterea veſtes, & alia quæ ſunt eiuſdẽ generis, abdiderat in ſpelũcas per eoſdem ſeruos, eóſque peracto negotio iuſſerat occidi, ne, quod actum erat, patefacerent. Sed Bicilis ſocius & familiaris Decebali, cui res erat cognita, captus hos theſauros indicauit. Per id tempus Palma præfectus Syriæ cepit eã Arabiæ partem, quæ Petram attingit, redegítque in ditionem populi Romani. Ad Traianum reuerſum in Vrbem quã plurimæ legationes à barbaris gentibus, & in primis ab Indis venerunt. is ſpectacula edidit dierum centũ viginti trium, in quibus interdum cæſæ ſunt feræ manſuetǽve beſtiæ mille, interdũ etiam ad decẽ millia: itémque gladiatorum decem millia inter ſe certauerũt. Iiſdem tẽporibus ſtrauit paludes Pontitias lapidibus, extruxítque iuxta vias ædificia, pontéſque magnificentiſſimos fecit, ac nummum omnem adulterinum ſuſtulit. Suram Licinium quitum deceſſerat, affecit publica ſepultura, eíque ſtatuam collocari iuſſit. Hic adeò diues fuerat & potens, vt gymnaſium ædificauerit populo Romano ſuis ſumptibus, tantaque fide atque amicitia fuerat cum Traiano cõiunctus, vt cùm ſæpe eſſet apud eũ ab inuidis & inimicis accuſatus, Traianus nihilo minus domum eius inuocatus ad cœnam venerit, dimiſſáque cuſtodia medicũ Suræ primum omnium ad ſe vocauerit, eíque permiſerit, vt ſuos oculos * Quo facto, tonſorẽ eiuſdem venire iuſſit, íſque mentum Imperatoris raſit. nam hæc vetus conſuetudo ciuium Romanorũ ac principum fuit: Adrianus enim primus barbã nutriuit. Poſt hæc Traianus cœnauit lotus, poſteróque die amicis ſuis, qui Suræ maledicere ſemper, eúmque calũniari conſueuerãt, reſpõdit. Si me, inquit, Sura interficere voluiſſet, heri quidẽ certè interfeciſſet. Itaq; permagnũ fuit, quod Traianus in homine accuſato inſidiarũ periclitari voluerit, ſed multò profectò maius, quòd nunquam timuerit, vt quicquam tale ab illo ſibi accideret. Huic etiam principiò, cùm præficeret eum prætorianis cohortibus, atque ipſum ob eam cauſam gladium accingere oporteret, Traianus nudum porrexit, dixítque,

Decebalus ſibi mortẽ conſciuit.

Theſauri Decebali in Sargetia flumine.

Adrianus primus Cæſar barbam nutriuit.

accipe, inquit gladium, quem pro me, si bene atque ratione imperauero, distringes: sin minus, eo ad interitum meum vtêre. Sossio quoque, & Palmæ, & Celso statuas posuit, quos viros habuit in honore præ cæteris omnibus. In eos verò, qui contra se coniurauerant, in quorum numero Crassus fuit, causa cognita à Senatu, animaduertit. Bibliothecas extruxit, ac in foro suo columnam maximam collocauit, partim sepeliendi sui causa, partim vt opus, quod ipse circa forum fecerat, posteris ostenderet. nam eum locum montosum, quanta est altitudo columnæ, perfodit, forúmque eo pacto complanauit. Post hæc bellum intulit Armeniis, Parthísq;, propterea quòd, vt ipse dicebat, rex Armeniorum non ab se, sed à rege Persarum diadema accepisset: sed reuera id bellum suscepit adductus gloriæ cupiditate. Postquam in fines hostium peruenit, satrapæ qui regionem tenebāt, regésque cum magnis muneribus ei processerunt obuiam, in primísque adduxerunt equum doctum hominem venerari, ita vt flecteret anteriora genua, & ceruicem pedibus eius qui propè adesset, submitteret. Traianus cepit cuncta nullo facto prælio: dein Satala & Elegiam, quæ sunt vrbes Armeniæ, profectus, Heniochorum regem honore affecit, & Parthamasirem regem Armeniorum est vltus, captáq; Armenia, reges qui deditionem fecerāt, habuit in numero amicorum: cæteros etiam mortuos absque pugna cepit. Tum ei multa decreta sunt à Senatu, sed in primis Optimus cognominatus est. Pedibus enim iter faciebat semper cum exercitu, instruebátque milites, quoties proficisceretur, eósque variis modis ductabat. Pedibus non aliter quàm illi, transibat flumina: nonnunquam falsos rumores pro veris, & maximè de iis rebus quas exploratores retulissent, spargebat, vt milites celeriter imperata facere assuescerēt, promptíque ad omnia & intrepidi essent. Ad hæc Nisibi Batnísque captis, Parthicus cognominatus est: sed cognomine Optimi multò magis gloriari videbatur, ex quo natura moréque eius suauissimi magis, quàm arma cognoscerentur. Dum moraretur Antiochiæ, ingens terræmotus factus est, quo multis ciuitatibus, sed Antiochiæ præsertim, magna clades allata est. In qua vrbe cùm Traianus hyemaret, cúmque eò magnus numerus militum, magnáque priuatorum hominum multitudo, litium, legationum, negotiationis, & spectaculorum causa vndique conueniisset, id damnum ad omnes nationes populósque ita pertinuit, vt in vrbe Antiochia omnis orbis terrarum subiectus Imperio Romano detrimentum acceperit. Hunc terræmotum

Columna maxima Traiani: sepulchrũ hodie uisitur Romæ.

Terræmotus.

multa præceſſêre fulmina, flauerêque vehementes venti atque inſolentes: ſed ex iis tanta calamitas nunquam ſperabatur futura. Primùm enim de improuiſo mugitus terræ maximus, pòſt fremitus maris horribilis auditus eſt. Terra ſublimè tolli cœpit, ædificia ſurſum erigi, erecta partim ruere & conquaſſari, partim velut in ſumma tempeſtate nutare huc atque illuc commota: loca deſtituta ædificiis mirum in modum agitari, materies ædificiorum frangi, lateres collidi, lapides conquaſſari, ac poſtremò eorum omnium horribilem fragorem eſſe. Tãtus verò puluis excitatus fuit, vt nõ videre, non alloqui, non audire quenquam per eum liceret. Multi mortales extra ædes afflicti eſſe, quòd agitati iactatíque, tandem velut ex locis ſuperioribus præcipitati colliderentur. Qua ex re alii mutilari, alii interire, quòd arbores etiam conuellerentur radicitus. Eorum verò qui in vrbe remanſerant, infinita multitudo periit. Multi enim impetu hominum cadentium aggerúmve occiderũt: multi quoque caſu lapidum oppreſſi, extincti ſunt. Qui parte aliqua corporis læſa lapidibus lignísve iacebant, miſerrimi erant, quòd neque viuere, neque mori poſſent ſubitò. Et quanquam multi ex infinita ſcilicet eorum multitudine euaſerunt, tamen eorundem magna pars læſa & mutila fuit: cùm alii fractis cruribus, alii priuati humeris, nonnulli fracta ceruice eſſe, complures ſanguinem euomere viderentur. In eorum numero fuit Pedo conſul, qui ſtatim mortuus eſt. In ſumma nulla fuit grauis calamitas, quæ non ſit illis hominibus illata, propterea quòd in hoc terræmotu facto diuinitus, homines inopes conſilii neſciebant huic malo mederi, quòd alii cadentibus ædificiis opprimerentur, alii fame interirent, id quod accidit iis qui in vacuis locis, lignis fortè ſuperſtãtibus, aut in fornicibus & periſtyliis incolumes ſeruabantur. Cùm iam ceſſaſſet terræmotus, fuit quí ruinas audacter conſcenderet, qui poſtquam in iis vocem viuæ mulieris intellexit, ea ſecum habebat infantem, eúmque ipſa, ſéque lacte ſuo ſuſtentabat, loco, in quo erat, perfoſſo, vtrunque incolumem ſeruauit. Quo facto indagare cœperunt cætera, neminem tamen amplius viuum inuenire potuerunt, præter puerum alterum, qui matris mortuæ vbera ſugebat. Cúmque inde mortuos eruerent, nequaquam præ dolore ſaluos ſe eſſe lætabantur. Tanta calamitas Antiochiam inuaſerat. Traianus autẽ feneſtra ex ædibus, in quibus erat, effugit: nam eum quidã inuſitatæ, & plus quàm humanæ magnitudinis, cùm ad ipſum veniſſet, eduxit foras. Quibus rebus omnibus magno eſt timore

perterritus: cúmque per multos dies terræmotus ceſſauiſſet, tamen ſub dio vitam agebat in Circo. Coraſius quoque mons ita concuſſus eſt, vt eius culmina ſubſidere & conquaſſari, atque in ipſam ciuitatẽ cadere viderentur. Subſedere præterea alii mõtes, & aquæ, vbi antea viſæ fuerant nunquam, extiterunt: contrà nonnullæ, vbi fluxerant, defecerunt. Ineunte vere Traianus in hoſtilem terram ingreditur. Cúmque ea regio quæ ad Tigrim fluuium ſpectabat, materiam ad ædificandas naues non ferret, ea nauigia quæ in ſyluis apud Niſibin fecerat, plauſtris in flumen conuehi iuſſit. Sic enim comparata fuerant, vt diſſolui & coniungi poſſent, ægréque ad radices Cardyni montis pontem fecit in flumine continuatis nauibus, quamuis hoſtes ex aduerſo collocati prohiberent. Nam Traiano tãta erat nauium copia, tantáque multitudo militum, vt aliæ celerrimè coniungerẽtur, aliæ plenæ grauis armaturæ militibus atque ſagittariis vim hoſtium antè prohiberent, aliæ huc & illuc ferrentur, quaſi tranſituræ eſſent. His rebus perterriti barbari, ſimul quòd tãta multitudo nauigiorum in regione vacua arboribus conſpiceretur, ipſi terga dant. Romani flumen tranſeunt, Adiabenémque omnem, quæ pars Aſſyriæ ad Ninum pertinuit, in ſuam poteſtatem redigunt. Ad hæc Arbela atque Gaugamela, vbi Alexãder olim Darium ſuperauerat, capiunt: ea Attyria nominatur, litera S. in T. à barbaris commutata. Pòſt Babylonem vſque veniunt, propter hoſtium à quibus prohiberentur, ſolitudinem. Nam Parthorum vires comminutæ erant bellis ciuilibus, erátque inter eos adhuc ſeditio. Ibi Traianus vidit lacum bitumi-

Coraſius.

Aſphaltũ vidit Traianus.

nis, ex quo mœnia Babylonis ædificata fuerant. Cuius tanta vis eſt, vt permixtum cum lateribus, aut minutis lapidibus, quouis ſaxo ſit aut ferro potentius. Oſtium quoque eiuſdem ſpectauit, vnde tã grauis halitus manat, vt eum nulla animalia terreſtria, nullæque volucres perferant, cuius ſolo olfactu intereunt. Qui locus quanuis longius latiúſque pateret, tamen ob eam cauſam non eſſet habitabilis: nunc autem quaſi circunſcriptus, deſertus eſt. Ego quidem alterum huic conſimilem vidi Hierapoli, quod eſt oppidum Aſiæ, feciſque periculum in auibus, & procubui vt inſpicerem eum halitum, qui in ciſterna quadam cõcluditur, vbi Theatrum ædificatum fuerat. Is ſpiritus omnibus animantibus peſtilens eſt, præterquam caſtratis hominibus: cuius rei cauſam equidem afferre nequeo, ea tantùm, vt vidi audiuíque, refero. Conſtituerat Traianus Euphratem facta foſſa in Tigrim deriuare, vt per eam naues ad pontem faciendũ duceret.

Hierapolis.

ceret. Sed vbi eum altiorē Tigri esse intellexit, mutauit cōsiliū, veritus, ne, si id faceret, Euphrates nauigari nō posset, quòd fluxus eius in decliuem partē ferretur. Itaque conuectis nauibus, quòd paruū spatium inter vtrunque flumen intercedebat (nam Euphrates totus in paludem fluit, indéque cum Tigri coniungitur) Tigrim traiicit, pòst Ctesiphontem ingreditur. Qua vrbe capta, Imperator appellatus est, confirmato Parthici cognomine. Multa ei decreuit Senatus, sed in primis, vt triūphos festósque dies ageret, quàm plurimos vellet. Postquam Ctesiphontē cepit, statuit mare rubrum traiicere. Sinus est maris Oceani, quem sinum Erythreum, ab Erythreo qui regnum illic tenuit, appellant. Messanam quoq; insulam Tigris, in qua Athambilus regnabat, nullo labore cepit, atque iis in locis propter vim hyemis, & rapidum Tigrim, æstúmque maris in magnum periculum venit. Qui vallum Topasini habitabant (nam ita ab incolis appellatur, erántque in ditione Athambili) Traianum amicè receperunt. Inde venit ad Oceanum: cuius cognita natura, in eóque viso nauigio, quòd cursum in Indiam tenebat, ita dixit. Ego quidem, inquit, si iuuenis essem, in Indiam traiicerem. De Indis enim cogitare cœpit, ac de rebus eius gentis curiosè quærere. Tum Alexandrum beatum dicere, nonnunquam tamen asserere, se longius progressum esse: ídque scripsit ad Senatum, cùm tamen ea quæ ceperat, tueri non posset. Cuius rei causa Senatus præter alia multa decreuit, vt triumphos quotquot vellet, ageret. Nam cùm Traianus tot gentes ab se superatas esse scriberet, Senatus eas neque cognoscere, neque nominare satis poterat. Itaque cùm alia multa, tum verò arcum triumphalem in foro ipsius ædificari iussit. Parabant ciues redeunti longius obuiam procedere: sed is nunquam in Vrbem reuersus est, neque, vt extrema principiis responderent, efficere potuit: ea enim quæ subegerat, amisit. Dum enim nauigat Oceanū, atque inde reuehitur, ea quæ ceperat omnia maximo tumultu defecerunt, præsidiis, quæ apud eas gentes reliquerat, deiectis cæsísque. Atque hæc ad Traianum, dum esset in naui, perferuntur: nauigabat autem adductus fama eorum quæ illic esse ferebantur, quæ tamen opinioni non responderūt. nihil enim vidit præter aggeres, fabulas, ruinas: itémque propter Alexandrum, cui etiam parentauit in his ædibus, in quibus mortem obierat. Igitur cognita defectione, Lusium & Maximum cōtra rebelles mittit. Maximus prælio superatus obiit. Lusius præclarè se gessit, recuperauítque Nisibin. Edessam

Mare rubrū.

expugnauit, direptámq; incẽdit. Seleucia ab Erycio Claro, & Iulio legatis capta & incensa est. Traianus metuẽs ne Parthi quoque aliquid molirentur, regem eis dare constituit. Itaque vt Ctesiphõtem venit, conuocatis in magnam planitiem Romanis omnibus, Parthísque qui tum aderant, excelsum tribunal conscendit. Ibi apud eos de rebus ab se gestis gloriatur: deinde Parthis regem Parthamaspatem designat, eíque diadema imponit. Inde profectus in Arabiam, adoritur Agarenos, qui & ipsi defecerant, quorum ciuitas neque magna est, nec diues, finitimáque regio magna ex parte deserta est, quòd in ea aquæ raro inueniantur, atque illæ parum salubres, quódque in ea ligni pabulíque magna sit penuria. Ex quo fit, vt ibi magna hominum multitudo diu esse nõ possit, tum verò ardentissimis caloribus, quibus exposita est, defenditur. Itaque eam neque Traianus tunc, neque postea Seuerus cepit, cùm tamen partem aliquam muri diruerint. Traianus quidem præmissis ad muros equitibus, qui graui damno affecti in castra reuerterunt, eósque ipse consecutus, quanquã vestem regiam deposuerat, ne ex ea agnosceretur, tamẽ vix vulnera effugit. Barbari enim canitiei dignitate, vultúsque grauitate animaduersa, rati Traianum esse, vt erat, non desinebant contra eum iaculari, equitémque, qui erat ei proximus, occiderunt. Ibi cælum tonitru contremuit, irides visæ sunt, fulgura, procellæ, turbines, fulmina in Romanos cadere, quoties in illos impetum facerent: cúmque cœnarẽt, muscæ in cibis & poculis omnem molestiam exhibere. Itaque Traianus inde proficiscitur, nec multo tempore pòst in morbum incidit. Interim Iudæi qui circum Cyrenem habitabant, Andrea quodam duce Romanos pariter atque Græcos concidunt, vescuntúrque eorum carnibus, eduntque viscera, tum oblinuntur eorum sanguine, & pellibus induũtur. Multos à vertice trãsfixêre medios, multos obiecêre bestiis, multos etiam certare inter se coëgerunt, ita vt interierint hominum ad ducenta viginti millia. Præterea in AEgypto Cypróque, Artemione duce Cypriorum cædes consimilis facta est, vbi desiderata sunt hominũ ducenta quadraginta millia. Ex quo fit, vt Iudæo in Cyprum venire non liceat: quòd si fortè vi tempestatis in insulam appulerit, interficitur. Sed Iudæi & ab aliis, & maximè à Lusio, quem Traianus miserat, subacti sunt. Traianus cogitabat iterũ exercitũ in Mesopotamiam traducere, sed ingraueíscente morbo, iter in Italiam cepit, AElio Adriano in Syria cum exercitu relicto. Itaque Romani capta Armenia, ac magna parte Meso-

Iudæorum motus.

Iudæo nó licet in Cyprum uenire.

potamiæ, ſuperatíſque Parthis, fruſtrà tot labores ſuſcepiſſe, tótque adiiſſe pericula viſi ſunt, propterea quòd Parthi Parthamaſpatem deteſtati, regi ſuis moribus cœperũt. Traianus morbi ſui cauſam venenum fuiſſe exiſtimauit: alii ſanguinem putant, qui dum ex inferioribus eius partibus quotannis profluere conſueuiſſet, tum ſiſti cœpit. Qua ex re Traianus ita obtorpuit, vt parte aliqua corporis ſenſum amiſerit: ſed omnino aqua intercute laborauit. Tandem perlatus Selenuntem vrbem Ciliciæ, quam nos Traianopolim appellamus, mortem ilico obiit. Regnauit annos decem & nouem, menſes VI. dies XV.

Adrianus.

ADRIANVS à Traiano adoptatus non eſt, erat autem municeps eius, fuerátque in eius curatione, ac cũ eo vinculis propinquitatis & affinitatis coniunctus erat: neptem enim eius in vxorem duxerat, degebátque cum eo omne tempus ætatis, ab eóq; Parthico bello Syriæ præfectus fuerat, à quo tamen nihil aliud præcipuum vnquam obtinuit. neque enim principio conſul factus eſt, ſed eum defuncto Traiano ſine liberis, Attiantius, qui municeps eius erat, curatórque fuerat, & Plotina, quæ amore ipſius capta erat, Imperatorem deſignauerunt, quòd adeſſet præſens, quódque magnas copias haberet. Apronianus enim pater meus, qui Ciliciæ præerat, quíque res eius omnes certò cognouerat, mihi ſingula recenſuit, atque illud in primis mortem Traiani per aliquot dies in occulto fuiſſe, vt adoptio procederet, ídque ex literis eius ad Senatum cognitum fuiſſe: quibus literis non ipſe, ſed Plotina ſubſcripſit, quod in alio factum fuerat nunquam. Erat Adrianus, quo die Imperator deſignatus eſt, Antiochiæ, quæ vrbs eſt metropolis Syriæ, cui præerat: pridie verò eius diei, cùm cælũ maximè ſerenum eſſet, viſum eſt ei in ſomnis ignẽ de cælo in ſiniſtram partem iuguli ipſius cadere, mox ſerpere in dexteram, quo igne neque perterritus, neque læſus eſſe ſibi videretur. Adrianus à Senatu petiit per literas, vt ſibi Imperium confirmaret, negauítque velle ſibi vllos vnquam honores decerni, vt erat antea conſuetudo, niſi eos ipſe à Senatu pe-

Apronianus Ciliciæ proconſul, pater Dionis.

reret. Traiani ossa in columna ipsius sepulta fuerunt,& spectacula quæ Parthica nominabantur, per multos annos celebrata sunt: postea verò, vt alia multa, in vsu esse desierunt. Adrianus quanquam fuit princeps humanissimus, tamen propter cædes quorundam bonorũ ciuium,quas & initio principatus,& paulò antè quàm moreretur, fecit, culpa nõ caruit, parúmque abfuit quin ob eam causam ne in heroum quidẽ numerum referretur. Ii,quos statim vt adeptus est principatum,interfici iussit,fuêre Palma,Celsus,Nigrinus,& Lusius, quòd insidias ei in venatione fecisse dicerentur: itémque alii potentissimi & præclarissimi viri ob alias causas occisi sunt: propter quos Adrianus,cùm vulgò murmurari intelligeret,non modò se purgare voluit, verùm etiam negauit interposito iureiurando eos iussu suo fuisse interfectos. Paulò verò antè quàm discederet è vita, Seuerianũ, Fuscúmque nepotem eius necari iussit. Adrianus,quod ad gentem pertinet, fuit Adriani Aphri filius, sed ingenio ad studia bonarum artium, & vtriusque linguæ prompto. Itaque nonnullos libros soluta oratione,& complures versibus scriptos reliquit (erat enim gloriæ & honoris cupidissimus) ob eámque causam cæteris vel minimis rebus operam dedit. Nam & statuas fecit,& tabulas pinxit: tum ea quæ in pace belloque gerãtur, quæque ad regem, priuatúmve pertineant, se profitebatur scire, multósque, propterea quòd in aliqua arte aut facultate excellerent, oppressit, multósque sustulit, cupiens scilicet ipse omnibus antecellere. Ea causa fuit, cur Fauorinum Gallum,ac Dionysium Milesium sophistas tollere conatus sit, dum sectatores eorum perderet. Dionysius quidem Heliodoro magistro Epistolarum Adriani ita ferebatur dixisse: Cæsar, inquit, tribuere tibi honores, & largiri pecuniam potest,oratorem verò facere non potest. Fauorinus autem cùm causam immunitatis, quam habere in patria volebat, apud Adrianum agere statuisset, veritúsque esset ne in eo iudicio superaretur, iniuriámque acciperet, postquam in ius venit, nihil dixit,quàm præceptorem suum ea nocte sibi in somnis astitisse, monuisséque ne in patria, in qua natus esset, obire publica munera grauaretur. Adrianus vtrique quanuis grauiter iratus erat, tamen ignoscendum putauit, propterea quòd idoneam causam ad mortem eis afferendam non habebat. Apollodorum verò architectum, qui forum & Odœum & gymnasium opera Traiani Romæ fecerat, primùm exilio, deinde etiam morte mulctauit, propter admissa scelera, sicuti dicebat: sed tamen ve-

Palma,Celsus, Nigrinus,Lusius.

Seuerianus.

Adriani patria.

Adrianus gloriæ cupidissimus.

Fauorinus Gallus.

Apollodorus architectus.

Forũ, Odœũ, & gymnasiũ Traiani.

ra cauſa fuit, quòd cùm Traianus cum illo quædam de his operibus communicaret, atque interim Adrianus ineptè, neſcio quid, diceret, ei Apollodorus ita reſpondit. Abi, inquit, & cucurbitas pinge: nam tu hæc quidem certè ignoras. Adrianus enim tum fortè tali pictura commendabatur. Itaque poſtquam Imperium adeptus eſt, memor veteris iniuriæ, licentiam, qua tum ille vſus fuerat, non pertulit, ſed formam templi Veneris, quod Romæ fecit, ad eum miſit, vt magnum opus abſque opera eius fieri poſſe oſtenderet. Tum quæſiuit ex eo, num id templum bene & ratione ædificatum eſſe videretur. Is reſcripſit altius ampliuſque multò fieri oportuiſſe, quò magis & propter altitudinẽ ipſius in viam ſacrã emineret, & propter amplitudinẽ machinas reciperet, quæ clàm in eo cõpactæ, de improuiſo in Theatrũ perducerẽtur. Porrò ſimulachra maiora facta eſſe dicebat, quã ratio altitudinis amplitudiniſq; tẽpli pateretur. Etenim, inquit, ſi deæ ſurgere, atq; inde exire voluerint, nõ poterũt. Quæ cùm Apollodorus apertè reſcripſiſſet, Adrianus ira incitatus, magnũ animo dolorem cepit, propterea quòd inciderat in eũ errorẽ, quem iã corrigere nõ poterat. Itaq; hæc res tantũ ei cruciatum dolorémq; attulit, vt illũ ob eã cauſam interfici iuſſerit. Cúmq; eſſet Adrianus tali ingenio præditus, Homerũ è medio tollere, atque Antimachũ, cuius ne nomẽ quidem antè à pleriſque cognitũ erat, pro eo introducere cogitabat. Quæ cùm in eo reprehenderentur, tum verò vitio ei dabatur, quòd nimis magnũ ſtudium in inueſtigatione rerũ poneret, quódq; homo verſutus & callidus eſſet. Hæc autem vitia leuiora faciebat, & cõpenſabat quodammodo ſedulitate, prouidẽtia, magnificentia, ſolertia: tum quòd nõ modò bellum nullum mouit, ſed etiam mota compoſuit, neque vllius bona per iniuriam proſcripſit, quódque multa populis, priuatíſque hominibus, multa etiam Senatoribus & equitibus largitus eſt. Nec enim expectabat, quouſque rogaretur, ſed agebat omnia, vt cuiuſque neceſſitas poſtulabat. Rem militarem diligenter exercuit: cúmque potens eſſet, nec pertinax, nec contumelioſus erat. Socias vrbes, atque ſubditas Imperio Romano, ex quibus multò plures, quàm vllus vnquam Imperator vidit, magnificè iuuit, eáſque aquis, portubus, frumento, operibus publicis, pecunia, honoribus, cæte íſque rebus auxit, atque ornauit. Populum verò Romanum aſperè magis, quàm blandè tractabat, cui roganti aliquid vehementius in iis ludis in quibus armis dimicabatur, non modò non conceſſit, ſed etiã iuſſit imperari illud

Cucurbitas pinge.

Homerũ abolere, & Antimachũ introducere cogitauerat.

Domitiani, Silete: quod verbum tamen non eſt à Præcone dictum. nam is cùm manum porrexiſſet, eſſetque ob eã cauſam ſilentium conſecutũ, vt eſt conſuetudo: vox enim præconis audiri ſolet magno ſilentio, Hoc verò, inquit, princeps vult. Qua ex re Adrianus non modò præconi iratus non eſt, ſed etiam eũ collaudauit, propterea quòd iuſſus ſeuerè imperata pronuntiare noluiſſet. Etenim ea quæ ſunt eius generis, ferebat æquiſſimo animo, neque ſuccenſebat vnquam, ſi qua in re præter opinionem vel à plebeis hominibus iuuaretur. Nam cùm ei mulier fortè occurriſſet in via, ab eóque vt ſe audiret, contenderet: quanquam primò ſibi eſſe otium negauit, tamen vbi mulier ita exclamare cœpit, Noli igitur regnare: conuerſus, libenter eam audiuit. Res verò maximas atque neceſſarias non gerebat, niſi interpoſita Senatus authoritate, dicebátque ius cum primis ciuitatis in Palatio, foro, & Pantheo: ſæpe etiam in aliis locis, pro tribunali, vt quæ fierent, omnia diuulgarentur. Nonnunquam aſſidebat conſulibus, cùm ius redderent, eóſque tanto afficiebat honore in ludis Circenſibus, vt ipſos domum reduceret. Vehebatur lectica, ne ei moleſti eſſent qui ipſum comitarentur. Cùm autem populus dies feſtos ageret, neque domi manebat, neque quenquam, ne familiarem quidem, niſi res accidiſſet neceſſaria, admittebat ſalutatum, vt ne perpetuis laboribus defatigaretur. Romæ ſemper & foris habere ſolebat apud ſe optimates viros, cum quibus verſabatur, quos cùm cõuiuas adhiberet, ſæpe quartus diſcumbebat. Venabatur, quoties accideret, prandebat ſine vino, cœnabat cũ omnibus primis & optimatibus: neq; aberat inter cœnandum varii ſermonis delectatio. Familiares ſuos ægrotantes inuiſere: cúmque dies feſtos celebrarent, ipſe intereſſe, eorúmque prædiis ac domibus libenter vti conſueuerat. Pleríſque eorum mortuis, nonnullis etiam viuis ſtatuas in foro poſuit. Neque tamen hi ob eam cauſam iniuriam cuiquã facere viſi ſunt, aut ea quæ ab ipſo dicerentur, fieréntve, habere vænalia, quod à Cæſarianis libertis, cæteríſq; qui aliquid apud principes poſſunt, fieri ſolet. Quæ cùm in ſumma de moribus Adriani dicta ſint, nunc plenius ſingula, quæ mihi memoria digna eſſe videbuntur, attingam. Igitur vt primùm Romam venit, quicquid fiſco ærarióve debebatur, remiſit, definito tẽpore annorum ſedecim, ex quo id beneficiũ collatum eſſe voluit. Præterea ſpectacula ſuo natali die populo gratis dedit, vbi ita magnus numerus beſtiarum cæſus eſt, vt ſimul leones centum, ac totidem leænæ confectæ fuerint. Dona in Theatro & Circo viris

atque mulieribus ſeparatim in ſphæris dedit. nam & ne mulieres cum viris lauarentur, vetuit. Quo anno hæc facta ſunt, Euphrates philoſophus obiit mortem voluntariam, cùm ei Adrianus propter ſenectutem & morbum venenum bibere conceſſiſſet. Poſt hæc Adrianus in alias ex aliis prouincias regioneſque & vrbes proficiſcitur viſendi cauſa. Hîc in primis cuiuſque arces & mœnia conſiderat, eorúmque partem tranſfert in loca magis idonea, partem diruit, ædificat, atque in ſumma omnia non modò quæ ad vniuerſum exercitum pertinent, arma dico, machinas, foſſas, muros, aggeres, ſed etiam qualis ſit cuiuſque & militum & ducum ipſorum vita, ſtatio, & mores, diligenter animaduertit. ibi mores indulgentia deprauatos corrigit, & ædificia, quæ benè extructa non erant, ſubuertit. Tum cœpit eos ad omne genus pugnæ exercere, atq; interim alios afficere honore, alios caſtigare verbis, poſtremò omnes ea quæ ſe facere oporteret, docere: atque vt milites haberent, vnde exemplũ peterent, ipſe duriter viuere, pedibus iter facere, aut in quáuis loca admiſſo equo proficiſci. nunquam enim vehicula aut quadrigas conſcendere: nullóque calore, nullo frigore, vt capite operto eſſet, adduci: nec enim vnquam aut propter niues Celticas, aut calores AEgyptios opertum caput habuit. Itaque vt vno verbo dicam, ita milites, quandiu principatum tenuit, rebus ipſis exercuit, inſtituítque præceptis, vt quæ tum ab illo conſtituta ſunt, ad hæc tempora vim legis atque diſciplinæ militaris obtineant. Quamobrem præſertim cùm pax eſſet, apud populos externos morabatur. Illi enim quòd eius apparatum viderent, quódque non modò nulla afficerentur iniuria, ſed etiam ab eo pecuniam acciperent, nihil moliebantur. Cúmque ita milites exercuiſſet, equitatus qui Batauus nominatus eſt, Danubium trãſiit armatus. Qua re animaduerſa, Barbari ita Romanos obſtupeſcere cœperunt, vt ad ſe reuerſi, ad cõponendas controuerſias, quæ inter ipſos erant, Adriano arbitro vterentur. In hac peregrinatione ædificauit Theatra in pleríſque ciuitatibus, inſtituítque certamina ſine regio apparatu aut magnificentia, quam niſi Romæ nunquam adhibuit. Patriam verò, quanquã ei magnos honores tribuit, ornauítque maximis muneribus, nunquam tamen inuiſit. Adrianum ſtudioſum venationis fuiſſe tradunt, in eáque humerum fregiſſe, & ob eandem crus penè mutilatum habuiſſe. Quamobrem vrbem quam ædificauit in Myſia, Adriani venationes appellauit. Nunquam tamen huius rei cauſa ea quæ ad principatum ſpectabant, prætermiſit.

Euphrates philoſophus.

Adrianus venationis ſtudioſus.

Magno autem argumento est, eum studio venandi delectatum fuisse, quòd Borystheni equo, quo libenter in venationibus vtebatur, mortuo monumentum ædificauit, erexítque columnam inscripto epigrammate. Ex quo mirandum non est, si Plotinæ vita functæ, cuius opera, quòd ab ea maximè amaretur, Imperiũ adeptus erat, amplissimos honores tribuit. Atratus enim per nouem dies fuit, eíque templum extruxit, & carmina de laudibus eius fecit: fuítque adeò agilis in venationibus, vt aprũ maximum vno ictu confecerit. Postquam venit in Græciam, spectauit mysteria. cúmque per Iudæam in AEgyptum venisset, parentauit Pompeio, de quo hunc versum fertur dixisse,

Borysthenes equus, quo Adrianus in uenationibus utebatur.

Τῷ ναοῖς βείθοντι πόσῃ σπάνις ἔπλετο τύμβου,

Ossa viri magni tenui quàm clausa sepulchro! Sepulchrúmque eius penè collapsum restituit. In AEgypto quoque ciuitatem instaurauit Antinoi nomine. Erat Antinous Cithynide ortus ciuitate Bithyniæ, quam ciuitatem etiam Claudianopolim appellamus. Hic Antinous cùm in delitiis eius fuisset, in AEgypto mortuus est, siue quòd in Nilum ceciderit, vt Adrianus scribit, siue quod immolatus, id quod verũ est, fuerit. Nam cùm Adrianus maximè curiosus esset, vt suprà dixi, tum verò diuinationibus vtebatur, & magicis artibus cuiusuis generis. Itaque Antinoum, qui vel ob amorem ipsius, vel ob aliam causam voluntariam mortem obierat (nam Adriano ad ea quæ parabat, opus erat animo eius qui voluntariam mortem oppeteret) tanto honore affecit, vt vrbẽ in eo loco in quo ille obiisset, restitutam, ex eo nominari voluerit, statuásque ei, vel potius simulachra in omni ferè orbe terrarum collocauerit. Sydus enim Antinoi ipse se dicebat videre: libentérque auscultabat eos qui dicerent, verè ex Antinoi animo stellam quæ tum primùm apparuisset, extitisse. Sed Adrianus ob hanc causam irridebatur. Cùm autem in vrbẽ Hierosolymam, quæ euersa fuerat, quámque AEliam Capitolinam appellauit, coloniam deduxisset, ac quo in loco templum Dei fuerat, alterum Ioui ædificari curauisset, magnum bellum & diuturnũ moueri cœpit, Iudæis grauiter ferentibus, quòd exteræ nationes in suam vrbem habitatum venissent, quódque in ea fieri externa sacra viderentur. Tamen cùm Adrianus in AEgyptum, ac rursum in Syriam aduentasset, quiescendum sibi esse putabant. Interim verò arma quæ ipsis erant à Romanis imperata, minus apta de industria fecerunt, vt cùm ea Romani reprobassent, ipsi eis vterentur. Pòst vbi Adrianus longè abesse visus est, palàm defecerũt: vtque aperto prælio

Adrianus historicus.

Magicis artibus utebatur Adrianus.

Iudæorum motus.

prælio non audebant cum Romanis periclitari, ita loca ſuæ regionis opportuna pabulo muniebãt & mœnibus, vt ad ea, ſi vrgeret neceſſitas, perfugerent: vtque ad ſe mutuò ſub terrã tranſeuntes laterent, vias ſubterraneas deſuper perforauerunt, quò ventum lumẽnque reciperent. Hos Romani primò nihili faciebant: ſed poſtquam totam Iudæam commotam eſſe, Iudæóſque omnes vbique gentium tumultuari, & conuentus facere intellexerunt, ac multa damna occultè apertéque Romanis inferre, cum iiſque complures alias gentes lucri cupiditate coniungi, ac ferè ob eam cauſam omnem orbem terrarum commoueri, Adrianus optimos quoſque duces aduerſum eos mittit, quorum primus fuit Iulius Seuerus, qui ex Britannia cui præerat, contra Iudæos miſſus eſt. Hic nulla ex parte eſt auſus apertè cum hoſtibus congredi, multitudine ipſorum atque deſperatione cognita, ſed eos ſeparatim magno militum ac tribunorum numero adortus, commeatu prohibuit, atque intercluſos, ſerius quidem, ſed minore cum periculo ita oppreſſit fregítque, vt pauci admodum euaſerint, & quinquaginta eorum arces munitiſſimæ, vicíque celeberrimi atque nobiliſſimi nongenti octoginta quinque funditus euerſi ſint. Cæſa ſunt in excurſionibus præliíſve hominum quingenta octoginta millia: eorum autem qui fame, morbo, & igni interierunt, infinita fuit multitudo, ita vt omnis penè Iudæa deſerta relicta fuerit. Id eis antè quàm bellum gereretur, fuerat denuntiatum ex eo, quòd monumentum Solomonis, quod illi ſumma reuerentia colunt, ſua ſponte diuiſum corruerat, quódque lupi & hyænæ multæ in vrbes eorum rugientes atque vlulantes introierant. Periere quoque ex Romanis complures in eo bello. Quamobrem Adrianus cùm ſcriberet ad Senatum, non eſt vſus illo exordio quo vti Imperatores conſueuerunt. SI VOS, LIBERIQVE VESTRI VALETIS, BENE EST, EGO QVIDEM ET EXERCITVS VALEMVS. Poſt hæc Seuerũ miſit in Bithyniam, vt ne prouincia prætore præfectóve iuſto ac prudente, dignitatéque prædito careret: nam hæc in illo erãt omnia. Is quidem ita ſe geſſit, réſque eorum priuatas atque publicas ita adminiſtrauit, vt nos ad hæc tempora memoriam eius crebris ſermonibus vſurpemus. Confecto ad hunc modum bello Iudaico, bellum Alanorum (hi ſunt Maſſagetæ) Pharaſmanes mouit, Mediámque vexata Armenia atque Cappadocia vaſtauit: pòſt Alani partim adducti Vologæſi muneribus, partim timore

Iulius Seuerus.

Monumentum Solomonis.

Nonnulla hîc ſcripta erant, in Græco exẽplari, quæ cũ ad Marcum pertinere ærtis de cauſis arbitraremur, illuc trãſtulimus, pag. 202.

Flauii Arriani, qui Cappadociæ præerat, conquieuerunt. Eodem tempore Adrianus templum Iouis Olympii, in quo ipſius quoque ſtatua poſita fuit, Athenis ædificauit, iuſſítque in eo draconem allatum ex India collocari, ac Dionyſia defunctus maximo apud eos magiſtratu, patriáque veſte indutus, magnificè celebrauit. Templum ſuum quod Πανέλληνον vocant, Græcis vt ædificarent, permiſit, propter quod inſtituit certamina, magnámque pecuniam, & frumentum annuum, omnémque Cephaloniam Athenienſibus dedit. Multas leges ſanxit, ſed præſertim vt ne ſenator per ſe, néve per alium vectigalia conduceret. Poſtquam Romam venit, ac fortè in ſpectaculo populus ab eo magnis clamoribus contendit, vt cuidam aurigæ libertatem daret, negauit ſe facturum, ſcripſítque in tabella, non decere populum Romanũ ab ſe petere, vt aut ipſe alienum ſeruum donaret libertate, aut vt dominum ad id faciendum compelleret. Vt autem ægrotare cœpit, quòd ſanguis qui per nares eius effundi antea conſueuerat, tum copioſè effluxit, vitam deſperauit: ob eámque cauſam Lucium Commodum, quamuis ipſe quoque ſanguinem euomeret, Cæſarem Romanis deſignauit. Seuerianum verò, eiúſque nepotem Fuſcum, qui id factum grauiter ferebant, interfici iuſſit: illum nonaginta, hunc decem & octo annos natum. Seuerianus antequam iugularetur, ignem popoſcit: deinde incenſo thure, Vos, inquit, dii immortales, quos habeo innocentiæ meæ teſtes, hoc vnum rogo, vt Adrianus quamuis mortem obire percupiat, tamen non poſſit. Et ſanè Adrianus cùm ſæpe mori optaret, ac ſibi manus afferre vellet, diutiſſimè ægrotauit: extátque eius epiſtola, in qua oſtenditur, quàm miſerum ſit cupientem mori non poſſe. Hunc Seuerianum Traianus principatu dignum exiſtimauerat. Nam cùm in cõuiuio petiiſſet ab amicis, vt decem viros dignos principatu nominarent, paulùm ſubſtitit: deinde nouem, inquit, ex vobis audire cupio: ego enim vnum, nempe Seuerianum habeo. Fuêre illis temporibus optimi viri, quorum celeberrimi erant Turbo & Similis, qui fortitudinis ergo magnos honores conſecuti ſunt. Turbo vir rei militaris peritiſſimus præfectus prætorio fuit, nihílque vnquam molliter facere aut inſolenter eſt viſus. viuebat enim tanquam vnus è multis, quamuis totum diem moraretur cum principe, eúmque ſæpe adiret ante mediam noctem, quando cæteri dormire inciperent. Fuit & Cornelius Fronto magnæ authoritatis, qui in agendis cauſis Romæ primum locum obtinebat. Hic cùm veſperi à cœ-

Seuerianus.

Fuſcus nepos Seueriani.

Epiſtola Adriani.

Turbo.

Cornelius Fronto.

na ſerò domum rediiſſet, intellexiſſétque ex eo cui patrocinium pollicitus erat, principem ius reddere, veſte cœnatoria indutus, vt erat, in ius venit, eúmque ſalutauit, non verbo Salue, quæ matutina eſt ſalutatio, ſed Vale, quæ veſpertina eſt, vſus. Turbo autem nunquam interdiu ne ægrotus quidem domi viſus eſt. Nam & Adriano conſulenti ſibi vt quieſceret, reſpondit, præfectum ſtantem mori oportere. Similis verò, cùm eos ætate & honore anteiret, nemini, vt ego quidem arbitror, moribus & virtute ſecundus erat: ídque licet ex re perexigua cognoſcere. Nam cùm Centurio eſſet, eúmque Traianus antequam præfectos aduocauiſſet, Turpe eſt, inquit, tibi Cæſar cum Centurione remotis præfectis diſſerere. Is deinde præfecturã Prætorianorum inuitus obiit, qua poſtea ſe ipſe abdicauit, ac vix tãdem dimiſſus, ruri reliquos ſeptem vitæ annos conquieuit, ſuóque ſepulchro moriẽs inſcribi iuſſit hæc verba: HIC IACET SIMILIS, CVIVS AETAS MVLTORVM ANNORVM FVIT, IPSE SEPTEM DVNTAXAT ANNOS VIXIT. Adrianus autem ingenti effuſione ſanguinis contabuit, atque ob eam cauſam aqua intercute laborauit. Itaque poſtquam accidit Lucium Commodum magna quoque effuſione ſanguinis ſubitò extingui, domum conuocauit principes Senatorii ordinis, iíſque decumbens in lecto ait. Mihi quidem, chariſſimi viri, natura filium non dedit, vos verò lege dediſtis. Multum autem intereſt, naſcatur, an adoptetur filius, propterea quòd is qui naſcitur, talis eſt, qualẽ eum dii immortales eſſe voluerunt: eum verò qui adoptatur, vnuſquiſque ſibi deligit. ex quo fit vt ille ſæpe naſcatur mutilus & demens: hic, quòd certo iudicio fit, integer & ſanæ mentis deligatur. Quamobrem ego antea Lucium Cõmodum vnum ex omnibus delegeram, qualem ne naſci quidem mihi optare potui. Sed cùm eum mortis fata peremerint, alterũ pro illo vobis inueni: eúmque vobis do nobilem, mitem, manſuetum, prudentem, qui nihil temere propter iuuentutem, nihil propter ſenectutem negligenter poteſt facere: vixit enim ſemper legibus, fuítque cum Imperio moribus & inſtitutis patriæ, vt neque ea quæ ad Imperatorem ſpectant, ignoret, neque iis omnibus malè vti poſſit. Hunc dico Aurelium Antoninum, quem etſi intelligo difficillimè moleſtis negotiis implicari, abeſſéque longiſſimè ab hac imperandi cupiditate, tamen non diffido eundem curam habiturum mei, veſtríque, & principatum inuitum recepturum. Ita Antonius Imperator factus eſt, qui cùm mares liberos non ſuſ-

Salue, matutina ſalutatio.
Vale, veſpertina.
Χαῖρε, Ὑγίαινε
Similis vir memorabilis.
Oratio Adriani ægroti.
Aurelius Antoninus Adriani filius adoptiuus.

cepiſſet, Commodum Commodi filium, ac deinde Marcũ Antoninum Verum ſibi adoptauit, quòd vellet longo tempore antè futuros principes deſignare. Marcus quidem Antoninus Catilius antea appellabatur, filius Annii Veri, qui tertiùm conſul, ac tribunus militum fuerat. Sed Antoninus iuſſus erat ab Adriano vtrunque adoptare. Verum tamen maiore honore affecit, cùm propter ius ſanguinis, tum quòd eum iam florentem ætate & ingenio cognoſceret: quem etam ob eam cauſam facetè Veriſſimum nominabat. Interim Adrianus aquam intercutem curauit Magicis artibus, qua tamen iterum nec ita multò pòſt laborauit. quæ cùm magis ac magis augeretur, atque ipſe quotidie mortem quodammodo obiret, vehementer cupiebat è vita diſcedere, poſtulabátque ſæpenumero venenum, aut gladiũ, quæ tamen à nemine impetrabat. Itaque poſtquã ei licet pecuniam & ſecuritatem pollicenti nemo paret, accerſi iubet Maſtorem, hominem barbarum, Iazygem natione, quo ſeruo in venationibus propter eius vires & audaciam vſus fuerat, eúmque partim minis, partim pollicitationibus cogit promittere, vt ſe interficiat: dein ei locum ſub mamma ab Hermogene medico commonſtratum deſignat, oblinítque, vt ſecundum eum locum accepto mortifero vulnere, minore ſuo dolore moreretur. Quod cùm ei minus ſucceſſiſſet (nam Maſtor timore rei perterritus aufugit) tùm verò flere & lamentari cœpit, non tam morbi cauſa, quàm quòd non poſſet mortem ſibi conſciſcere, quam adhuc aliis afferre poſſet. tandem contempta diæta, vſúſque cibo & potu minus idoneo, mortuus eſt, moriénſque exclamauit illud peruulgatum, Πολλοὶ ἰατροὶ βασιλέα ἀπώλεσαν, MVLTI MEDICI REGEM SVSTVLERVNT. Vixit annos LXII. menſes V. dies XIX. Regnauit annos viginti, menſes vndecim. Sepultus eſt iuxta flumen, ad pontem AElium, vbi monumentum fecerat, propterea quòd Mauſoleum plenum erat, in quo nemo amplius ſepultus eſt. Adrianus in odium venit propter nefarias & indignas cædes, quas initio & ſub finem principatus fecit: alioqui ad cædes procliuis non erat. Magno argumento eſt, quòd cùm eum aliquando nonnulli offendiſſent, ſatis eſſe dixit, ſi de iis in patriam ipſorum ſcriberetur, illos ſibi nequaquam placere: tum quoties rei facti erant ii qui liberos habebant, pœnam eorum minuebat pro numero liberorum.

Pons AElius.

Antoninus Pius.

SCIENDVM est autem acta Antonini Pii non inueniri in exemplaribus Dionis, vt verisimile sit aliquid ex eis periisse. Itaque omnis ferè de Antonino historia ignoratur, tantùm inuenitur eum Lucio Cõmodo, quem Adrianus adoptauerat, ante Adrianũ extincto, ab eodem Adriano adoptatum, & Imperatorem factũ esse: itémque nolẽte Senatu heroicos honores tribui Adriano vita functo propter aliquot cædes virorum illustrium, quas fecerat, multa flentem lamentantémque in Senatu disseruisse, atque ita ad extremum dixisse, Igitur, inquit, nec ipse princeps vester ero, si ille improbus inimicúsque vobis atque hostis fuit: nimirum enim omnia acta eius, in quibus est adoptio mea, rescindetis. Itaque Senatum, cũ hæc audiuisset, reuerentem Antoninum, metuentémque milites Adriano honores reddidisse. Hæc quidem de Antonino apud Dionem tantummodo supersunt: tum etiam eum Augustum, Piúmque esse appellatum à Senatu, propterea quòd initio principatus sui multis reis factis, postulatísque nonnullis nominatim ad supplicium, neminem puniuit. Non enim, inquit, me oportet ab his rebus principatus exordium facere. Principio quoque historiæ Marci Veri, qui post Antoninum Imperator fuit, desunt ea quæ hîc erga Lucium Commodi filium, quem Marcus generũ habuit, quæque Lucius missus à Socero in bellum, quod cum Vologæso gerebatur, fecit. Quocirca pauca antè dicã de iis rebus quæ ex aliorum libris collegi: pòst ad ea quæ in Dione sequuntur, trãsibo. Igitur constat inter omnes Antoninum probum virum & bonũ fuisse: nec enim cæteris subditis grauis, nec Christianis infensus fuit, quos vehemẽter obseruauit, & coluit, ac honori, quo Adrian⁹ Christianos prosequebatur, accessionẽ fecit. Ponũtur enim ab Eusebio Pãphili in historia ecclesiastica epistolæ quædã Adriani, quib⁹ ostẽditur illũ grauiter minari iis qui Christianis molestiã exhiberẽt, quíve illos deferrent, iurátq; Herculẽ, se in eos esse animaduersurũ. Fertur Antonin⁹ curiosus fuisse, posuisséque maximã diligentiam in minimis quibusque rebus inda-

Antonínus fauebat Christianis.

gandis : quem qui irriderent, idcirco Κυμινοπρίστην, id eſt, Cumini ſectorem appellabãt. Eundem ſenem obiiſſe Quadratus ſcribit, eíque fuiſſe mortem dulciſſimam, ſimilémque ſõmno iucundiſſimo. Ferunt ſub Antonino in Bithynia, atque in Helleſponto valde horribilem terræmotum eſſe factũ, eáque de cauſa complures alias ciuitates laboraſſe vehementer, & Cyzicum funditus concidiſſe, eiuſque vrbis templum maximum omniũ atque pulcherrimũ corruiſſe. Erant columnæ eius templi craſſitudine quatuor vlnarum, altitudine cubitorum L. ſingulæ ex ſingulis lapidibus : cætera quæ in eo templa erant ſingula, plus admirationis, quàm laudis habuerunt. Præterea ferunt è mari mediterraneo fluctum in culmen montis longo interuallo diſiunctum perueniſſe, proieciſſéque ſpumam longiſſimè in continentem limpido ac tranquillo mari. Ac de rebus quidem Antonini hæc habui quæ dicerem. Regnauit annos quatuor & XX.

Terræmotus.

Cyzicum.

Columnæ maximæ.

Marcus Antoninus
PHILOSOPHVS.

POSTEAQVAM Marcus Antonin' mortuo Antonino, à quo fuerat adoptatus, principatum adeptus eſt, ſtatim ſocium & participẽ Imperii cepit Lucium Verum, Lucii Commodi filium, eò quòd ipſe erat imbecillis, deditúſque ſtudiis literarum. Ferunt enim non erubuiſſe eum, cùm eſſet Imperator, nec puduiſſe vnquam ad doctorem proficiſci, ſed adiiſſe crebrò Sextum Bœotum philoſophum, & ad audiendos Hermogenis rhetoricorum libros libenter veniſſe, atque in primis Stoicorum præcepta ſecutum eſſe. Lucius verò robuſtus & adoleſcens erat, tum etiam ad rem militarem aptior. Huic Marcus Lucillam filiam ſuam in matrimonium dedit, generúmque factum ad bellum cum Parthis gerendũ miſit, quòd Vologæſus prior bellum intulerat, quódque omnem exercitum Romanum collocatum à Seueriano ad Elegiam quæ eſt in Armenia, atque intercluſum vndique vnà cũ ipſis ducibus, telis confecerat atque perdiderat, ob eámque cau-

Sextus Bœotus philoſophus.

Lucilla Marci filia.

Vologæſus rex Parthorum.

ſam ciuitatibus Syriæ valde formidoloſus erat. Lucius vt venit Antiochiam, comparato maximo militum numero, & optimis ducibus delectis, ipſe in oppido remanſit, vt inde conſtitueret omnia, & commeatum militibus compararet, Caſſio exercitu permiſſo. Caſſius adorientem ſe Vologæſum fortiter ſuſtinuit, deſertúmque tandem à ſociis ac terga vertentem inſecutus, Seleuciam & Cteſiphontem venit: deinde vaſtata Seleucia atque incenſa, regias Vologæſi, quæ in vrbe Cteſiphonte erãt, ſolo æquauit. Cùm autem reuerteretur, magnum numerum militum amiſit, qui partim fame enecti, partim morbo extincti ſunt, rediítque in Syriam cum reliquis militibus. His de rebus quanquam maximè gloriabatur Lucius, tamen ei fortuna ad extremum non fauit, quòd aliquanto tempore pòſt Marco ſocero ſuo inſidias paraſſe dicitur, eſſéque veneno ſublatus antè quàm negotium confieret. Marcus Caſſium toti Aſiæ præeſſe iuſſit: ipſe Barbaris qui circũ Iſtrum ſunt, Iazigibus & Marcobanis, nunc his, nunc illis continenter, quandiu vixit, bella intulit: quibus in bellis Pæonia fuit ei receptaculum. Eodem tẽpore Celtæ, qui trans Rhenum incolunt, venêre vſque in Italiam, attuleréque Romanis maxima ac grauiſſima incommoda, quibus Marcus occurrit, Pompeiano atque Pertinace legatis exercitus factis. quo in bello optimè ſe geſſit Pertinax, qui poſtea Imperator factus eſt. Inter cadauera Barbarorum, corpora mulierum armata reperta ſunt. Confecto maximo prælio, partáque inſigni victoria, Imperator cùm rogatus eſſet à militibus pecuniã, tamẽ non dedit: quòd diceret, ſi quid plus quàm eſſet conſtitutum, acciperent, id ex ſanguine parentum ipſorum propinquorúmque exactum iri. Principis enim ſolum deum iudicem eſſe poſſe. Adeò enim temperans & continens erat in Imperio, vt cùm tot tantáque bella gereret, nihil faceret contrà quàm fas eſſet, aſſentationis aut timoris cauſa. Cùm autem Marcomanis in aliquo prælio bene ſucceſſiſſet, ab iſſque Marcus Vindex præfect⁹ interfectus eſſet, tres ei ſtatuas poſuit: illis verò ſuperatis, Germanicus appellatus eſt. Germanos enim eos qui in ſuperioribus locis habitant, appellamus. Ad hæc motus eorum qui Bucoli in AEgypto dicuntur, factus eſt, cæteris AEgyptiis à ſacerdote quodam & Iſidoro ad defectionem ſolicitatis. Hi enim primò ornati muliebri veſtitu, ſimulanteſque ſe vxores Buculorum eſſe, Romanóque Centurioni aurum pro viris ſuis daturas, eum accedentem ad ſe doloſè interfecerunt, mactatóque eius comite coniurauerunt in viſceribus eius, quæ etiam ad ex-

Caſſius.

Mulieres præliabantur.

Solus deus iudex eſt Principis.

Bucoli.

tremũ cõmederunt. Hic Iſidorus fortitudine omnibus hominibus ſuæ ætatis antecelluit. Cúmque viciſſent Romanos in AEgypto, penè cepiſſent Alexandriã, niſi Caſſius dux è Syria aduerſum eos miſſus, diſcordiã ſeditionémque ita inter ipſos concitauiſſet, vt à ſe ipſi diſtraherentur. Nam propter eorum deſperationem atque multitudinem Romani non ſunt auſi cum eis aperto prælio congredi, ſed eos Caſſius tumultuantes oppreſſit. In bello autem quod Marcus cum Germanis gerebat, vt hæc quoque memoria digna ſint, quidam adoleſcentulus ſeruus Marco neſcio quid interroganti ita ait, Præ frigore, inquit, non poſſum tibi reſpõdere: quamobrem ſi quid ex me vis cognoſcere, iube mihi veſtem, ſi quam habes, dari. Præterea miles quidã cùm eſſet noctu in Danubii cuſtodia, audirétque trans flumen clamorem captorum militum, ſtatim, vt erat, enatauit: & cùm liberaſſet captos, reuertit. Erat Marco Rufus Baſæus præfectus prætorio, vir bonus, ſed propter ruſticitatem ignarus literarum. puer enim in paupertate educatus fuerat. Hunc fortè cædentem arbores in ſylua quidam offendit, eúmque, quòd primo iuſſu non deſcenderat, increpauit his verbis. Præfecte deſcende. Idque propterea viſus eſt dicere, quòd ex humili loco natus, clarus euaſiſſet, quódque eſſet futurum, ſicut euenit poſtea, vt eundem fortuna deprimeret. Imperator autem quoties bellis non impediebatur, ſolebat ius reddere, iuberéque multos modios aquæ oratoribus dari. In cauſis autẽ diligenter cognoſcendis atque examinandis paulò longior eſſe, vt vndecunque ius inueſtigaret. nam de eadem cauſa dies XI, & ſæpe XII etiam noctu cognouit. Cùm enim eſſet amans laboris, tum verò diligenter applicabat animum ad omnia quæ ad principatũ pertinerent. Nihil dicere ſolebat, nihil ſcribere aut facere negligenter, ſed vel in minimis rebus diem ſæpenumero conſumere, quòd exiſtimaret non decere Imperatorem properè quicquam agere. Si quid enim prætermiſiſſet vel in minimis rebus, non putabat ſe poſſe in cæteris calumniam effugere. Et tamen erat valetudine vſque adeò infirma, vt frigus principiò perferre nõ poſſet, congregatíſq; militibus, vt ipſe imperauiſſet, priuſquam cum eis colloqueretur, ſecederet paululum, ac modico cibo, ídque noctu, ſemper vteretur. Nihil enim capiebat interdiu præter medicamentum, quod Theriacum appellant: quod pharmacum non tam ſumebat timoris cauſa, quàm quòd erat infirmo ſtomacho & pectore, vt eum ob hanc cauſam huic rei, & cæteris potuiſſe ſufficere arbitrentur. Eo tempore tandẽ Romani

Hæc uſque ad pag. ſequentẽ lim. 22. ſcripta erant in Adriano.

Theriacũ ſumebat Marcus.

mani Iazygas vicêre primùm in terra, pòst etiam in flumine, non quòd nauale prælium factum sit, sed quòd conglaciato Danubio fugientes consecuti in eo perinde atque in cõtinente pugnauerunt. Nam Iazyges cùm Romanos se ponè sequi intelligerent, sperarèntque facilè se posse eos conficere, quòd glaciei essent insueti, impetum sustinendum putauerunt. Hos Romani à fronte adoriuntur, illi à lateribus irruunt, quòd eorum equi in huiusmodi glacie currere tutò didicerãt. Qua re animaduersa, Romani nihilo magis timẽt, sed conuersi, aduersíque facti hostibus, magna pars scuta deponũt, atque quò minus cadãt, in iis alterum pedem firmant. Hoc pacto eorum impetum primò sustinent, pòst frænis equorũ, scutísque receptis & pilis, eos ad se trahunt, atque ita implicatos homines equósque pariter deiiciunt. nec enim poterant in lubrico loco viribus nostrorum resistere: quanquam enim etiam Romani cadebant, tamen siue quis eorum caderet supinus, hostem pedibus trahebat, atque, vt in lucta fieri solet, ita retrò proiiciebat, vt eo superior esset: siue pronus caderet, hostem, qui antè ceciderat, carpebat dentibus. Nam Barbari ignari & rudes pugnæ huius generis, quódque leuioris erant armaturæ, resistere minus poterant. Ex quo factum est vt pauci de multis effugerint. Igitur Marcus multis magnísque prælis factis, aditísque periculis, Marcomanos & Iazygas subegit. Post hæc prælium acre, bellúmque magnum cum iis qui Quadi appellantur, fuit: quo ex bello victoria præter spem, vel potius Dei beneficio consecuta est, propterea quòd Romani, cùm essent in prælio, atque in maximum periculum veniissent, mirabiliter sanè ac diuinitus conseruati sunt. Cùm enim intercluſi à Quadis in locis opportunis conferti pugnarent fortiter, atque interim Barbari differrẽt prælium, sperantes eos calore & siti perituros, quos circùm occupatis locis omnibus sic concluserãt: erant enim multo plures, vt aquam habere nullo pacto possent. Cúmque Romani in tantas difficultates incurrissent, vt morbo, vulneribus, ardore solis, ac siti vexarentur, nec ob eas res pugnare possent, aut aliò secedere, sed in acie stantes, atque in locis cõstitutis arderẽt, nubes de repente ita coactæ sunt, vt maximus imber aquæ ceciderit non sine Dei beneficio. Fama est Arnuphin Magum AEgyptiũ, qui vnà cum Marco erat, Mercurium illum qui est in aëre, aliósque dæmonas quibusdã artibus Magicis inuocauisse, ac per eos pluuiam extorsisse. Hæc quidem à Dione dicuntur, sed is mihi mentiri videtur, volens an inuitus, nescio: volentẽ magis

Pugnatur in Danubio conglaciato.

Quadi.

Arnuphis.

arbitror, cùm non ignoret legionem militum, quæ Κεραυνοφόρος appellatur proprio nomine (eius enim mentionem facit in Catalogo cæterorum militum) ex nulla alia cauſa (neque enim alia circumfertur) quàm ex ea quæ in eo bello accidit, id nomen accepiſſe: quæ cauſa etiam tunc Romanis ſaluti, barbaris exitio fuit. Non enim Arnuphis Magus erat, cùm nuſquam memoriæ proditum ſit Marcum Magorum ſocietate, aut præſtigiis fuiſſe delectatum. Quod igitur in hac re dico, tale eſt. Cùm Marcus legionem vnam haberet ex militibus, Melitenes (hi omnes Chriſtum colunt) ad eum præfectus prætorianorũ venit, neſcientem in illo prælio, quid conſilii caperet, timentémque toti exercitui, eíque fertur dixiſſe, nihil eſſe, quod ii qui Chriſtiani nominantur, precibus impetrare non poſſint, eſſéque legionem vnam in exercitu hominum huius generis. Qua re cognita, Marcum ab iis petiiſſe, vt Deo ſuo ſupplicarent. Quod cùm feciſſent, Deum eos exaudiſſe ſubitò, percuſſiſſéque hoſtes fulmine, ac Romanos pluuia recreaſſe: his rebus Marcũ vehementer obſtupefactum, edicto Chriſtianos honore affeciſſe, ipſámque legionem Κεραυνοφόρον appellaſſe: atque his de rebus epiſtola Marci extare dicitur. Græci quidem ſciunt eam legionem Κεραυνοβόλον appellari, eiúſque rei teſtes ſunt: cauſam verò cur ita appellata ſit, nõ dicunt. Dion addit, Romanos cùm primùm pluuia caderet, omnes ſuſpexiſſe in cælum, eámque in ora recepiſſe: deinde ſcutis galeíſque ſubiectis inde ſorbſiſſe largiter, equíſque ad bibendum dediſſe: cúmque Barbari in ipſos impetum facerent, bibentes ſimul pugnaſſe, compluréſque ſaucios ſanguinem infuſum in galeas, ſimul cum aqua abſorbuiſſe. Hi propterea grauia damna accepiſſent vrgentibus hoſtibus, quòd magna ex parte in bibendo erant occupati, niſi vehemens grando, compluráque fulmina in hoſtes cecidiſſent. Itaque licebat videre in eodem loco aquam ignémque ſimul de cælo cadere, atque ob eam cauſam valere alios & bibere, exuríque alios, ac prorſus interire. Non enim ignis attingebat Romanos: quòd ſi fortè interdum cum eis miſceretur, extinguebatur ſubitò: neque imber iuuabat Barbaros, ſed eos non ſecus inflammabat atque oleum, ita vt aquam requirerent pluuia perfuſi, infligeréntque ſibi vulnera, quò ignem ſanguine reſtinguerent. Pars confugiebat ad Romanos, quaſi illis tantummodo aqua ſalutaris eſſet: ſed eorum Marcus miſertus eſt, eóque facto à militibus ſeptimùm Imperator appellatur. Quod etſi admittere non cõſueuerat, prius quàm eſſet decretum à Senatu, tamẽ

Legio Chriſtianorum Κεραυνοφόρος appellata.

nō repudiauit,quaſi id diuinitus acciperet: de quo etiam ad Senatum ſcripſit. Fauſtina quoque mater exercituū appellata eſt. *Fauſtina mater exercituū.* Pertinax autem ob res præclarè geſtas conſul eſt factus, cuius cauſa multi indignati ſunt, propterea quòd erat obſcuro loco *Pertinax.* natus,canebántque illud tragicum,

Τοιαῦτ' ὁ θλήμων πόλεμος ἐξεργάζεται, Talia infœlix bellum efficit, videlicet ignorantes eundem principem Romanum fore. Cùm autem Caſſius res nouas moliretur in Syria,Marcus vehemẽter perterritus, Commodum filium(is iam ephebus erat) accerſi ex Vrbe iubet.Erat Caſſius Syrus ex Cyri regione vir o- *Caſſius.* ptimus, qualem Imperatorem habere eſſet optabile, niſi quòd erat filius cuiuſdam Heliodori, qui propter multam rhetorices artis ſcientiam,ad præfecturam AEgypti peruenerat.Id facinus graue Caſſius fecit, deceptus à Fauſtina,quæ cùm virum ſuum *Fauſtina.* imbecillum eſſe animaduerteret(ea erat Antonini Pii filia)ſperarétque breui tempore moriturum,timuit ne ſi principatus ad alium deueniret,quòd Commodus adoleſcens erat, & ſtolidus quodammodo,ipſa priuatam vitā agere cogeretur.Itaque Caſſio ſecretò perſuaſit,vt ſe compararet,quò,ſi quid Antonino accidiſſet,ipſum ſimul cum Imperio caperet.Hæc dum ſecū Caſſius reputat, nuntius de interitu Marci perfertur,vt ſolent iſta ſemper in deteriorem partem diuulgari. Quamobrem ſtatim affectauit Imperium, nulla adhibita maiore diligentia in veri cognitione,quippe qui fuiſſet antè ab exercitu qui tum erat in Pannonia,Imperator deſignatus. Et quanquam non ita multò pòſt verum reſciuit,tamen quòd ſemel motum fecerat,de ſententia decedendum ſibi eſſe non putauit, ſed omnia quæ intra Taurum erant, cepit breui temporis ſpatio, & ſibi Imperiū armis comparare ſtatuit.Marcus cognita Caſſii rebellione per Verum qui Cappadociam obtinebat, primò rem diſſimulat, cælátque: pòſt vbi milites perlato rumore commoueri vehementer cœperūt,ac multa colloqui,eos conuocari iubet,atque apud ipſos pauca in hanc ſententiam exponit. Etſi, inquit, huc veni *Oratio Marci* commilitones non ſuccenſendi aut lamentandi cauſa(cur enim *ad milites.* Deo ſuccenſere oportet, in cuius poteſtate ſunt omnia?) tamen eos qui meritò infœlices ſunt, aduerſam fortunam lamentari neceſſe eſt: quod mihi euenit hoc tempore. Quàm enim graue eſt & moleſtum bella nobis ex bellis exiſtere ? quàm porrò calamitoſum cum eo confligere qui eiuſdem gentis ſit? quàm verò vtroque grauius eſt,atque calamitoſius, fidem in hominibus nullam eſſe,fieríque mihi inſidias ab homine amiciſſimo, mé-

que inuitum nulla facta iniuria, nullóque commisso delicto in certamen venire? Quæ virtus vnquam tuta, aut quæ amicitia firma existimabitur, si mihi hæc facta est iniuria? nonne fides, nonne spes omnis amissa est? Quòd si meum tãtum esset periculum, nihili certè facerem, nec enim natus sum immortalis: nunc autem cùm publica facta sit defectio, vel rebellio potius, bellúmque ad nos omnes pariter pertineat, vellem, si fieri vllo modo posset, euocare Cassiũ, cum eóque apud vos, aut apud Senatũ iure contẽdere: tum enim ego nullo prælio facto Imperiũ ei libenter cederem, si ita publicæ vtilitati conducere videretur. Etenim pro republica perpetuos labores sustineo, qui tãdiu hîc longè ab Italia cõmoratus sum, homo iam senex & imbecillis, vt neque cibũ suauem, neque somnũ vacuum curis possim capere. Sed quoniam Cassius mecũ nollet in hac causa conuenire, (quo pacto enim mihi credat is, qui mihi tam infidus fuerit) vos oportet commilitones forti animo esse: nec enim Cilices, Syri, Iudæi, AEgyptii vobis fuerunt vnquam, aut erunt potiores: non si millies, quanto nũc pauciores sunt, quàm vos, tãto plures cõgregẽtur. Sed neque Cassii ipsius, quanquã videtur esse optimus Imperator, multáque prosperè gessisse, ratio vlla haberi debet. Non enim aquila gallulorum dux, aut leo hinnulorum aptus esse ad bellum gerendum potest. Iam verò illud Parthicum & Arabicum bellum non Cassius, sed vos confeciſtis. Quòd si ille præsertim ex rebus contra Parthos gestis habet gloriam, vos quoque Verum habetis non modò non inferiorem illo, sed multò etiam potiorem, à quo longè plura bello victa & parta sunt. Quinetiam iam illum pœnitere fortasse cœpit, quòd me viuere intelligit: nunquam enim id nisi mortuo me feciſset. Quòd si manet adhuc in proposito, susceptóque consilio, tamen cùm profectionem nostram intellexerit, omnino resipiscet: vos enim metuet, me reuerebitur. Itaque tantùm illud vereor commilitones (licet enim apud vos verum dicere) ne aut ipse manus sibi afferat, quòd pudore scilicet adductus non audebit in conspectum nostrum venire, aut alius cognito aduentu meo, quòd contra illum proficiscar, id faciat. Mihi enim permagnum præmium belli atque victoriæ, quantum vnquam accepit nemo, auferet. Quod verò præmium dicet aliquis? homini qui iniuriam fecerit, ignoscere: eíque qui amicitiam fidémque violauerit, amicum & fidelem permanere. Quæ etsi vobis fortasse videntur esse incredibilia, tamen ea vobis oportet persuaderi. non enim bona omnia ex homini-

bus prorſus exterminata ſunt, ſed ſunt adhuc apud nos antiquæ virtutis reliquiæ. Quòd ſi quis mihi fidem non habeat, tanto cupio vehementius ea quæ videntur fieri non poſſe, facta ante oculos omnium ponere. Hæc enim ſola mihi ex malis præſentibus foret vtilitas, ſi poſſem re optimè confecta oſtendere cunctis hominibus, nos quoque bellis ciuilibus bene vti poſſe. Hæc Marcus & apud milites concionatus eſt, & ad Senatum ſcripſit, nihil Caſſium criminatus, niſi quòd illum crebrò ingratum vocabat. Caſſius quoque de Marco nihil vnquam dixit contumelioſè, aut ſcripſit. Dum Marcus ſe ad bellum ciuile comparat, multæ ei victoriæ ex pleriſque Barbaris nationibus, ac mors ipſius Caſſii nuntiatur. Nam Caſſio iter facienti Antonius Centurio occurrit, eúmque de improuiſo ſecundum ceruicem vulnerauit: quanquam id vulnus non fuit mortiferum, propterea quòd Antonius impetu equi concitatus, facinus imperfectum reliquit, ita vt ille ferè euaderet, niſi eum Decurio interim confeciſſet. Hî abſciſſo eius capite ad Imperatorem proficiſcuntur. Ita Caſſius, qui hoc pacto tres menſes, & dies ſex ſomniauerat, iugulatur, filiúſque eius, qui tum erat abſens, interfectus eſt. Marcus autem cùm eò veniſſet, nationes omnes quæ rebellionẽ fecerant, tractauit perhumaniter, neque quenquã ex obſcuris hominibus aut ex illuſtribus interfecit. Sub id tẽpus Fauſtina moritur ſiue doloribꝰ podagræ, quibus laborabat, ſiue alia ex cauſa, ne ob ea de quibus cum Caſſio cõuenerat, argueretur: quanquã Marcus literas, antè quàm eas legeret, conſciderat, ne cogeretur quenquã inuitus odiſſe. Ferũt nonnulli Verum antea præmiſſum in Syriam, quam obtinuerat, literas in ſupellectili Caſſii inuentas cõſcidiſſe, quòd eas nihil ad Marcum pertinere diceret. Quòd ſi fortè ob eam cauſam Marcus ſuccenſeret, lõgè fore melius, ſe vnũ pro multis interire. Sed Marcus nõ delectabatur cædibus, ídque ex eo licet animaduertere, quòd Romæ ſpectabat gladiatores tanquam athletas certantes ſine periculo. Nec enim gladiatoribus conceſſit acuto ferro dimicare, ſed obtuſis gladiis & teretibus omnes dimicabãt. Mortẽ Fauſtinæ vehemẽter luxit, ſcripſítque ad Senatũ, ne quis eorũ qui opẽ Caſſio tuliſſent, morte afficeretur, tanquã in eo dolore, quẽ ceperat ex interitu Fauſtinæ, hoc vno ſolatio vti poſſet. Abſit enim, inquit, vt me tenente principatum, veſtrũm quiſquam meo veſtróve decreto capite damnetur. Ad extremum addidit, Quòd ſi id à vobis non impetrabo, ad mortem ibo celeriter. vſque adeò

Fauſtina moritur.

à cædibus alienus, mitis & bonus & pius erat. Quinetiã in pleroſque interfectores beneficia contulit, quantum in ipſo filioque eius fuit. Conſtituit autem vt nemo cum Imperio eſſet apud eã gentem ex qua ortus eſſet, propterea quòd Caſſius, cùm in Syria patria ſua Imperium haberet, res nouas molitus fuerat. Senatus Marco & Fauſtinæ decreuit ſtatuas argenteas Romæ in tẽplo Veneris collocari, arámque extrui, in qua virgines omnes quæ nuberent in Vrbe, vnà cũ ſponſis ſacrificarẽt: præterea vt in Theatro ſtatua Fauſtinæ aurea in ſella eſſet ſemper, quæ, quoties Marcus ſpectaret, in principali loco, vnde ipſa ſpectare conſueuerat viuens, poneretur, eíque omnes præſtantiſſimæ fœminæ aſſiderent. Marcus poſtquam Athenas venit, initiatúſque fuit, magnos honores tribuit Atheniẽſibus, quorum in vrbe doctores omnis doctrinæ annua mercede conductos conſtituit ad omnium gentium vtilitatem. Cùm autem Romam veniſſet, concionaretúrque apud populum, ac ſubinde diceret inter cætera, ſe multos annos peregrinatum abfuiſſe, conclamarétque multitudo, Octo: ídque ſignificaret porrectis manibus, vt totidẽ aureos in cœnã acciperet, ſubriſit: tum ipſe etiam, octo, inquit: ac poſtea octo aureos viritim dedit, quantam ſummam nunquam ceperãt antea. Quibus cõfectis rebus omnibus, remiſit id quod fiſco ærarióve publico debebant, ab annis quadraginta, abſque ſedecim annis Adriani, iuſſítque ſyngraphas omnes ſcriptas de iis rebus in foro comburi. Pecuniam multis ciuitatibus largitus eſt, in quarum numero fuit Smyrna, quæ ingenti terræmotu conquaſſata fuerat, eámque Senatori & prætorio viro, vt reficeret, mandauit. Ex quo fit vt mirer eos qui Marcum reprehendunt, negántque magno animo fuiſſe. Is enim etſi reuera frugaliſſimus erat, tamen nulla in re deerat ſumptibus neceſſariis, licet in exigenda pecunia, vt ſuprà dixi, nemini moleſtus eſſet, atque in rebus neceſſariis, præterquam in re familiari, maximos ſumptus ſuſtinebat. Poſtquam res Scythicæ præſentiam eius iterum poſtulare viſæ ſunt, Criſpinam celerius quàm vellet ob hãc cauſam filio in matrimoniũ collocauit. Nam Quintilii, etſi vterque eorum valebat prudentia & fortitudine, ac vſu maximarum rerum, tamen id bellum conficere non potuerũt. Quamobrem ipſi Imperatores neceſſariò profecti ſunt. Tum Marcus pecuniam ex ærario petiuit à Senatu, non quòd ea non eſſet in principis poteſtate, ſed quòd diceret eam cæteráque omnia eſſe Senatus populíque Romani. Nos enim, inquit (id dicebat in Senatu) vſque adeò nihil habemus proprium, vt e-

Octo aurei viritim dati. CC. drach.

Criſpina nubit Commodo.

Marcus petebat à Senatu pecuniam ex ærario.

tiam veſtras ædes habitemus. Cúmque hæc dixiſſet, haſtam ſanguinolentam, quæ in templo Martis repoſita erat, in agrum hoſtium, vt accepi ex iis qui aderant præſentes, contorſit, deinde cõtra hoſtes proficiſcitur. Paterno magnas copias dat, eúmque ad prælium committẽdum mittit. Reſtitére Barbari totam diem: tandem verò omnes à Romanis cæſi ſunt. Marcus decimùm Imperator appellatus eſt: qui ſi vixiſſet diutius, ea quæ in Scythia erant, omnia in ſuam poteſtatem redegiſſet: ſed is diſceſſit è vita XVII Cal. April. non morbo quo laborabat, ſed, vt ego certò accepi, peremptus à medicis qui Commodo gratificabantur. *Moritur Marcus.* Cúmque eſſet morti proximus, Commodum militibus commendauit. Nolebat enim videri, vt mors ſibi ab illo afferretur: tribunóque militum ſignum poſtulanti ita reſpõdit, Abi, inquit, ad Orientem: ego enim iam ad Occaſum cõmeo. Mortuus cùm aliis magnis honoribus afficitur, tum verò ſtatuitur aureus in curia. Itaque Marcus omnium hominum qui vnquam principatum tenuerunt, optimus mortuus eſt: multis enim virtutibus præditus fuit, ſed præſertim beneficentia, cui etiam templum ædificauit in Capitolio, eámque proprio atque inaudito antea nomine nuncupauit. Neque verò ſolùm ſe ab omnibus vitiis abſtinuit, ſed etiam aliorum vitia, & maximè vxoris tulit, dum ea nec inueſtigaret curioſius, nec puniret. Si quis autem rem vtilem faceret, eum collaudabat, eóque homine ad eam rem vtebatur, cùm interim aliena facta nunquam ſibi vindicaret. Ac Marcum quidem nihil ſimulatè, ſed omnia cum virtute egiſſe, perſpicuũ eſſe poteſt ex eo, quòd cùm octo & quinquaginta annos, menſéſque decem, ac dies viginti vixerit, in iiſque cum Antonino patre diu fuerit cum imperio, ipſéque decẽ annos, & dies vndecim regnauerit, tamẽ æquabilis in omni vita, nec vlla vnquam in re immutatus fuit. Itaque verè fuit vir bonus, cùm in eo nihil fictum, nihil ſimulatum eſſet. Magnum ei adiumentum attulerunt bonæ artes: nam rhetoricis & philoſophiæ præceptis exercitatus fuit, habuítque illorũ Cornelium Frontonem, & Claudium Herodem præceptores: horum autẽ Iunium Ruſticum, & Nicomedem Apollonium, homines in præceptis Zenonis exercitatos. Ex quo factum eſt vt magna hominum multitudo philoſophari ſimulauerit, vt ab eo locupletarentur. Multum verò ei contulit natura: antequam enim cum iis verſaretur, magnopere contendebat ad ſtudium virtutis: qua in re propinquis ſuis, qui multi erant, & potentes & locupletes, ita ſatisfaciebat puer, vt omnibus maximè charus eſſet, atq; ob

eam cauſam præſertim ab Adriano adoptatus in familiam, nihilo magis inſolens fuit. Græco autem & Latino ſermone, tum rhetoricis ac philoſophiæ præceptis ſemper imbuebatur. Is antè quàm Cæſar deſignaretur, humeros eburneos manúſq; habere in ſomnis viſus eſt, iiſque ad omnes humanos vſus vti. Sed ex illo vehementi ſtudio atque exercitatione factum eſt, vt eſſet valde infirmo & imbecilli corpore, etſi principiò fuerat bona valetudine, ita vt armis certaret, aprósque ex equo in venatione conficeret: ſed ea, vt meritum erat ipſius, non ſucceſſit. Nam homo æger toto ferè tempore principatus in plurimos morbos incidit. Quas ob res eum magis admirari ſoleo, & quòd ſuperfuit alieniſſimis grauiſſimiſque negotiis, & quòd Imperium cõſeruauit. Id vnum fortunæ eius defuit atque fœlicitati, quòd ſpe filii, quem optimè, quoad eius fieri potuit, educari atque inſtitui curauerat, fruſtratus eſt: de quo deinceps dicendum eſt. Hiſtoria autem ex aureo regno in ferreum, & in ea facta, quæ Romanos, qui tum fuêre, nósque ipſos arguunt, delabitur.

Commodus.

COMMODVS nec vafer nec malitioſus erat, ſed præter omnes homines apertus & ſimplex. Cuius rei cauſa tum etiam quòd timidus erat, ſeruiebat iis cum quibus verſabatur, àquibus primò perſuaſus propter imprudentiam, id quod multo melius erat, in immanem naturam, & mores nefarios commutauit. Erat natus nouem & decem annos, cùm pater eius mortuus eſt, multis ei Senatoribus optimis viris curatoribus relictis, quorum conſiliis & admonitionibus multam ſalutem dixit, factáque pace cum Barbaris, Romam contendit, homo otii & vrbanæ tranquillitatis cupidiſſimus. Paratæ ſunt ei ſæpenumero inſidiæ à multis: ipſe magnum numerum virorum & mulierum partim palàm interfecit, partim clàm veneno ſuſtulit, & maximè eos omnes ferè, qui & patris temporibus, & ſuis florentes erant, præter Pompeianum, & Pertinacem, & Victorinum. Hos enim neſcio

neſcio quibus de cauſis non interfecit. Hæc autem ego, cæteráque omnia quæ ſequũtur, non ab aliis tradita, ſed à me obſeruata notaui. Poſtquam Romam venit, orationem habuit in Senatu, in eáq; meras nugas dixit. etenim præter cætera poſuit in ſuis laudibus, quòd cùm equitaret aliquando, patrem ex multo cœno, in quod ecciderat, liberauit. ſcilicet huius generis erat glorioſa ipſius oratio. Ingredienti in Amphitheatrum Claudius Pompeianus inſidias parauit, atque in anguſto quodam introitu porrecto ei gladio, Ecce, inquit, hunc tibi mittit Senatus. Hic cùm vxorem duxiſſet filiam Lucillæ, & cum vtraque ſimul rem haberet, Commodo ita familiaris erat, vt vnà epularentur, & iuuentutem vnà tranſigerent. Lucilla verò fœmina nihilo melior aut continentior, quàm Commodus frater, Pompeiano viro ſuo inſenſa perſuaſit, vt Commodo inſidias faceret, eúmque ipſa interfecit: quæ etiam patefacto poſtea ſcelere interfecta eſt. Criſpinam quoque Commodus iratus adulterii cauſa occidit. Harum vtraque antè Capreas relegata fuerat. Occiſa fuit etiam Martia Quadrati vnius ex iis qui tum interfecti ſunt, pellex, & Electus cubicularius Commodi, quo officio Quadratus quoque fungebatur, cuius Commodi hæc pellex primò, pòſt Electi vxor fuit, quorum vtrunque poſtea morte acerba affecit. Hanc Chriſtianorum ſtudioſam fuiſſe, & quòd eſſet apud Commodum magnæ authoritatis, multa in eos beneficia contuliſſe memoriæ proditum eſt. Occidit præterea Commodus Seruium Iulianum, & Paternum, à quibus, ſiquidem voluiſſent ipſi, facilè poterat occidi, quòd ille cùm eſſet vir clariſſimus, præerat magno exercitui: hic prætorio præfectus erat. Inſuper occidi iuſſit Cardianum & Maximum Quintilios, qui & doctrina & ſcientia rei militaris, concordiáque & opibus percelebres erant. Hi enim etſi nihil moliebantur noui, tamen exiſtimabantur propter multitudinem bonorum quæ habebant, ſtatum rerum qui tunc erat, dolere: vtque vnà vixerant ſemper, ita ſimul cum vno filio mortui ſunt. Fuêre enim maximo amore coniuncti inter ſe, neque diſſenſêre vnquam in gerendis magiſtratibus, copioſi planè & locupletes. Cúmque ſimul magiſtratus gererent, ſibi viciſſim aſſidebant. Sextus verò Condianus Maximi filius, qui ingenio & eruditione præſtabat cæteris, vt intellexit ſe quoque condemnatum iri (is erat in Syria) poto leporis ſanguine, equum conſcendit, ex eóque paulò pòſt cecidit conſultò, & ſanguinem quem biberat, euomere pro ſuo

Ab hoc loco uſque ad finem hiſtoriæ Dion narrat ea, quorũ tæſtis oculatus fuit, nõ quæ ab aliis tradita accepit.

Lucilla ſoror Commodi.

Criſpina uxor Commodi occiditur.

Seruius Iulianus.

Paternus.

Quintilij duo.

Sextus Cõdianus Quintilius.

cœpit: mox erectus à ſuis, quaſi eſſet ſtatim moriturus, domum allatus delituit: tum aries pro eius corpore in vrnam coniectus cõbuſtuſque eſt. Ipſe ex eo tempore vario ſemper habitu, mutatáque veſte huc & illuc vagari cœpit. Hac de re cùm eſſent rumores ſparſi (nec enim ea quæ ſunt huius generis diu latere poſſunt) vbique gentium diligenter perquiritur, multíque pro eo partim propter ſimilitudinẽ, partim quòd conſcii eſſe, eúmque recepiſſe putabantur, ſupplicio affecti ſunt: multò verò plures, qui fortaſſis eum ne viderant quidem vnquam, priuati ſunt facultatibus: ipſe quidem an verè occiſus fuerit (multa enim capita pro capite eius Romam allata ſunt) an effugerit, conſtat nemini. Fuit, qui poſt mortem Commodi Sextum ſe eſſe diceret, ac proinde recuperare facultates eius & dignitatem niteretur. Qui quanquam ſæpe, cùm examinaretur à multis, ſcitè reſpondebat, tamen poſtquam eum Pertinax Græcè, cuius linguæ ille peritus fuerat, interrogauit, errauit maximè, dum non poſſet intelligere id quod à Pertinace quæreretur. ídque ego præſens audiui. Eſt autem Mali, quod eſt oppidum Ciliciæ, oraculum Apollinis, & ſomniorũ interpretatio, vbi Apollo Sexto reſponſum dedit, & pictura, quid futurum eſſet, ſignificauit. Pictus erat in tabella puer, à quo duo ſerpentes ſuffocabantur: itémque leo hinnulum perſequens. Quam rem ego, cùm eſſem in Cilicia cum patre qui ei prouinciæ præerat, non potui coniicere, antè quàm fratres à Commodo, qui Herculẽ poſtea imitatus eſt, quodammodo ſuffocatos eſſe intelligerem, vt Herculem infantem adhuc, memoriæ proditum eſt, ſerpentes à Iunone immiſſos ſuffocaſſe (Quintilii enim ſtrangulati ſunt) iámque Sextum fugere, eúmque potentiorem Commodum perſequi cœpiſſe. Equidem confunderem & perturbarem hiſtoriam, ſi ſcriberem accuratè de ſingulis, quos ille adductus non ſolùm falſa calumnia, & ſuſpicione non vera, verùm etiam propter opes maximas, nobilitatémque generis, & excellentem præſtãtiam doctrinæ, atque ob alias virtutes interfecit. Fuêre Commodo quædam bella cum Barbaris, qui vltra Daciam incolunt, ex quibus Albinus & Niger, qui poſtea bellum geſſerunt cum Seuero Imperatore, magnam gloriam conſecuti ſunt. Sed bellum Britannicum omnium longè maximũ fuit. Quamobrẽ cùm Britanni eſſent eum murum tranſgreſſi, qui inter ipſos & Romanorũ caſtra intercedit, vaſtaſſéntque multa, Romano duce, & militibus quos ſecum habebat, cæſis, Commodus timore perterritus, contra eos Vlpium Marcellum miſit: is erat ho-

Malum oppidum Ciliciæ.

Vlpius Marcellus.

mo modeſtus & frugi.nam quod ad cibum cæteráque pertinet, viuebat more cæterorũ militum,erátque fortis ac magnanimus, quoties bella gereret: pecunia quidem certè non corrumpebatur, minimè tamen lenis aut humanus erat. Dux fuit omnium vigilantiſſimus: cúmque vellet cæteros qui cum ipſo erant, vigilantes eſſe,duodecim tabulas, quales ex tilia fieri ſolẽt, quotidie perſcribebat veſperi,mandabátque vni ex ſuis,vt alias aliis atque aliis horis perferret ad diuerſos milites, quò Imperatorẽ ſuum vigilare ſemper rati,ipſi minus dormirent.Et quanquam ſomno alioqui reſiſteret natura,tamẽ quò magis id facere poſſet,inedia perfecerat. nam vt ne pane repleretur, eum Roma ad ſe iubebat exportari, ne paulò plus quàm eſſet neceſſe, poſſet propter vetuſtatem comedere. Igitur Marcellus tali ingenio præditus,maximis atque grauiſſimis damnis Barbaros affecit: quo facto quanquam parum abfuit, quin virtutis ipſius ergô Commodus eum necaret, tamen ipſum dimiſit. Perenni verò, qui poſt Paternum præfuit prætorianis cohortibus, accidit vt propter ſeditionem militum necaretur.Cùm enim Commodus ſe ſtudio agitandorum curruum,& libidinibus cuiuſuis generis dedidiſſet,nec quiſquam ferè ageret ea quæ ad principatum ſpectarent, Perenni nõ ſolùm cura militum,ſed etiam reliquorũ omnium eſſe cœpit, & maximè publicæ vtilitatis. Sed milites, quoties eis aliquid ex ſententia parũ euenirẽt,coniecta in Perennem culpa, eidem grauiter iraſcebantur. Idem fecêre ii qui erant in Britannia obiurgati quòd ſeditionem feciſſent (ii antè ſedati non ſunt, quàm eos Pertinax placauerit) miſerunt enim in Italiam mille quingẽtos milites delectos ex ipſorum numero:quibus cùm à nemine prohibiti iam Romam aduentarent, occurrit Commodus,eóſque ita interrogauit,Quid hoc rei eſt commilitones?quamobrem veniſtis?Illi reſpondere, Propterea,inquiunt,quòd Perennis tibi inſidias parat,vt filium ſuum Imperatorem deſignet. Quod vbi Commodus credidiſſet facilè,inſtante potiſſimum Cleandro qui Perennem grauiter oderat,à quo omnia agere pro libidine vetabatur, præfectũ prætorio militibus, quibus ipſe præerat, dedidit: nec eſt auſus mille quingentos milites contemnere, cùm ipſe multò plures prætorianos haberet. Illi Perennem cæſum verberibus obtrũcant, eiuſdémque vxorem,ac ſororem cum filiis duobus interficiunt. Ita Perennis occiſus eſt indignus eo genere mortis, tum ſua,tum Romani Imperii cauſa,niſi quòd vt præeſſet ſolus prætorianis militibus,Paterno collegæ author interitus fuerat,

Perennis præfectus prætorio.

cùm alioqui nunquam incumberet ad opes & gloriam, ſed cõtinentiſſimus ac modeſtiſſimus eſſet, tutúmque Imperium Cõmodi præſtaret. Hoc mortuo, Cæſariani, quorũ Cleander princeps fuit, nullum ſceleris genus omittere, omnia incendere, iniuria omnes afficere, vexaréque contumeliis cœperunt, cùm interim Cõmodus indulgeret voluptatibus, equorũ ſtudioſus eſſet, pugnas hominum ferarúmque cõmitteret. Nam præter ea quæ faciebat domi, magnum numerum hominũ & belluarum publicè ſæpe interfecit. Quinque enim equos fluuiatiles ſimul, ac duos elephãtos variis diebus ſolus ipſe ſuis manibus cõfecit: præterea Rhinocerotes & Camepardalim occîdit. Sed de his ſtudiis Cõmodi hactenus. Mortuo autem Victorino, qui fuerat præfectus Vrbis, ſtatua poſita eſt: etſi eum Cõmodus ſæpenumero interficere voluerat. Quod cùm differret grauaretúrque facere (nam Victorinus ſua tẽpeſtate virtute animi & ſermonis elegantia nemĩni ſecũdus erat) ipſe ad Perennem acceſſit, aítque, Audio, inquit, iam eſſe à vobis conſtitutum me interficere: quid igitur cunctamini? aut quid præterea, cùm id vobis hodierno die facere liceat, expectandum putatis? Hic cùm aliquãdo præeſſet Germaniæ, conatus eſt domi remotis arbitris perſuadere legato ſuo, ne ſe pecunia corrumpi ſineret: cúmque ille nõ parêret, in tribunal conſcendit, iurauítque in eo, ſe nũquam accepiſſe munera, neque, quandiu viueret, accepturum: mox præcepit illi, vt ſe eodem iureiurando obſtringeret: cúmque legatus peierare nollet, iuſſit vt ſe abdicaret magiſtratu. Victorinus quidem tali ingenio præditus erat. Cleander autẽ, cuius poſt mortẽ Perennis magna fuit authoritas, ſeruus inter ſeruos venũdatus, vnà cũ iis vt baiulus eſſet, Romã deductus eſt. Progrediẽte verò tẽpore vſque adeò eſt auctus, vt cubicularius Cõmodi factus ſit, pellicémq; eius Damoſtratiã vxorẽ duxerit, & præter alios multos, Saoterium Nicomedienſem, qui ante ipſum eundẽ honorẽ habuerat, interfecerit, quanquã & ille potẽtiſſimus erat, per quẽ Nicomediẽſes impetrauerant à Senatu, vt certamina celebrarẽt, tẽplúmque Cõmodo facerent. Hunc Cleandrũ fortuna ita erexerat, vt ſuo arbitratu dignitatẽ Senatoriam daret, nec eã ſolùm haberet vænalẽ, ſed etiã officia militaria, procurationes, imperia, ac poſtremò res omnes. Iámque multi cõſumptis omnibus ſuis facultatibus cooptabãtur in ordinẽ Senatorium, ita vt dictũ ſit de Iulio Solone homine ignobili, eũ ſpoliatũ facultatibus, in Senatũ eſſe relegatum. Neq; verò Cleãder hæc ſolùm fecit, ſed etiam cõſules XXV ad annũ vnum deſignauit: quod neque ante

Victorinus præfectus Vrbis.

Cleander ex ſeruo cubicularius Cõmodi.

Somma in Iuliũ Solonẽ. Cõſules XXV.

id tempus, neque poſt vnquam factum eſt. in quorum numero Seuerus, qui poſtea factus eſt princeps, conſulatum geſſit. Quā-obrem colligebat vndique grandem pecuniam, multóque plura quæſiuit, quàm vnquam ab vllis cubiculariis factum ſit. Ex his multa largiebatur Cõmodo, eiúſque pellicibus: multa in ædificationem ædium & balnearũ, cæteráſque res priuatim publicéq; vtiles impẽdebat Sed vt eum fortuna extulerat, ita celeriter depreſſit, cui mortẽ cum ignominia & dedecore attulit. Neque enim à militibus, vt Perẽnis, ſed à plebe interfectus eſt. Nã cùm eſſet fortè magna inopia rei frumentariæ, eámq; Dionyſius Papyrius præfectus annonæ feciſſet maiorem, vt populus Romanus culpam in Cleandrum propter furta quæ faciebat, cõiiceret, haberétque odio, eúmq;, id quod accidit, interficeret: ludis Circẽſibus equis ſeptimo loco certare cũctantibus, magna multitudo puerorum in Circũ accurrit: eos procera virgo & terribilis aſpectu ducebat, quæ Dea fuiſſe ex iis quæ poſtea acciderunt, exiſtimata eſt. hi pueri cùm primò maximos clamores edidiſſent, eóſque ſtatim populus excepiſſet, conclamaſſétque vnà, tandem exiliens vniuerſus rectà ad Commodum (is erat in ſuburbano Quintilii) proficiſcitur, ibi Commodo, vt bene atque fœliciter eueniat, precatur, Cleandrum execratur maximé. hic paucos milites contra illos mittit, à quibus pars vulnerata, pars interfecta eſt. qua re cùm plebs non modò non prohiberetur, ſed multo etiam magis contenderet, confiſa multitudine ſua & prætorianorum viribus: cúmque iam non longè abeſſet à Commodo, quem huius rei certiorem faciebat nemo, Martia pellex Quadrati ei rem omnem ſignificauit: eáque re Commodus adeò perterritus eſt (quippe timidiſſimus erat) vt Cleandrum ſtatim eiúſque filium, qui in manibus Commodi educabatur, interfici iuſſerit. puer quidem alliſus interiit, ſed plebs corpore Cleandri tracto & lacerato, caput eius per totam Vrbem geſtauit in pilo, nonnulloſque ex eorum numero, qui ipſius potentia nitebantur, interfecit. Commodus autem vbi expleuerat animum voluptatibus ludíſque, tum demum cædes meditabatur, occidebátque nobiles viros: in quorum numero fuit Iulianus præfectus, quem publicè amplecti atque oſculari, patrémque appellare conſueuerat. Itémque Iulius Alexander (is conſoderat leonem ex equo) qui poſtquã interfectores adeſſe cognouit, eos de nocte trucidauit, Emeſenóſque nonnullos, ex quorum gente erat ipſe, inimicos ſibi factos interemit. Quo facto, admiſſo equo contendit ad Barbaros:

effugiſſétque omnino, niſi puerum, quẽ habebat in delitiis, comitem cepiſſet. Cùm enim incitato equo iter ſine vlla mora faceret, adoleſcentulum defeſſum labore atque itinere nõ eſt paſſus relinqui, ſed quòd conſequi non poterat, ei, ſibíque mortem attulit. Dionyſius quoque præfectus annonæ à Commodo occiſus eſt. Per id tempus tanta peſtilentia fuit, quantam nunquã fuiſſe cognoui: nam vno die moriebantur ſæpenumero ad duo millia hominum. Multi non ſolùm in Vrbe, ſed etiam ſub omni ferè Imperio Romano necabantur à maleficis hominibus, quòd acus oblitas venenis quibuſdam pretio atque mercede adducti in alios coniicerent (id malum etiam extiterat Domitiani temporibus) ob eámque cauſam innumerabiles homines interibant: ſed nulla vis morbi, aut maleficiorum grauior erat populo Romano, quàm Commodus, cùm alias ob cauſas, tum verò quòd ea quæ patri eius pro ſua in ipſum beneuolentia decreuerat, eadem huic tribuere iuſſus cogebatur timoris cauſa. Iuſſus eſt autem Romam ipſam Cõmodianam, & exercitus Commodianos, denique illum, quo die hæc decernebãtur, Commodianum appellare. Multa enim cognomina ſibi ſumpſit Commodus, ſed præſertim Herculis: Romámque immortalem, fortunatam, coloniam, orbem terrarum appellauit. volebat enim omnino Vrbem ſuam eſſe coloniam videri. Ad hæc ei ſtatua aurea mille librarum cum tauro & vacca facta eſt, menſéſque omnes ex eo nominati, atque ita numerati ſunt, Amazonius, Inuictus, Felix, Pius, Lucius, AElius, Aurelius, Commodus, Auguſtus, Herculeus, Romanus, Superãs. Quæ nomina cùm ſibi ſumeret, mutarétque ſæpenumero, tamen cognomen Amazonii & Superãtis perpetuò retinebat, quaſi omnes homines longè in rebus omnibus ſuperaret. Vſque adeò inſaniebat ſcelus. Scribebat ad Senatũ his verbis, IMPERATOR, Cæſar, Lucius, AElius, Aurelius, Commodus, Auguſtus, Pius, Felix, Sarmaticus, Germanicus, Maximus, Britannicus, Pacator orbis terrarum, Inuictus, Romanus, Hercules, Pontifex Max. Tribunitiæ poteſtatis XVIII, Imperator VIII, Conſul VII, Pater patriæ, Conſulibus, Prætoribus, Tribunis plebis, Senatuíque Commodiano fœlici Salutem. Pleraéque ſtatuæ habitu Herculis ei collocatæ ſunt, decretúmque fuit, vt id tẽpus quo principatum teneret, nominaretur ſeculum aureum, ídque in omnibus literis ſcriberetur. Hic verò aureus Hercules, & Deus (iam enim audiebat hæc nomina) aliquando de improuiſo poſt meridiem ex ſuburbio celeriter Romam venit, ac triginta equorũ

Dionyſius Papyrius præfectus annonæ.

Peſtilentia.

Acus oblitæ ueneno.

Roma Cõmodiana.

Nomina menſiũ ex nomibus Cõmodi.

certamen duabus horis perfecit. Quibus ex rebus fiebat, vt ei pecunia deficeret: erat enim liberalis. nam & populo ſæpe aureos v, drachmáſque xv dedit. Maximam verò partem impẽdebat in ea quæ ſuprà dixi: ob eámque cauſam inferebat crimina non ſolũ viris, ſed etiam mulieribus, quibus partim mortem afferebat, partim ſeruabat incolumes, acceptis eorum facultatibus. Natali ſuo die nobis, vxoribúſque noſtris, liberíſque ſingulis binos aureos, tanquam aliquas primitias imperauit, idque tributum pendere coëgit. Itémque ex Senatoribus, qui in reliquis ciuitatibus erant, quinque drachmas exegit. Currus nunquam agitauit publicè, niſi ſi quando nocte obſcura id facere cupiuiſſet: pudebat enim eum multitudinis. Id verò domi faciebat aſſiduè praſino ornatu: nam & domi magnum numerum belluarum confecit, multas etiam interfecit publicé. Munus verò gladiatorium ita obibat domi, vt crebrò aliquem occideret: nam & ſuis, quaſi vellet eorum capillos radere, naſum, aut aurem, aut aliud quippiam nouacula præcidebat. Publicè abſque ferro aut humano ſanguine nõ erat. Solebat antè quàm veniret in Theatrum amictus eſſe tunica manicata ſerica, alba * eúmque nos ita ornatum ſalutabamus. Cùm autem ingreſſus eſſet, induebatur purpurea auro intexta, accepta pari chlamyde more Græco, & corona aurea illuminata gemmis Indicis. Ferebat etiam caduceum, quale Mercurius ſolet. Pellis quidem leonis clauáque geſtabantur ante eum, cùm iter faceret: in Theatris autem, ſiue adeſſet ipſe præſens, ſiue abeſſet, in ſella aurea collocabantur. Itaque habitu Mercurii introibat in Theatrum, abiectíſque cæteris quæ ferebat, præter tunicã, nudis pedibus ad rem gerẽdam aggrediebatur: ac primo quidem die centum vrſos de ſuperiore loco iaculis confecit. Erat enim diuiſum Theatrum omne, connexis quibuſdam diametris tectũ habentibus, circũ quod inambulari poterat, ac ſeſe bifariam ſecantibus, quò facilius vndique ex anguſto loco belluæ diuiſæ in partes quatuor iaculis traiicerentur. Bibebat defeſſus in medio certamine, capiebátque poculum vini dulciſſimi refrigerati de manibus mulieris. Quo exhauſto, ſtatim multitudo, noſque omnes, id quod in cõuiuiis dici ſolet, dicebamus magno clamore, ζήσειας, Proſit. Neque verò quiſquam exiſtimare debet, me propterea minuere grauitatem hiſtoriæ, quòd hæc ſcribo. nam cùm ea ab Imperatore facta ſint, affuerímque ipſe præſens, viderímque ſingula, audiuerim & collocutus ſim, nihil reticẽdum putaui: ſed ea perinde volui, atque ſi maxima eſſent, apprimé-

Senatores tributum ſoluũt.

* σάγγυον

que neceſſaria, poſteris memoriæ prodita relinquere. Itaq; cætera quæ hac ætate facta ſunt, accuratius diligentiúſque perſcribam, quàm ſuperiora, partim quòd ego eis interfui, partim quòd illa nemini eorum qui aliquid memoria dignum poſſunt ſcribere, melius quàm mihi cognita eſſe putẽ. His igitur rebus primo die confectis, reliquis diebus deſcendit de ſuperiore loco in ſolum Theatri, manſuetaſque beſtias, quæcũque propius accederent, aut ad eum adductæ, vel retibus admotæ eſſent, occidit, Tigrímque & equum fluuiatilem, & elephantum interfecit. His perfectis rebus abiit. Poſt prandii tempus fungebatur muneribus gladiatoriis, exercebátque ſe, dum vteretur armis cuiuſdam, cui Secutor nomen fuit, tenerétque ſcutum dextera, gladium ligneum ſiniſtra, ob eámque cauſam maximè gloriabatur, quòd ſcæua eſſet. Certabat cum eo eius ludimagiſter, vel potius gladiator, cui ferula erat in manibus, eúmque ipſe prouocabat interdum, interdum deligebat populus. Id enim cæteráque omnia pariter cum reliquis gladiatoribus faciebat. quanquam hoc vno differebat, quòd illi parua accepta pecunia deſcendebant in certamen: Commodo autem numerabantur ſingulis diebus de pecunia gladiatorum, aureorum decem millia. Aſſiſtebant pugnanti AEmilius Lætus præfectus prætorio, & Electus cubicularius, quos pugnata ea falſa pugna, victor ſcilicet oſculabatur per galeam, quam gerebat. Poſt eum pugnabant cæteri, quos omnes primo die coégerat de inferiore loco, ornatu Mercurii, caduceóque aureo accepto, vbi in conſimile tribunal aſcendiſſet, eorúmque pugnam commiſerat. quam rẽ nos habuimus prodigii loco. Pòſt reuertit in ſellam in qua ſedere conſueuerat, indéque vnà nobiſcum ſpectabat cætera, etſi nihil gerebatur, quod ludis conueniret, præſertim quòd multi necarentur. Quinetiam nonnullos aliquando, quòd cunctarentur aduerſarios interficere, vnà cum eis colligari, atq; ita ſimul omnes pugnare iuſſit. Quo facto vincti certauêre inter ſe, occideréque multos ex ſpectatoribus, cum quibus certamen non erat, quòd à multitudine & anguſtiis loci compulſi propius acceſſiſſent. Quatuordecim dierum fuêre ſpectacula huius generis, eóque nos Senatores conueniebamus cum equitibus ſeparatim. Claudius tamen Pompeianus homo ſenex nunquam interfuit, licet filios ſuos ad ſpectandum mitteret, quòd mallet ob eam cauſam occidi, quàm eò venire, vbi Imperatorem Marci filium iſta facientem ſpectaret. Tum nos magna voce dicebamus multa, vt iuſſi eramus: illud autem crebrò, Dominus es,

Commodus ſcæna.

XXV. *Myriades drach.*

Primus

Primus es, Vincis omnium fœliciſſimè ex æterno tempore, Amazonie vincis. Multi ex reliqua plebe ne introibant quidem in Theatrum: plerique, vbi paulùm ſpectaſſent, diſcedebant, partim pudore adducti, partim quòd rumores ſparſi erant, conſtituiſſe Imperatorem tela in aliquot plebeios coniicere, vt Hercules olim in Stymphalidas fecerat: idque ex eo credebatur futurum, quòd antè omnes qui in Vrbe morbo, aut alia de cauſa pedibus carebant, vnum in locum conduxerat: cúmque eorum genua quibuſdam rebus ſerpentibus ſimillimis complicauiſſet, dediſſétque eis ſpongias quas iacerent pro lapidibus, omnes claua ita, vt ſi gigantes eſſent, percuſſit atque interfecit. Is timor nobis erat cum cæteris communis: nam & nobis Senatoribus id fecit, cuius cauſa certiſſimum interitum expectauimus. Abſciſſo enim capite paſſeris quem occiderat, eò venit, vbi ſedebamus: cúmque id caput ſiniſtra, dextera gladium cruentum porrigeret, nihil dixit, tantùm caput ſuum ferox mouit, vt oſtenderet idem ſe nobis facturum. Quamobrem cùm multi riderent, gladio fuiſſent occiſi (nam ea res primò nobis non modò non fecerat timorem, ſed etiam riſum mouerat) niſi ego folia lauri quæ habebam ex corona, comediſſem, perſuaſiſſémque cæteris qui iuxta ſedebant, vt idem facerent, videlicet vt facto continuo motu ſtomachi, indicium riſus cælaremus. His perfectis rebus magnũ nobis ſolatium dedit, quòd cùm eſſet rurſus obiturus munus gladiatorium, nos equeſtri veſte & penula indutos venire in Theatrum iuſſit: quo ornatu nunquam antè Theatrum ingredi conſueueramus, niſi princeps è vita deceſſiſſet. Ad illud acceſſit etiam, quòd poſtremo die ludorum galea eius allata fuit ad portas, per quas efferri mortui ſolent. Quibus ex rebus opinio cunctis iniecta fuit, mortem eius inſtare. Ipſe quidem non multò pòſt obiit, vel potius occiſus eſt: nam Lætus & Electus qui ei infenſi erant, partim quòd verſaretur in huiuſmodi rebus, partim quòd ipſum timerent (quippe eis minabatur, quòd hæc ſe prohiberent facere) in eum coniurauerunt. Statuerat Commodus vtrunque conſulem, Erycium Clarum, & Syſſium Flaſcum interficere, atque ipſe vt conſul Calendis ex eo loco in quo gladiatores aluntur, vnà cum Secutore exire. non longè enim à gladiatoribus, ita vt ſi eſſet vnus ex eorum numero, præcipuam domum habebat. Idque mihi omnes credent facilius, ſi intelligent, eum abſciſſo Coloſſi capite, ſui captis imaginem repoſuiſſe, data ei claua, leonéque æneo ſubiecto, vt Herculi ſimilis eſſet: atque

Fœdæ & plus quàm ſeruiles acclamationes.

Cõmodus infirmos occidit.

Commodus timorẽ incutit Senatoribus ridiculè.

Laureati ſpectabant Senatores.

Coloſſus.

præter ſupradicta nomina ita inſcripſiſſe. Primus iaculator ſecutorum, qui ſolus ſiniſtra manu vicit hominum (vt opinor) duodecim millia. His permoti rebus Lætus & Electus in eum coniurant, communicato cum Martia conſilio. Itaq; poſtremo die anni, cùm homines in eo die feſto celebrando eſſent occupati, venenum ei noctu per Martiam dant in carnibus bouinis: cúmque non poſſet interiré ſubitò, propter vinum quod largiter bibere, & balneas quibus vti abundè ſemper conſueuerat, iámq; vomere inciperet, ac ſuſpicatus id quod erat, minaretur, Narciſſum athletam ad eum interficiendũ mittunt, lauantémque eius opera ſuffocant. Hunc exitum Cõmodus habuit, cùm regnaſſet annos XII, menſes IX, dies XIIII. Vixit annos XXXI, menſes IIII. in quo domus verè Aureliorum principatum amiſit: poſt cuius mortem bella & ſeditiones maximæ extiterunt.

Lætus & Electus cõiurati.

Martia.

Narciſſus interfector Cõmodi.

Cauſa quæ impulit Dionẽ ad confectionẽ huius hiſtoriæ.

Cæterùm ad componendam hiſtoriam de his rebus, hæc me cauſa impulit. Cùm librũ de ſomniis & prodigiis ſcripſiſſem, quorum cauſa Seuerus principatum ſperabat, eúmque editum in lucem miſiſſem ad Seuerum, illéque legiſſet, & ad me multa reſcripſiſſet commodè, literis ſub veſperum acceptis, cubitũ diſceſſi. Tum dormienti mihi imperatum eſt diuinitus, vt hiſtoriam conficerem: quamobrem ea de quibus nũc ago, ſcripſi. Quæ cùm ipſi Seuero & cæteris placerent maximè, ſtatui illicò cætera omnia quæ ſpectarent ad populum Romanum, perſcribere, neque ſolùm illa ſcripta relinquere, ſed ita ad hanc hiſtoriam aggredi mihi viſum eſt, vt cuncta à principio, quouſque fortuna ſineret, vno opere complecterer. Nam cùm ego grauatè hanc confectionem hiſtoriæ reciperem, omninóque recuſarem, Dea me confirmauit in ſomnis, ac in ſpem bonam adduxit, hanc hiſtoriam quam relinquerem, ſpeculum humanæ vitæ, nullo vnquam temporis ſpatio eſſe perituram. Quod cùm mihi videatur obtigiſſe, diligenter in hoc ſtudium incumbo. Itaque collegi omnia quæ P. Romanus geſſit ab Vrbe condita vſque ad mortem Seueri, eáque collecta decem annorùm ſpatio, poſtea duodecim annis cõpoſui: cætera enim, quemadmodum ſuccedunt, perſcribam. Porrò ante mortem Cõmodi huiuſcemodi prodigia viſa ſunt. Aquilæ circa Capitolium multæ & inauſpicatæ errabant, pacem cantu ſuo nullam ſignificantes fore. itémque bubo in eodem Capitolio cecinit. Præterea incendium excitatum in quibuſdam ædibus ad templum Pacis peruenit, conſumptíſque tabernis, in quibus merces AEgyptiorum & Arabum erant, conſcendit Palatiũ, vbi adeò exuſta ſunt

Prodigia.

multa,vt libelli qui ad principatum pertinebãt,omnes ferè interierint. Ex quo cœpit esse perspicuum,fore vt id malum non contineretur incluſum in Vrbe,ſed inde ad vniuersum orbẽ terrarum emanaret. Nec enim id incendium restingui potuit humanis viribus, licet eò magna vis aquæ & à plerisque priuatis hominibus, & ab ipsis militibus cõportaretur, veniſſetq; Commodus ex ſuburbio,atque vt incendium reſtingueretur, inſtaret: quod tamen niſi conſumptis rebus omnibus,quibus adhæſerat, finem non habuit.

Pertinax.

PERTINAX vir bonus fuit,tenuítq; principatum paruo tempore, propterea quòd eſt à militibus occiſus. Cùm autem nondum diuulgata eſſet cædes Commodi, Electus Lætuſque ad Pertinacem veniunt, eíque non ſolùm quod factum erat,ſignificãt,ſed etiam propter virtutem & dignitatem ipſius libenter ei principatum deferunt. Hos ille vt vidit, ſtatim cognita ipſorum oratione, vnum ex familiaribus ſuis, quem fideliſſimũ habebat, miſit ad inſpiciendum corpus Commodi: à quo poſteaquam res confirmata eſt,clàm ad exercitum venit, aduẽtúque ſuo milites perterruit. Sed quòd Lætus aderat, quódque ipſe multa pollicebatur (ſingulis enim daturum ſe conſtituit aureos CXX) omnes ſibi facilè deuinxit, acquieuiſſéntque penitùs, niſi ille peroraſſet in hæc verba, Multa ſunt, inquit, commilitones in hoc ſtatu qui nunc eſt,peruerſa & difficilia,ſed ea aliquando veſtra ope corrigẽtur. Qua oratione intellecta ſuſpicati ſunt milites, ea ſibi ablatũ iri, quæ ipſis Commodus contra morẽ dediſſet. Itaque tulêre grauiter, licet tunc diſſimulata ira acquieuerint. Pòſt egreſſus ex caſtris,nocte in Senatum venit, ſalutatíſque nobis,vt quiſque in tanta turba atque multitudine ad eum accedere potuit,pauca ex tempore in hanc ſententiam dixit, Ego,inquit,à militibus Imperator appellatus ſum,nõ tamẽ egeo Imperio,quo me hodierno die propter ætatem & imbecillitatem meam,ac ſummam rerum difficultatem abdico. Hæc cùm dixiſſet,nos eũ collauda-

Tria millia drach.

Pertinacis uerba in Senatu.

uimus ex animo, veréq; delegimus. Erat enim optimo ingenio præditus, & robuſto corpore, niſi quòd paulùm pedum laboribus impediebatur. Itaque Pertinax Imperator, Cõmodus hoſtis appellat' eſt. Hũc Senatus populúſque magnis editis clamoribus, multis ac grauibus contumeliis inſecuti ſunt. Cupiebant imprimis corpus eius ſicuti ſtatuas trahere & lacerare: ſed cùm dixiſſet Pertinax iam terræ traditũ ac ſepultum eſſe, à corpore ſe abſtinuerunt. In cæteris nihil prætermiſêre, quin iacerẽt in illũ contumelias cuiuſuis generis. Iámque Cõmodum Imperatorẽ appellabat nemo, ſed perniciem ac tyrannum: addebant etiam, illudentes ei, gladiatorem, aurigam, ſcæuam, hernioſum: Senatoribus autem, quibus Cõmodus magno timori erat, turba ita dicebat, Agedum ſalui eſtis, viciſtis. Tum omnia quæ in Theatris dicere in honorem Cõmodi conſueuerant, concinnis quibuſdã clamoribus, ea verſa in contumeliam canebant illudendi cauſa, quòd morte eius omni metu liberati, perciperent ex his rebus fructum libertatis, ac ſecurè liberam dignitatem recuperarent. Nec enim ſatis erat iis, quòd eum non timerẽt amplius, niſi in hac licentia confidenter ei maledicerent. Pertinax autem Lybs erat natione, ex ciuitate Alba Pompeia, patre ignobili, ita in ſtudio literarum verſatus, vt ex iis parcè ac tenuiter viueret. Qua de cauſa cùm Claudio Pompeiano familiaris fuiſſet, obtinuiſſétque tribunatũ equitum, eò peruenit poſtea, vt eidem Pompeiano imperaret. Ego quidem Pertinacis temporibus Pompeianum & primum omnium, & vltimum cognoui, quòd propter timorem Commodi ruri vitam plurimum agebat, ſenectutis & morbi oculorum excuſatione (ſanè poſt mortem Pertinacis iterum ægrotauit) quódque apud Pertinacẽ maximo in honore fuit, cui in Senatu locum ſedẽdi in ſubſellis dedit. Pertinax nobis vtebatur perquàm familiariter, erat enim affabilis: ſententiam cuiuſque audiebat libenter, ſuam ipſe dicebat perhumaniter: agebat nobiſcum moderata & honeſta conuiuia: quòd ſi id non faceret, alia ad alios mittebat, in quibus tamen erat frugaliſſimus. Quamobrem eum diuites & magnifici ridebant: cæteri, quibus virtus luxuria potior erat, laudabamus. Cùm autem adhuc eſſet in Britannia poſt illam magnam ſeditionem quam ſedauit, atque eius rei cauſa dignus laude ab omnibus iudicaretur, Romæ equus nomine Pertinax victor fuit, cuius equi Praſinæ factionis Commodus ſtudioſus erat: cúmque viciſſet, ſtatim conclamatum eſt ab iis qui erant earundem partium, En Pertinax eſt: quo audito, ii qui erant alterius factionis, irati ſci-

Cõmodus hoſtis appellatus.

Equus nomine Pertinax.

licet Commodo, Vtinam quidem eſſet, inquiunt. quæ verba ad hominem, non ad equum referebant. Præterea eundem equum, cùm non curreret amplius, eſſétque ruri confectus ſenectute, Commodus accerſi iuſſerat, adductúmque introduxerat in Circum inauratis vnguibus, ac ſuper aurea pelle ornatum: qui vt primùm de improuiſo comparuit, rurſum conclamatum eſt ab omnibus, Ecce Pertinax adeſt. Id per ſe dictum portendebat futura, præſertim cùm illo anno contigerit poſtremis ludis Circenſibus: ſtatim enim Imperium ad Pertinacem peruenit. Eadem quoque de claua dicta ſunt, quam Commodus functurus muneribus gladiatoriis Pertinaci dederat. Itaque Pertinax Imperium adeptus eſt, ſumpſítque cætera honeſta cognomina, ac præter ea, dum vellet popularis eſſe, Princeps Senatus vetere conſuetudine cognominatus eſt. Tum verò corrigere cœpit omnia quæ fierent ſine ordine & modo: humanitas enim & probitas, & optima adminiſtratio rei familiaris, ac prudentia in publicis rebus gerendis coniuncta pari diligentia, in hoc Imperatore cernebantur. Cúmque cuncta faceret Pertinax quæ bonum principem decerent, eos qui contra ius fáſque interfecti fuerant, ignominiæ nota liberauit, iurauítque ſe nunquam huiuſcemodi pœnam admiſſurum. Itaque cœpêre multi conuocatis propinquis amicíſve cum lachrymis ſimul & gaudio (nam ne id quidem licebat antea) corpora mortuorum effodere, alii integra, alii partes tantummodo, vt mortis genus tulerat, aut tempus, eáque ornata in monumentis maiorum ſepelire. Per id tempus ærarium adeò exhauſtum fuit, vt in eo tantùm inuenta ſint aureorum decem millia. Quamobrem Pertinax vix ex ſtatuis, armíſque & equis, & ſupellectili Commodi, ac pueris quos in delitiis habuerat, pecuniam redegit: vnde Prætorianis quantum promiſerat, ac deinde populo viritim quatuor aureos daret, id quod fecit. Cuncta enim quæ Commodus ad delitias, & ad ludos, in quibus erat armorum exercitatio, & ad currus agitandos comparauerat, vænalia propoſuit, partim vendendi cauſa, partim vt oſtenderet, quibus in rebus, & in quo genere vitæ Commodus verſatus eſſet, atque vt eos qui illa emerent, cognoſceret. Interea Lætus, qui non ſolùm Pertinacem afficiebat maximis laudibus, ſed etiam Commodo malè dicebat, quoſdam Barbaros, qui à Commodo, vt pacem ſeruarent, magnam vim auri acceperant, domúmque reuertebãtur, iuſſit ex itinere reuocari, repetitáque ab eis pecunia, Referte,

Princeps Senatus.

Ærarium exhauſtũ.

XXV Myriades drach.

inquit,domum, Pertinacem Imperatorem esse. Erat enim illis Pertinacis nomen in primis cognitum ex iis quæ passi fuerãt, cùm ipse in exercitu Marci militaret. Contrà autem in contumeliam Commodi id fecit. nam cùm aliquot plebeios homines & scurras, quibus facies quidẽ deformes, sed nomina & instituta vitæ multò erant turpissima, contumeliæ ac petulantiæ causa Commodus locupletauisset, horum nomina & bona Lætus proscripsit:quorum alterum risum populo,alterum stomachum mouit,ac magnam molestiam exhibuit. Tãtæ enim erãt eorum facultates,quantas habuerant plærique senatores, quarum causa Commodus mortem eis attulerat. Neque verò Lætus perpetuam fidem seruauit Pertinaci, vel potius ne paulum quidem.Nam cùm ea quæ cuperet,non esset consecutus,milites,vt paulò pòst dicemus, contra eum concitauit.Pertinax autẽ Flacco Sulpitiano socero suo præfecturã Vrbis detulit. is dignꝰ erat eam dignitatẽ consequi. Vxorem verò suam Augustã, aut filium Cæsarẽ,licet nobis decernẽtibus, fieri noluit, sed vtrunq; repudiauit funditus,vel quòd Imperium nondũ planè cõfirmauerat, vel quòd nolebat petulantem fœminam Augustæ nomẽ polluere: neque passus est filiũ puerum adhuc,antè quàm erudiretur, sacramento obstringi, aut spe nominis corrumpi. Non enim educabat eum in Palatio,sed quo die principatum est adeptus,omnes suas facultates inter liberos distribuit: erat enim ei filia, eósque apud auum educari iussit, cum iísque vt pater, non vt Imperator,erat, ídque perraró. Cùm autem non liceret amplius militibus rapere,aut Cæsarianis omnia pro libidine agere,vtrisque in odium acerbissimum venit. Cæsariani, quòd inermes sint, nihil moliuntur: Prætoriani verò milites Lætúsque contra eum coniurant, ac primùm omnium Falconem consulem,qui nobilitate & opibus clarus erat, Imperatorem deligũt, eúmque,quòd tum fortè Pertinax esset in mari, vt rei frumentariæ prouideret,in castra ducere constituunt. Eo cognito, Pertinax Romã properè reuertitur,dein in Senatum venit,ac pauca in hanc sententiam dicit. Nolo vos latere Patres Conscripti, me,cùm in ærario duntaxat ad decem millia aureorum inuenerim,non minus quàm Marcus & Lucius militibus dedisse,quibus principibus relicta fuerant aureorũ ducenties septuagesies centena millia. Cuius egestatis causa fuerunt boni Cæsariani. Sed Pertinax in eo mentiebatur,quòd se militibus parem pecuniã cum Lucio & Marco dedisse diceret: illi enim ducentos aureos viritim dederant,hic centum viginti.Hanc ob causam mi-

Lætus cũ Prætorianis cõtra Pertinacem coniurat.

XXV Myriades drach.

Sex Myriades, septem millia Myriadũ, quibus Myriades drach

Quinque millia drach.

Tria millia drach.

lites ſimul & Cæſariani, quorum tum magnus numerus aderat in Senatu, tulêre ac murmurauêre grauiter. Cùm autem nos eſſemus Falconem damnaturi, ſurrexit Pertinax, atque ita exclamauit, Abſit, inquit, vt me tenẽte principatum, vllus Senator vel iure interfici iubeatur. Lætus verò occaſionem nactus, ſimulata cauſa contra Falconem, magnum numerum militum, quaſi id faceret iuſſu principis, occidi iuſſit. Id vbi cæteri intelligunt, metuúntque ne ipſi quoque intereant, tumultuantur. Ex iis ducenti audaciores cæteris in Palatiũ diſtrictis gladiis contendunt, quorum aduentum non antè cognouit Pertinax, quàm illi conſcendiſſent, accurriſſétque vxor eius, eíque rem omnem ſignificauiſſet. Eo verò cognito, facinus ſiue forti & magno viro dignum, ſiue ſtulto, vt quis volet appellare, fecit. Nam cùm poſſet facillimè irruentes concidere (quippe ei excubiæ nocturnæ, & equites in armis erant, magnúſque numerus hominum aderat in Palatio) vel ſaltem abdere ſe, & clauſis portis Palatii, cæteríſque ianuis interiectis aufugere, neutrum eorum fecit: ſed ratus ſe aſpectu eos eſſe perterrefacturum, & perſuaſurum oratione, iis qui iam domi erant, proceſſit obuiam. nec enim ab aliis militibus prohibiti ſunt, ianitoreſque & reliqui Cæſariani nõ modò non clauſerunt portas, ſed etiam aditus omnes patefecerũt. Vt primùm videre Pertinacem milites, omnes pudere cœpit, præter vnum, iámque demiſſis capitibus terram intuebãtur, & gladios in vaginis recondiderãt, cùm ille impudens miles proſiliens ad eum, Hunc tibi, inquit, milites gladium mittunt. quo dicto, ſtatim irruit, eúmque percuſſit: non enim prohibuerunt cæteri milites, ſed Imperatorem ſuum vnà cum Electo occiderunt. Nam is ſolus nunquam Pertinacem deſeruit, ſed ei ſemper, quoad potuit, opem tulit, ac pleróſque milites vulnerauit. Quem ego virum bonum cùm antea ſemper exiſtimauerã, tum verò maximè ſum admiratus. Milites abſciſſum Pertinacis caput haſta tranſfigunt, eóque facto gloriantur. Ita Pertinax, dũ conatur emendare omnia breui tẽporis ſpatio, moritur, neque nouit homo multarum rerũ peritus, multa ſimul tutò corrigi nõ poſſe: ſed ſi quid aliud in rebus humanis, tum in primis ciuilem ſtatum tempore egere & cõſilio. Vixit annos LXVII, quatuor menſibus, & tribus diebus exceptis. Regnauit dies LXXXVII.

Pertinax occiditur à militibus.

Didius Iulianus.

RENVNTIATA cæde Pertinacis, alii domum ſuam ſe recipiunt, alii in ædes militum contendunt, in primis quiſque ſuæ ſaluti proſpicit. Sulpitianus autem, quem Pertinax ad ſedandos prætorianos milites in caſtra miſerat, in iis manebat interim, agebátque, vt à militibus ipſe Imperator deſignaretur. Interea Didius Iulianus homo pecuniоſiſſimus, & profuſa luxuria, ac nouarum rerum cupidus, quibus etiam de cauſis Mediolanum in patriam à Commodo relegatus fuerat, vt primùm cædem Pertinacis intellexit, properè ad exercitū contendit. Cúmque ad portas muri veniſſet, petere cœpit à militibus Romanum Imperium. Hìc res Vrbi turpiſſima, atque indigniſſima populo Romano accidit. Roma enim vnà cū Imperio, quaſi in foro aut mercatu vænalis propoſita eſt, eámque vendebant ii qui Imperatorē ſuum occiderant. Emebant autem Sulpitianus & Iulianus, factis contra ſe mutuis licitationibus (ille intus, hic foris erat) atq; auctione paulatim ab iis facta, eò ventum eſt, vt ſingulis militibus ducentos aureos daturos ſe promitterent: nam milites vtrique ſeparatim renuntiabant, quantum alter eorum daret, dicebántque Iuliano, Sulpitianus nobis hanc ſummam dat, quid tu adiicis? Itémque Sulpitiano, Iulianus nobis tãtundem promittit, quid tu præterea polliceris? Potior fuiſſet Sulpitianus: quippe intra caſtra, & præfectus Vrbis erat, priórque ducentos aureos promiſerat, niſi Iulianus non ſenſim amplius, ſed ſimul ad ſuperiores ducentos aureos, alteros quinquaginta adieciſſet, eámque ſummam magno edito clamore in manibus oſtendiſſet. Tanta enim acceſſione permoti milites, metuentéſque ne Sulpitianus factus Imperator cædem Pertinacis vlciſceretur, quod Iulianus aiebat fore, hunc recipiunt, & Imperatorem deſignãt. Itaque Iulianus in forum, atque in Senatum ſub veſperum deducitur, comitatus magno numero prætorianorum, quibus ſigna aderant multa, non ſecus, quàm ſi eos educeret ad aliquod facinus, ídque faciebat, quò nos, populúmque perterrefaceret. Illum enim magni faciebant milites, & Commodum appellabãt. His cognitis rebus, nos, vt cuique nuntiatum eſt, in timorẽ

Sulpitianus.

Iulianus Mediolanenſis.

Vænale imperium.

Quinquemillia drach.

Mille ducentæ quinquaginta drach.

Iuliani

Iuliani militumque venimus,& maximè ii qui Pertinaci familiares fuerant. Fui ego ex eorum numero : me enim Pertinax, præter alios honores quos mihi tribuerat,etiam prætorem deſignauerat. Iulianum verò ſæpe in cauſis agendis, cùm patrocinium aliquorũ ſuſcepiſſem,oſtenderam iniuriam feciſſe: tamen quòd tutũ non videbatur eſſe domi remanere, ne propterea in ſuſpicionẽ veniremus, ſub iugum ſeruitutis miſſi & cœnati conuenimus,impulſíque à militibus,introimus in Senatum. Ibi Iulianum multa digna ſe dicentem audiuimus:atque illud in primis, Video vos, inquit, Imperatore carere, méque Imperio digniſſimum eſſe . Dicerem autem apud vos de meis virtutibus, niſi eas perſpectas atque cognitas haberetis, méq; antea experti eſſetis. Quamobrem mihi opus fuit perpaucis militibus, ſoluſque ad vos veni, vt ea quæ mihi ab illis data ſunt,cõfirmetis. Solum enim ſe veniſſe dicebat is, qui & foris armatis militibus ſeptus & munitus erat,& in ipſo Senatu complures habebat: odii quoque noſtri in ipſum & timoris videlicet ſibi conſcius,mẽtionem fecit. Itaque adeptus Imperium, & confirmatus Senatus authoritate, in Palatiũ proficiſcitur: vbi cùm inueniſſet cœnam paratam Pertinaci, ſtatim cœpit ei illudere, accerſitíſque, vnde tum potuit,pretioſiſſimis quibuſque rebus,mortuo adhuc intus iacente,cõpleuit & apparauit omnia, luſítque aleis,& Pyladem ſaltatorem cum quibuſdam aliis admiſit . Poſtridie eius diei nos ad eum venimus,ſimulantes & diſſimulantes multa,ne mœrere videremur. Populus erat in aperta mœſtitia, ita vt diceret quicquid ſibi collibuiſſet,cõparabátque ſe,vt poterat.Tandẽ cùm ille veniſſet in Senatũ, eſſétque Iano,qui erat ante fores Curiæ, ſacrificaturus,vno ore cõclamatũ eſt ab omnibus,eũ rapuiſſe Imperiũ,& paricidã eſſe. Hîc ille diſſimulat,ac ne videatur ferre grauiter,eis pecuniã promittit.Illi ſuccẽſent vehementius,quòd vellet ipſos pecunia corrũpere, exclamántq; omnes, Nolum⁹,nõ accipimus.Quodvt audiuit Iulian⁹,diutius teneri nõ potuit,quin proximos quoſq; interfici iuberet.Popul⁹ ea re multò grauius cõcitatus,non deſinebat Pertinacẽ deſiderare,Iuliano maledicere, deos inuocare,ac milites execrari. Quinetiã multi in pleriſque locis Vrbis ſaucii, ac penè interfecti reſiſtebant. Ad extremum arma omnes capiunt , & in Circum vndique concurrunt: ibi tranſigunt eam noctem, & poſterum diem ieiuni, ita vt ne aquam quidem biberent. Tum verò auxilium cæterorum militum , & præſertim Nigri Peſcennii, eorúmque qui cum ipſo erant in Syria,implorant & flagitant. Tandẽ verò

Dion prætor deſignatus à Pertinace.

Inſolens oratio Iuliani in Senatu.

Ianus ante fores Curiæ.

Motus populi contra Iulianum.

Niger Peſcennius.

fame coacti, defatigatíque labore & vigilia, abeunt, & ab armis diſcedũt, dum expectant externa auxilia. Iuliano occupato hoc modo Imperio, res agere cœpit homine libero indignas, blandiri Senatui, & potentiſſimis quibuſque, multa eis promittere & largiri, arridere obuiis, frequentare Theatra, multa conuiuia agere: poſtremò nihil prætermittere, quod ad nos fouendos deliniendóſque ſpectaret. ſed nemo noſtrum ei fidebat, erátque ſuſpecta omnibus immoderata eius aſſentatio. Nam quod extra modum fit, licet putetur quibuſdam eſſe gratũ, tamen prudentibus fraude carere non videtur. Quæ cùm Romæ facta ſint, nunc quid foris actum ſit, dicendũ eſt. Erant tres viri, Seuerus, Niger, Albinus, quorum ſingulis ſuberant tres exercitus populi Romani, & complura externa auxilia: hi rempub. capeſſunt: Albinus præerat Britanniæ, Seuerus Pœoniæ, Niger Syriæ. Hos viros tres ſtellæ ſignificabant, quæ viſæ de repente circum ſolẽ fuerunt Calendis Ianuarii, cùm Iulianus ante curiam ſacra faceret nobis præſentibus. Erant enim adeò conſpicuæ, vt eas milites perpetuò inſpicerent, & inuicem cõmonſtrarent: dicerentque Iuliano magnum aliquod malum impendere: nos autem, quanquam id optabamus, & ſperabamus fore, tamen eas apertè intueri non audebamus timoris cauſa: ídque ego factũ eſſe certò ſcio. Ex tribus autem ducibus, de quibus paulò antè dicebam, Seuerus potentiſſimus & prudentiſſimus erat. Is cùm præcognouiſſet fore, ſublato Iuliano vt ipſi inter ſe de Imperio cõtenderent, ſtatuit propinquiorem ſibi deuincire, dedítque literas homini fideli ad Albinum, per quas eum Cæſarem faciebat. Nigrum enim noluit, qui ſe propterea efferebat, quòd eius fidem atque auxilium populus implorauerat. Itaque Albinus, qui ſe Seueri ſocium in principatu ſperabat fore, de loco non abiit. Seuerus autem deuincta ſibi omni Europa, præter Byzantium, Romam contendit: nuſquã diſcedit ab armis, ſed delectis ſexcẽtis optimis militibus, medius inter illos dies noctéſq; verſatur. nec enim illi thoracem vnquam exuerunt, antè quàm Romam veniſſent. His cognitis rebus, Iulianus Seuerum hoſtem iudicat de authoritate Senatus, comparátque ſe, vt cum eo pugnet. Per eos dies Romæ tanquam in hoſtili terra nihil fuit aliud, quàm caſtra. Fuit magnus tumultus manẽtium exercentiúmque ſe equorum, hominum, elephantum. ab armatis ingens timor reliquis ciuibus iniectus eſt. Nos interdum vix riſum tenebamus, quòd prætoriani nihil facerent dignũ ſuo nomine, aut promiſſis: quippe molliter & delicatè viuere didice-

Albinus Britãniæ: Seuerus Pœoniæ: Niger Syriæ præerant.

Seuerus Albinum Cæſarẽ facit per literas.

Iulianus Seuerum hoſtẽ iudicat.

rant,& quòd milites eius classis,quæ apud Amisenum erat, accersiti,quemadmodum se exercerent, nescirent, nec elephanti infensi equis homines ferrẽt. Præsertim verò ridebamus, quòd Palatium circundatum cancellis,& firmissimis ianuis clausum erat.Nam cùm videretur Pertinacem nunquam facilè occisum fuisse à militibus, munito hoc modo septóque Palatio,credidit se, si fortè vinceretur, conclusum in eo superstitem esse victurum. Is Lætum & Martiam interfecit, ita vt omnes qui contra Commodum coniurauerant, interierint. Narcissum enim Seuerus postea bestiis obiecit, præcone ita pronuntiante , Hic est, qui Commodũ suffocauit. Plerosque pueros occidit,causa Magicarũ artium, ita vt si fortè, quod futurum erat, præcognouisset,id posset auertere.Crebrò misit ad Seuerum,qui eum ex insidiis interficerent. Sed postquam ille in Italiam venit, Rauennámque cepit nullo labore,atque ii quos Iulianus contra eum miserat,vt vel ei persuaderent reuerti,vel prohiberent aditibus, ad ipsum defecerunt,ac prætoriani,quibus Iulianus magnopere confidebat, perpetuis laboribus defatigati, allatísque rumoribus, de aduentu Seueri grauiter perterriti sunt. Iulianus nos cõuocat,iubétq; vt Seuerũ socium Imperii decernamus.Interea Prætoriani persuasi Seueri literis, se,si modò interfectores Pertinacis dederent, & ab armis discederent,nullum damnum passuros,interfectores comprehendunt,idque factũ esse Silio Messalæ Consuli significant. Hîc Consul nos conuocat in templum Mineruæ, quod templum nomen traxit ab exercitatione eorum qui in ipso erudiuntur, & quid factum sit à militibus,exponit. Nos Iuliano capite damnato, Seuerum Imperatorẽ appellauimus,& Pertinaci heroicos honores reddidimus. Itaque Iulianus interfectus est,iacẽs in Palatio,nihílque dixit percussorib⁹,nisi,Quid ego peccaui,aut quem interfeci? Vixit annos LX, menses IIII, dies totidem. ex quibus imperauit dies LXVI.

Palatium circundatum cãcellis.

Lætus & Martia interfecti.

Narcissus bestijs obiectus.

Pueri ad Magicas artes interfecti.

Templum Mineruæ.

Iulianus capite damnatus.

Seuerus.

SEVERVS posteaquam ita Imperator factus est, eos qui Pertinacem occiderant, morte mulctauit: cæteros prætorianos, priusquã ipse Romam veniret, accersi iussit, iisque in planitie conclusis, ignarisque eius quod sibi erat euenturũ, scelus, quod contra Imperatorem suum admiserant, acerbè & pluribus verbis exprobrauit: deinde arma equósq; abstulit, ipsos ex Vrbe eiecit. Hi inuiti abiectis armis, equísque dimissis, ac discinctis sagis dispersi sunt. Vnus ex iis fuit, qui, cùm equus nollet ipsum deserere, sequeretúrque hinniens, illum, séque interfecit: atque is equus spectantibus libenter mori visus est. His confectis rebus, Seuerus in Vrbem venit: cúmque sedisset in equo vsque ad portas Vrbis, amictus veste equestri, vrbana indutus, pedibus introiit. Comitabatur eum omnis exercitus, pedites equitésque armati cõsequebantur: fuítque illud spectaculum omnium, quæ vidi vnquam, magnificentissimum. Nam Vrbe tota floribus & laureis coronata, ornatáque variis vestibus, in magno splendore luminum & suffimentorum populus acclamabat albatus, lætúsque: milites, vt in magno cõuentu & pompa, cum magno decore incedebant armati: nos aderamus ornatu Senatorio: multitudo contendebat illum videre, & audire loquentem, quasi à fortuna immutatus esset, attollebántque se vicissim, vt ipsum de superiore loco intuerentur. Postquam ingressus est in Vrbem, nobis confirmauit ea quæ superiores boni principes fecerant, videlicet nullum Senatorem suo iussu interfectum iri, ídque non solùm iurauit, sed præcepit etiam, vt publico decreto sanciretur, Imperatorem, si Senatori mortem afferret, eúmque cuius opera ad eam rem vteretur, liberósque ipsorum hostes reipublicæ futuros. Verùm is primus omnium contra hanc legem fecit, quòd ea minimè obseruata, multos sustulit. In his fuit Iulius Solon, qui superius decretum iussu Imperatoris conscripserat, nec ita multò pòst occisus est. Cúmque multa fierent ab eo quæ nobis displicebant, tum imprimis accusabant eum multi, quòd cùm esset consuetudo, vt stipatores principis Itali, Hispani, Macedones, & Norici tantùm essent, quorum aspectus iucundus, & mores suaues erant, hunc ipse morem sustulit, Vr-

Equus nolens dominum deserere.

Iulius Solon occisus.

Stipatores principis.

bémque multitudine permixtorum militum, terribiliúmque aſpectu, & auditu horribilium, ac feræ agreſtiſque vitæ repleuit. Cæterùm prodigia, ex quibus principatū ſperauerat, hæc fuerunt. Cùm eſſet in ordinem Senatorium cooptatus, viſus eſt in ſomnis videre, ſe tanquam Romulum lactentem, inhiantémque vberibus lupinis. Cúmque eſſet Iuliam vxorē ducturus, Faſtina Marci vxor apparauit vtríque thalamum iuxta Palatium in templo Veneris, eíque dormienti aqua aliquando è manu tanquā ex aliquo fonte emanauit. Itémque Lugduni cùm prætor eſſet, omnis exercitus pop. Romani eum venit ſalutatum in ſomnis. Præterea alio tempore quidam eum in ſpeculam adduxit, ex qua ipſe perſpexit vniuerſam terram, maréque: quæ cùm non ſecus quàm inſtrumentum muſicum pulſauiſſet, in iis plurimus concentus erat. Ad hæc vidit in foro Romano equū deiecto Pertinace, qui in ipſum aſcenderat, ſe libenter admiſiſſe. Quæ omnia cùm ex ſomniis intellexerit Seuerus, tum cùm ephebus eſſet, conſedit in ſella principis propter imprudentiam. qua ex re atque cæteris omnibus futurum Imperium ei denūtiatum eſt. Quod vbi obtinuit, monumentum Pertinaci fecit, eiuſque nomen in votis & ſacramentis omnibus iuſſit vſurpari, præcepítque, vt ſtatua eius aurea curru ab elephantis veheretur in Circum, vtque ei tres ſellæ aureæ in reliqua Theatra perferrentur. Huic funus, etſi dudum obierat, ita factū eſt. Extructum erat in foro Romano tribunal ligneū coloris lapidei: ſuprà fuit ædificium, quod columnæ vndique ſuſtinebant, erátque ebore variè ornatum & auro: eò allatus fuerat lectus conſimilis, cui ſtragulis purpureis atque auro intextis ornato, erant circùm capita belluarum terræ maríſque, in eóque poſita erat ſtatua Pertinacis cerea ornatu triumphali, à qua puer egregia forma, ita vt ſi dormiret Pertinax, pennis pauonis muſcas abigebat. Eo ita iacente, Seuerus, noſque Senatores, vxoréſque noſtræ acceſſimus funebri veſtitu: illæ in porticibus, nos ſubdio ſedebamus. Quibus ita diſpoſitis, primò tranſierunt ſtatuæ omnium veterum Romanorum illuſtrium: deinde nationes omnes ſubiectæ Imperio Romano in ſtatuis æneis ornatis, vt eſt cuiuſque gētis patria conſuetudo. Sequebātur pòſt varia genera ciuium, lictorū, ſcribarum, præconū, & qui ſunt eiuſdē generis. Veniebāt deinceps ſtatuæ multorū virorum, quos præclarè feciſſe aliquid, aut excogitaſſe, aut in aliquo ſtudio floruiſſe conſtaret. Subſequebātur equites ac pedites armati, certatores equi, atque ea quæ ad parentandum pertinebant, quæ ab ipſo principe,

Prodigia Seueri.

Iulia uxor Seueri.

Exequiæ Pertinacis magnificæ.

& à nobis, vxoribúſque noſtris, & à clariſſimis equitibus ac populis, & à cõgregationibus ciuium miſſa fuerant. Poſtremò ferebatur altare inauratum, ornatúmque ebore & lapillis Indicis.

Seuerus facit laudationem Pertinacis.

Quæ poſtquam tranſierunt, Seuerus aſcendit in Roſtra, & laudationem Pertinacis recitauit. Cúmque oraret, crebrò exclamatum eſt à nobis, partim laudantibus Pertinacem, partim lugentibus: ſed oratione habita, multò magis. Ac tandem cùm lectum de loco, in quo erat, moueri oporteret, omnes ſimul lamẽtati ſumus, ac fleuimus. Lectum tulêre à tribunali pontifices, & magiſtratus, non modò qui tum erant, ſed etiam ii qui fuerant in ſequentem annum deſignati, eundémque poſtea tradidêre nonnullis equitibus vt ferrent. Pars noſtrum lectum anteibat, ex quibus multi frangebantur dolore, multi canebant flebile carmen ad tibias, Imperator poſtremus ſequebatur. ita in campum Martiũ venimus. Hîc extructus erat rogus inſtar turris, forma trianguli, ebore & auro, ac nõnullis ſtatuis ornatus. In ſummo eius, currus inaurat⁹, quo Pertinax olim vehebatur, collocatus erat. In hunc rogum coniectis primò iis quæ allata fuerant parentandi cauſa, lectus impoſitus eſt. Pòſt Seuerus, propinquíque Pertinacis ſtatuam eius oſculantur. Quo facto Imperator tribunal conſcendit, nos Senatores, exceptis magiſtratibus, in tabulata conſcendimus, vt tutò ſimul & commodè ſpectaremus ea quæ gererentur. Magiſtratus & equeſtris ordo collocati ſunt ex ordine, vt cuiuſque dignitas poſtulabat. Hîc cõfecêre milites, equites, atque pedites circum rogum curſus vrbanos & confictos: iíſque peractis curſibus, Conſules rogum incenderunt. Quod cùm eſſet factum, aquila ex rogo euolauit: itaque Pertinax immortalitate donatus eſt. His confectis rebus,

Bellum cum Nigro.

Seuerus Nigro bellum intulit. Erat Niger Italus, equeſtríſque ordinis, homo nec virtute clarus, nec vitiis admodũ inſignis, ita vt ob eam cauſam nec laudari multum, nec vituperari poſſet. V-

AEmylianus legatus Nigri.

tebatur legato exercitus AEmiliano, aliíſq;. AEmilianus præſtare videbatur cæteris, qui tum conſilium dabant, prudentia vſúque maximarum rerum, quòd in multis nationibus ſpectatus & probatus erat. Igitur Niger, cùm bellum motum eſſet, venit Byzantium, inde Perinthum exercitum duxit. Sed cùm nonnulla prodigia ei minus eueniſſent proſpera, vehementer perturbari cœpit. Nam aquila, quæ in ſtatua militari conſederat, in ea licet abigeretur, conſtitit, quouſque capta eſt, apéſque in ſignis militaribus, & maximè in ſtatuis ipſius fauos finxerũt. his de cauſis ipſe Byzantium reuertit. AEmilianus autem com-

missō prælio apud Cyzicum cum quibusdam ducibus Seueri, ab eis victus & interfectus est. Post hæc in angustiis Nicææ & Cii prælium magnum variúmque factum est, dum Nigriani in planitie pugnarent cominus, & Seueriani occupatis collibus tela ex locis difficillimis in hostes coniicerent: illi contrà nauigia quæ in lacu proximo erant, conscenderẽt, atque inde iacularẽtur. Primò superiores erant Seueriani, quos Cãdidus instruxera, propter locorum, ex quibus pugnabant, difficultatem. Sed posteaquã Nigriani conspecto Nigro, Seuerianos insecuti sunt, victoria apud ipsos fuit. Quod vbi animaduertit Candidus, signiferos acriter increpat, conuerti contra hostes iubet, fugã militibus obiicit. Hi pudore adducti, conuersíque in hostes irruũt, eósque pugnando vincũt: quos etiam perdidissent funditus, nisi propè adfuisset ciuitas, nóxque prohibuisset obscura, quò minus id facerent. Hoc prælio facto, rursum apud eas, quæ Pylæ nominantur, æqualis acríque pugna commissa est. Præerant exercitui Seueriano Valerianus & Anylinus: Niger ipse legiones suas instruxerat: Locum, in quo pugnatum est, propter angustiã, Cilicianas Pylas nominãt, quod ex altera parte impendent prærupti montes, ex altera magna præcipitia in mare porriguntur. Hic Niger collocato exercitu in colle natura sua munito, antè milites grauis armaturæ, pòst iaculatores, funditoréque & sagittarios instruxit, vt & illi irruentes hostes cominus arcerent, & hi eminus super illos viribus suis vterentur. A dextra læuáque tutus erat, partim propter præcipitia, quæ ad mare spectabant: partim propter syluam, quæ difficili ascensu atque arduo erat. Instructo in hunc modum exercitu, impedimenta à tergo collocat, vt si quis fugere cupiat, tamen non possit. Qua re animaduersa, Anylinus primùm opponit scutatos: post eos instruit omnes milites leuis armaturæ: hos, vt hostes eminus pro illis arceant: illos, vt tutum ascensum sibi præstent. Equites misit cum Valeriano, vt syluam, quoquo modo possent, circumirent, iussítque vt Nigrianos à tergo de improuiso adorirentur. Posteaquam ventum est ad manus, Seuerianis partim scuta opponentibus, partim obtendentibus in modũ testudinis, atque ita propius ad hostes accedentibus, pugna vtrinque diutissimè æqualis fuit. Cœpêre Nigriani multitudine & natura loci superiores esse, vicissémtque omnino, nisi cœlo sereno, & nulla vi ventorum perturbato, nubes & horribilia tonitrua, ac vehementes fulgores cum maximo imbre extitissent, ita vt his rebus ora atque oculi ipsorum magnopere læderentur. Quæ res vt molestiam

Pugnatum est apud Cyzicũ.

Prælium alterum in angustiis Nicææ & Cij.

Candidus.

Tertium prælium apud pylas Ciliciãnas.

non exhibebant Seuerianis, quòd à tergo essent, ita Nigrianos, quòd irruerent ex aduerso, maximè cõturbabant. Itaque is casus animos addidit Seuerianis, quibus Deus opem ferre videbatur: hostibus timorem fecit, quòd expugnarentur diuinitus: cõfirmauítque illos suprà quàm poterant: hos, cùm magnis essent viribus, perterrefecit. Quibus iam se fugæ mandantibus Valerianus apparuit: hunc vt vident, sese statim conuertunt: sed cùm eos Anylinus ex altera parte arceret, rursum terga vertunt, & sursum deorsum currentes, vt casus incidit, vagãtur. In hoc prælio maxima cædes facta est: desiderata sunt enim Nigrianorũ viginti millia. quam cladem somnium sacerdotis antè significauerat. Nam cùm Seuerus esset in Pannonia, sacerdos Iouis vidit in somnis nigrum quẽdam hominem, qui irrueret in exercitum Seueri, ac postea manibus hominum conficeretur. Cuius somnii facta interpretatio ad Nigrũ pertinuit nominis causa. Capta non multò pòst Antiochia, Niger ex ea ad Euphratẽ confugit, ratus hoc vnum sibi ad Barbaros perfugium futurum: sed eum insecuti Seueriani capiunt, eíque caput abscindunt: id Seuerus misit Byzantium, & cruci affigi iussit, vt eo viso capite Byzantii ad se accederent. His rebus gestis, Seuerus eos qui partes Nigri secuti fuerãt, damnare cœpit, ex quibus Cassius Clena Senator cùm ab eo damnaretur, non modò verum non celauit, sed etiam liberè in hanc sententiam dixit, Ego, inquit, te antè æquè ac Nigrum ignorabam. Cùm autem casu factum esset vt partes illius sustinerem, necessariò quod mihi sors obtulerat, sum secutus, non vt tibi bellum inferrem, sed vt Iulianũ opprimerem. Nihil igitur in hac re peccaui, quòd principiò iisdem rebus studui quas tu agebas, & quòd ad te postea relicto eo qui mihi datus erat diuinitus, non defeci. Neque enim tu quenquam eorum qui tecum erant, & tuam causam defendebant, voluisses proditorem ad illum perfugere. Noli igitur nostra corpora aut nomina æstimare, sed res ipsas. Etenim omnia quæ contra nos statues, ea contra te sociósque tuos decernas necesse est. Quod si tu nullo iudicio aut sententia damnaberis, tamen opinione hominum, quã nulla vnquam delebit obliuio, videberis ea quæ nobis acciderunt, in cæteris reprehendere. Seuerus hominis licentiam admiratus, libertatémque loquendi, ei dimidiam partem bonorum concessit. Byzantii autem non solùm Nigro viuo, sed etiam mortuo multa, eáque admirabilia gesserunt. Eorum vrbs sita in opportuno loco, propter continentem quam habet vtrinque, & mare quod medium intercedit, loci

Niger obtruncatur.

Cassius Clena se purgat honestis rationibus.

Byzantij topographia.

dit, loci Bosphoríque natura munitissima est. Nam cùm ædificata sit in edito loco, pertinet ad mare, quod veluti torrẽs fertur ex Põto, & in extremam vrbem labitur, flectitúrque aliqua ex parte ad dexterã, vbi sinum & portum facit: magna verò ex parte in Propontidẽ prope ipsam vrbem, ac celerius multò defluit. Habebat verò mœnia munitissima, quorũ dorsum exterius extructũ erat magnis & quadratis lapidibus, tabulis inter se ex ære coniunctis: interius aggeribus ædificiísque ita fuerant munita, vt tantùm vnus murus firmissimus esse videretur, super quem ambulari poterat, opertúsque erat, & ad custodiendum facilis. Aderãt & magnæ turres ædificatæ extrinsecus, quæ circùm fores habebant, per quas ad ipsas trãsiretur vicissim, ita vt qui eas circumirent, intus offenderent sese. non enim rectè, sed paulò obliquius aliis atque aliis locis ædificatæ, omnia quæ interessent, circuibant. Ingens erat propugnaculum atque altum è regione continentis, vt facilè eos qui ipsum inuaderent, arceret. Ea quæ mare spectabant, erant minora, propterea quòd scopuli, in quibus erant ædificata, & vehemens impetus Bosphori Byzantios tutos mirabiliter præstabat, & quòd vterque portus intra murum cathenis conclusus erat. Habebat etiam portus promontoria, in quibus erant altæ turres, quæ hostibus nauigationem difficilem efficerent: sed Bosphorus imprimis proderat Byzantiis, in cuius fluxum si nauis semel venerit, ad terram appellat necesse est. Quæ res vt est amicis gratissima, ita hostibus molestissima est. Neque verò Byzantium ita solummodo munitum fuerat: sed erant insuper in eo machinæ cuiusuis generis, ad quoslibet muros deiiciendos paratæ, quibus coniiciebant in hostes partim saxa grandia, si quando propius accederent, trabésque, partim emittebant lapides, telaque atque hastas, si abessent longius, ita vt nemo ad ea loca, quæ satis magno interuallo distarent ab vrbe, posset accedere sine periculo. Inerant nonnullis machinis harpagones, quas emittebant, retrahebántque celeriter. Harum nauium atque machinarum magnam partem Priscus municeps meus fecerat: quam ob causam postea & reus capitis factus, & absolutus est. Nam Seuerus cognita eius arte, vetuit ipsum morte mulctari, eiúsque opera deinceps cùm in multis aliis rebus, tum in Atrorum expugnatione est vsus. Solæ enim machinæ, quas ille fecerat, non sunt à Barbaris exustæ. Byzantiis naues fuerant quingentæ, quæ magna ex parte vniremes, nonnullæ etiam biremes erãt & rostratæ: quædam à prora puppíque clauis.

Priscus municeps Dionis.

& gubernatoribus inſtructæ, vtrinque nautas habebãt, quò abſque mora nauigarent, & retrocederent, & quò poſſent, vtrumuis facerent, hoſtes offendere. Igitur Byzantii illis quidem temporibus multa egerunt, multa etiam paſſi ſunt, dum trium annorum ſpatio obſiderentur à cunctis ferè orbis terræ exercitibus. Ego pauca ex iis referam, quæ nonnullam admirationem habent. Capiebant enim quædam nauigia, dum hoſtes in iis præternauigarent, quos ipſi adoriebantur opportunè. Capiebant præterea triremes in ipſa ſtatione hoſtium, quas præciſis ancoris per ſubmiſſos vrinatores, & affixas clauis ad ſeriem remigii ipſarum, religatáſque funiculis trahebant ita, vt illæ ſua ſponte curſum ad ipſos tenere viderentur, nullis remigibus aut vento incitatæ. Iam verò ab iis plerique mercatores volentes capiebãtur vt inuiti, qui poſtquam magno pretio vendidiſſent ea quæ conuexerant, aufugiebant. Conſumptis verò rebus omnibus quæ intus erant, Byzantii in ſummas anguſtias adducti, ac iam rebus ſuis diffidentes, primò quidem licet afflicti vehementer, quòd erant vndique intercluſi, tamen fortiter reſiſtunt, vtũtúrque materia ædium ad naues, & funiculos ex mulierum capillis faciunt: cúmque hoſtes murum inuaderent, lapides ex Theatro iacere, & equos ex ære, ſtatuáſque æneas integras cœperunt. Poſtquam cibus vſitatus eos defecit, comedêre pelles animaliũ maceratas, quibus poſtea conſumptis, magna pars nauigat obſeruatis procellis, cæteríſque tempeſtatibus, vt eis nemo poſſit occurrere: ídque faciunt, vt vel intereant, vel commeatum comparent. Tum verò magno impetu & inopinato irruunt in agros, cunctáque eodem modo prædantur. Qui remanſerant in vrbe, facinus grauiſſimum fecerunt: nam vt fuêre debilitati, cœperunt mutuò contra ſe conuerti, ſéque inter ſe comedere. Dum hæc ab aliis geruntur, pars & quidem ſupra vires ſuas naues cóſcendit, ſoluítque explorata pariter magna tempeſtate: quæ res tamen nihil eis proderat. Nam Romani vt videbant eos defeſſos, nec procul à terra nauigare, cõtrà ferebantur, irruebántque in eos diſperſos, vt ventus & tempeſtas tulerat, ita vt nullo facto prælio nauali, perpetuò eorum naues frangerent, earúmque partem impellerent contis, partem vectibus confringerent, nõnullos impetu ſuo ſubuerterẽt. Illi, ſi maximè voluiſſent, tamen nihil poterant efficere: quòd ſi conabantur fugere, aut ſubmergebantur, quòd ventus erat vehemẽs, aut capti ab hoſtibus peribant. Hæc dum intuerentur ii qui erant in vrbe, deos inuocabant magnis editis clamoribus, ídque faciebant in variis locis,

vt quiſque in id ſpectaculum inciderat. Sed poſtquã omnes ſuos vident penitus interire, tum frequentes gemitu complẽt omnia & lamentatione, ex eóque tempore, quod erat reliquum diei, noctémque totam flent atque lamentantur. Tot enim erant tabulæ fractarum nauium, vt earum nonnullæ in inſulas & in Aſiam perferrentur, ex quibus illæ gentes cladem Byzantiorum antè, quàm eam audirent, cognoſcerent. Poſtero die multò maior fuit calamitas: nam vbi tempeſtas ceſſauit, mare proximum Byzantio mortuis, fractiſque nauibus, & ſanguine refertum erat, atque horum partem in continentẽ reiecerat. Quibus perſpectis rebus, accepta clades multò grauior eſt viſa. Ita Byzantii inuiti ſtatim vrbis deditionem faciunt. Hac deditione facta, Romani, milites Byzantiorum, eóſque omnes qui magiſtratum apud illos gerebant, occidunt, vno Pycto excepto, qui magnam opem tulerat Byzantiis, & Romanos magnis incommodis affecerat. Is enim confeſtim vnum ex militibus pugno percuſſit, & alteri calcibus inſultauit, vt ambo ea re commoti, ipſum interficerent, id quod factum eſt. Captо Byzantio, Seuerus tantam lætitiam percepit (is tũ erat in Meſopotamia) vt militibus, quos ſecũ habebat, ita dixerit, Tãdem, inquit, Byzantium cepimus. Ciuitati abſtulit libertatem, eámque priuauit ſuis dignitatibus, fecítque tributariam, bonis ciuium publicatis. Vrbem, omnémque regionem, quæ erat ſub eius vrbis poteſtate, Perinthiis cõceſſit. Hi Byzantio vſi ſunt vt vico, & à nullo genere iniuriæ tẽperauerunt. Quæ quanquam iure facere quodammodo viſus eſt Seuerus, tamen Byzantiis magno dolori fuit, quòd mœnia vrbis euertit, propterea quòd gloria priuarentur ea, quam ex magnifica ipſorum oſtentatione conſequerentur. Idque cùm faceret Seuerus, magnum præſidium Romanorum, arcémque Ponti & Aſiæ contra Barbaros ſubuertit. Ego quidem mœnia ita diruta ſpectaui, vt ſi ea Barbari cepiſſent, non Romani: viderámque ea, cùm adhuc ſtarent, eorúmque cuſtodes colloquentes audiueram. In his ſeptem turres à portis Thraciis ædificatæ ſpectabant ad mare, in quibus ſi quis ex cuſtodibus occurriſſet alteri, ſilentio ttanſibat. Quòd ſiquid primò ſignificauiſſet edito clamore, aut iactu lapidis, aut ſi adhibita aliqua machina locutus eſſet proximo, vt idem faceret, tradebat. Quod cùm deinceps ad omnes eodẽ modo peruenıret, non ſe conturbabant inuicem, ſed omnes viciſſim, quiſque ab eo qui præcedebat, vocẽ machinámque excipiebant, tranſmittebántq; ad eum qui proximè ſequeretur. Dum muri Byzantiorum ad hũc modũ facti

Byzantij deditio.

instructíq; obsiderẽtur, Seuerus gloriæ cupiditate inductus, exercitum contra Barbaros Osrœnos, Adiabenos, & Arabas duxit. Sed postquã tranſiit Euphratẽ, ac terram hostilem inuasit, factũ est, cùm ea regio natura sit in summa inopia aquæ, ac tum magnis solis ardoribus exsiccata atque arida esset, vt Seuerus in periculum venerit, ne magnam partem militum amitteret. Nã defessis de via, & calore solis vexatis, puluis tantã molestiam exhibebat, vt nec iam iter facere possent, nec loqui: hoc vnum verbum poterant efferre, Aquam aquam: quæ vt inuenta est, Seuerus, qui antè quàm inueniretur, pariter laborabat cũ cæteris, poculum postulauit, plenúmque aquæ coram omnibus exhausit: post hunc cæteri omnes biberũt, atque ita recreati sunt. Postquã Nisibim venit, ibi substitit: Laternum verò, Candidũ, & Lætum cõtra Barbaros, quos paulò antè dixi, misit: qui cùm primò regiones illorũ incendissent, cepissẽntque vrbes, atque ob eam causam Seuerus magnificè se efferret, quasi prudẽtia & magnitudine animi præstaret reliquis hominibus, maximè mirãdum fuit, quòd Claudius Latro, qui Iudæam Syriámq; prædari cœperat, & ob eam causam studioſè conquirebatur, ad Seuerũ pro tribuno militũ venit cum equitibus, eúmque complexus atque exosculatus salutauit, neque tamen ab eo agnitus, neque captus vnquã est postea. Per id tempus Scythæ statuebant bellũ gerere, sed eos, quò minus id facerent, deterruerunt tonitrua, atque fulgores cum imbri maximo. Cùm enim de bello deliberarẽt inter se, tres viri primarii fulmine percussi conciderũt. Seuerus rursum exercitum in tres partes distribuit: quarũ partium vni Lætum, alteri Anylinum, tertiæ Probũ præfecit: dein eos in diuersas partes Imperii dimisit, quòd illi quamuis tripartitò sint aggressi, tamen ægrè tuebantur. Seuerus Nisibi magnã dignitatem dedit, eámque vrbem cõmisit equiti Romano: cúmque dicere soleret, se magnã regionem adiunxisse Imperio, eámq; propugnaculũ Syriæ effecisse, tamen re vera ex frequentibus bellis constat illã nobis causam esse multorum sumptuum, propterea quòd pauca reddit, insumítque multa, quódq; nos ad Medos finitimos, Parthósque progressi, pro iis semper quodãmodo pugnamus. Seuero autẽ nondũ à bellis Barbaricis respiranti bellũ ciuile cum Albino Cæsare coortũ est, quòd Seuerus ei, videlicet Nigro de medio sublato, cæteríſq; rebus ex sentẽtia constitutis, ne Cæsaris quidẽ honores tribuebat, cùm interim Albinus etiã Imperatoriam dignitatem postularet. Quas ob causas toto orbe terrarũ cõmoto, nos quidẽ Senatores quiescebamus: quíque nõ

Claudius Latro.

Exercitus Romanus in tres partes diuiditur.

Bellum Seueri cum Albino.

erãt apertè in hũc aut illum propẽſi, cõmunicabãt ſecum pericula, ac ſpes, quas habebãt. Populus autẽ teneri nõ poterat, quin hoc malũ palàm deploraret. Nã cùm eſſet ante Saturnalia poſtremus dies ludorũ Circẽſium, ad quos maxima hominũ multitudo confluxerat: cui ſpectaculo ego interfui cõſulis amici mei cauſa, audiuíq; diligẽter omnia quæ tum dicta ſunt, ita vt potuerim aliquid de iis certò ſcribere: cúmq; cõueniſſent innumerabiles homines, vt ſuprà dixi, ſpectabãt currus certantes inter ſe ſenos, vt factũ fuerat Cleandri tẽporibus, atque interim neminẽ collaudabãt, vt erat conſuetudo. Sed poſtquã illi ſuos curſus cõfecerunt, ac aurigas ad alterũ curſum aggredi oportuit: cui tacuerãt antè, repẽtè ſimul omnes maximo applauſu manuũ conclamant, populóque fœlicitatẽ ac ſalutem precãtur, vrbẽ Romã reginã atque immortalẽ vocant, atque vno ore, Quouſq; tandẽ, inquiunt, hæc patiemur? quouſque bello vexabimur? Cúmque dixiſſent alia quædã eiuſdem generis, tandẽ exclamant hæc ita ſe habere: eóque facto ſe ad certamen equorum conuertunt. Id factũ eſt afflatu aliquo diuino: neque enim aliter tot millia hominum conclamare ſimul cœpiſſent, quaſi chorus edoctus diligentiſſimè, neque eadẽ verba integrè, quaſi multùm ac diu cogitata pronuntiauiſſent. Nos quidẽ his rebus perturbari cœpimus, & maximè quòd ignis repẽtinus in aëre, qua parte ſpectat ad Septẽtrionẽ, eſt viſus, vt eo plerique totã Vrbem cõburi, multi cælũ ipſum ardere exiſtimarẽt, quòd cælo ſereno pluuia rori ſimillima, coloriſque argentei in forũ Auguſti defluxit: quẽ ego etſi non vidi, cùm caderet, tamen, vt ceciderat, inueni, eáque ita vt ſi eſſet argentũ, obliui monetã ex ære, manſítque is color tres dies: quarto verò die, quicquid oblitũ fuerat, euanuit. Iiſdẽ temporibus quidã Numerianus grãmaticus ex eorũ numero qui pueros literas docẽt, Roma, neſcio qua opinione adductus, in Galliam profectus eſt: vbi dum ſe Senatorem eſſe ſimulat, miſſúmque Seuero ad comparandum exercitum, primò paruas copias cogit, iiſque conficit aliquot equites Albini, atque alia multa pro Seuero fortiter gerit. Quibus cognitis rebus, Seuerus ratus verè Senatorem eſſe, ad eum ſcripſit, collaudauítque per literas, & vt ſibi maiores copias compararet, iuſſit. Is maiore facto exercitu, præter cætera quæ præclarè ac mirabiliter geſſit, miſit ad Seuerum pecuniam, quam coẽgerat ad aureorum ſeptingenta millia: pòſt venit ad Seuerum potitum victoria, eúmque nihil celauit, neque petiit ab eo vt ſe verè cooptaret in ordinem Senatorium. nam cùm magnos

Ros coloris argentei.

Numerianus grammatiſta.

Mille ſeptingẽtæ quinquaginta Myriades drach.

honores opéſque conſequi potuiſſet, tamen noluit, ſed ruri cõtẽtus paruo, quod à Seuero in diem accipiebat, vitam egit. Prælium verò Seueri & Albini apud Lugdunum ita factum eſt. Erant vtrique militum quinquaginta millia, aderátque præſens vterq; in bello, quaſi de capite certaretur: etſi Seuerus antè nulli prælio interfuerat. Albinus nobilitate & doctrina antecellebat: alter ſcientia rei militaris, & peritia ducẽdi exercitus potior erat. Accidit priore pugna, vt Albinus Lupum vinceret vnum ex ducibus Seueri, eúmq; cum magno militum numero interficeret. Sed genus alterius pugnæ varium fuit. nam cùm primò ſiniſtrum cornu Albini victum profugiſſet, eóſque inſecuti Seueriani ſimul magno impetu facto trucidarent, atque eorũ tentoria diriperent, milites Albini ii qui dextrum cornu tenebant, habebántque ante ſe cæcas foſſas, tecta ipſarum ſuperficie, ad eas vſque progreſſi, iaculabantur eminus, neque longius progrediebantur, ſed ſimulato maximo timore ſtatim retrocedebant, vt hoſtes ad inſequendum ſe pellicerent, id quod euenit. Irati enim Seueriani, quòd illi paruam irruptionem feciſſent, ac contemnentes, quòd ſubitò fugiſſent, impetũ fecerunt in ipſos, rati campum qui inter vtranque aciem medius erat, peruium eſſe: cúmque ad foſſas veniſſent, cladem grauiſſimam acceperunt. nam primi fractis ſubitò iis rebus quæ fuerant in ſuperficie poſitæ, in foueas incidunt: qui proximi ſunt, offendunt, & ſuper illos corruunt: cæteri dum retrocedunt timoris cauſa, videlicet improuiſò retrouerſi, non ſolùm ipſi impingunt, ſed etiã nouiſſimum agmen conturbant, ita vt in maximam & confuſam phalangem compellantur. Fuit horum, & eorum qui in foueas inciderunt, magna cædes equorum pariter atque hominum. Præterea in hoc tumultu, qui inter vallem erant & foſſas, ſagittis teliſque tranſfixi concidebant. Qua re animaduerſa, Seuerus cum prætorianis cohortibus ad opem eis ferẽdam venit, tantúmque abfuit vt illos auxilio iuuaret, vt etiam prætorianos ferè perderet: ipſe quidem Seuerus amiſſo equo in periculum venit. Sed vt vidit ſuos omnes fugere, ſtatim diſciſſa chlamyde, diſtrictóque gladio in fugientes contendit, vt vel illi affecti pudore reuerterentur, vel vt ipſe vnà cum iis occideretur. Itaque multi viſo Seuero conſtiterũt ac reuerſi ſunt, qui repentè cõuerſi, ratíque ſuos qui ſequebantur, hoſtes eſſe, magnum numerũ eorum pro Albinianis concîdunt: pòſt verò hoſtes inſequentes ſe in fugam conuertunt, atque ad extremum ii equites qui cum Læto remanſerant, reliquos à latere adorti, omnes conficiunt.

Prælium Seueri & Albini.

Nam Lætus, quandiu pugna æqualis fuit, ſubſtitit, circumſpiciens atque ſperans vtrunque periturum, ſibíque reliquos vtrinque milites Imperium daturos. Sed poſteaquam Seuerum iam ſuperiorem eſſe cognouit, tandem ad rem aggreſſus, Albinianos cõfecit. Itaque Seuerus victoria potitus eſt. In hoc prælio exercit⁹ populi Romani magnã cladem accepit, quòd vtrinque innumerabiles ceciderint, ita vt victores magna ex parte hanc calamitatem lamentarentur, dum campum hominibus equíſque mortuis plenum viderent. Pars enim iacebat multis vulneribus conciſa, pars nullis acceptis vulneribus ſepulta erat: tum arma diſperſa atque abiecta conſpiciebantur: tantáque copia erat effuſi ſanguinis, vt in fluuios influeret. Albinus in ædem quandam ad Rhodanum cõfugerat, quam vt ſenſit ſeptam vndique cuſtodia teneri, mortem ſibi conſciuit. Non enim ea refero quæ ſcripſit Seuerus, ſed ea quæ verè conſtat eſſe facta. Is vt vidit corpus Albini, vehementer ſibi gratulatus oculis linguáque, reliquum quidem iuſſit abiici: caput autem miſit Romam, & cruci affixit. His ex rebus cùm perſpicuum fuit nihil eſſe in ipſo boni principis, tum verò multò magis nos populúmque per literas perterruit: quippe qui potitus omnibus armatis militibus euomebat apud inermes omnem iram, quam longo tẽpore antè in ipſos conceperat: ſed & nobis timorem longè maximum fecit, cùm ſe Marci filium, & Commodi fratrem diceret, & Commodo, in quem antea contumelioſus fuerat, heroicos honores daret. Nam cùm haberet orationem in Senatu, extollerétque Syllæ, Marii & Auguſti acerbitatem ac crudelitatẽ, veluti rem tutiſſimam: modeſtiam autẽ & humanitatem Põpei atq; Cæſaris, vt rẽ illis ipſis pernitioſam deprimeret, ad defendẽdum Cõmodũ proceſſit, increpans Senatũ, quòd immeritò eum notaret ignominia, Præſertim, inquit, cùm plerique ex vobis multò viuant turpius. Nam ſi graue fuit, inquit, quòd ille ſua manu feras occideret: nónne vnus ex vobis vir conſularis, & iam grãdis natu heri & aliquot diebus antè Hoſtiæ cum meretrice imitãte pardalim publicè colludebat? at gladiator erat Cõmodus? quaſi verò veſtrum gladiator ſit nemo. Cur igitur, inquit, nonnulli ex vobis ſcuta eius, galeáſque aureas, quas ille habuerat, comparauerunt? Hac oratione habita, quanquam viros xxxv, ex iis qui, quòd Albinum ſecuti eſſent, rei facti erãt, abſoluit, iſſque vti cœpit familiariter, non aliter atque ſi omni culpa caruiſſent, hi erant ex primis Senatoribus: tamen viginti nouẽ viros capite damnauit, in quorũ numero fuit Sulpitianus

Albinus mortẽ ſibi cõſciuit.

Sulpitianus damnatur.

Bellum infertur Parthis.

Pertinacis ſocer. Poſt hæc bellum intulit Parthis, qui occupato Seuero in bellis ciuilibus, ſecuri Meſopotamiam ceperant, magnis copiis conductis, cepiſſéntque Niſibim, niſi Lætus eam, dū in ipſa obſideretur, conſeruaſſet: ex qua vrbe magnam gloriam eſt adeptus, præſertim cùm in cæteris rebus ciuilibus publicis ac priuatis, belli pacíſque temporibus optimus vir eſſet. Poſtquam Seuerus Niſibim venit, aprum reperit maximum, qui magno impetu equitem deiecerat ex equo, atque interfecerat, dum is ſuis viribus confiſus, conaretur ipſum conficere: tandem verò à triginta militibus captus cæſúſque ad Seuerū perlatus eſt. Parthi aduentu Seueri minimè expectato, domum ſunt reuerſi. Præerat iis Vologæſus, cuius frater cum Seuero erat. Seuerus ædificatis nauibus in Euphrate, in quibus nauigabat celeriter (erāt enim celeres naues, & optimè inſtructæ propter copiam materiæ, quam Euphrates & finitima loca ſuppeditant) omnia quæ ab illis parata fuerant, itémque Seleuciam & Babylonē deſertas celeriter cepit, ac paulò poſt Cteſiphontem, quam vrbem diripiendam reliquit militibus, & in ea cædem maximam fecit, cepítque ſuperſtitum hominum ad centum millia. Vologæſum tamen non eſt inſecutus, neque Cteſiphontem retinuit, ſed tanquam ob id ſolum veniſſet, vt eam diriperet, diſceſſit coactus ignoratione locorum & inopia neceſſariarum rerum, reuerſúſque eſt alia via, quod fœnum lignáque inuenta in ſuperiore itinere conſumpta eſſent. Pars pedeſtris exercitus iter fecit ad ſuperiorem ripam Tigris: pars nauibus vecta eſt. Poſt hæc Seuerus vt tranſiit in Meſopotamiam, Atra, quæ non longè aberant, fruſtrà adortus eſt. Quinetiā pleráquæ machinæ ipſius exuſtæ ſunt, magnóque numero militum interfecto, multi ſaucii fuerunt. quamobrem inde caſtra mouit. Dum autem bellum gereret, iuſſerat occidi duos clariſſimos viros, Iuliū Criſpum tribunum prætorianorum militum, quòd defeſſus belli laboribus, ac ira incitatus cecinerat carmen Maronis, quo carmine vnus ex militibus Turni, qui bellum cum AEnea gerebant, dolet nulla ratione magnum numerum hominum perire, vt Turnus Lauiniam in vxorem ducat: Valeriúmque militem, qui Criſpū accuſauerat, tribunum in eius locum deſignauit. Occiderat præterea Lætum, quòd vir prudentiſſimus, & militibus charus erat. hi enim niſi Læto duce ſe negabant militaturos. Cuius cædis cauſa timorem incuſſit militibus, quaſi contra voluntatem ſuā id facinus eſſent auſi: quippe veram cauſam nullam, niſi inuidiā habebat. Comparato magno commeatu, paratíſque machinis, iterum

Atra obſidentur.

Iulius Criſpus ob carmē Vergilianū occiditur. Illud eſt, ut opinor, AEneidos XI, Scilicet ut Turno cōtingat regia cōiux: Nos animæ uiles, inhumata, infletáque turba Sternamur cāpis.

Lætus occiſus.

iterum in Atra exercitum duxit. Graue enim esse statuebat, captis cæteris, eam vrbem solam atque in medio positam resistere. Itaque in eam rem magnos sumptus fecit, amisitque machinas omnes, præter eas quas Prisci supra feciſſe diximus. Amisit præterea milites complures: quippe etiam dum pabularentur, cædebantur, impetum faciente in ipsos celeriter barbaro equitatu Arabum, & Atrenis longissimè iaculantibus, telaque ita coniicientibus machinis quibusdam, vt sæpe satellites Seueri prosternerent. nam vno impulsu bina tela emittebant, coniiciebantúrque multa manibus & arcubus multorum: sed maximum damnum intulerunt Seuerianis, cùm propius ad muros accederent: multò verò maius, cùm aliquam eius partem diruissent. Tum enim Naphtha, quod ex genere bituminis esse *Naphtha.* suprà dictum est, coniecerunt in eos, quo machinæ, militésque omnes quos attigit, conflagrauerunt: atque hæc Seuerus spectabat ex superiore loco. Cùm autem pars aliqua muri corruisset extrinsecus, vellentque cuncti milites promptis animis reliquum inuadere, Seuerus prohibuit ne id facerent, iussítque palàm vbique canere receptui, propterea quòd magna erat opinio, grandem pecuniam, & Solis donaria in eo oppido reposita esse, sperabátque Arabas, ne vi capti redigerentur in seruitutem, hunc thesaurum perfacilè indicaturos. Sed vno interiecto die postquam videt ad se legatos ab Atrenis non venire, vt deditionem facerent, imperauit militibus, vt in murum (quanquam noctu instauratus fuerat) irrumperent. Cui dum nemo ex militibus Europæ, qui poterant aliquid perficere, parere voluit, Syri coacti pro illis irruptionem facere, magnam cladem acceperunt. Itaque Deus vrbem liberauit, qui per Seuerum reuocauit milites, cùm possent in ipsam ingredi, & Seuerum cupientem eandem postea capere, per milites prohibuit. Quamobrem Seuerus tam anxio fuit animo & solicito, vt cùm ab eo vnus ex ducibus ipsius tantummodo peteret quingentos quinquaginta milites Europæ, séque sine reliquorum periculo vrbem capturum polliceretur, ita cunctis audientibus respondérit: Vnde, inquit, tot milites habebo? Id ab eo propterea dictum est, quòd milites dicto audientes non essent. Cùm autem tenuisset illam vrbem obsessam spatio xx dierum, venit in Palæstinam, ac Pompeio parentauit: inde profectus in AEgyptum, totam regionem vidit, occultásque res in ea & penitus abditas conquisiuit. Nihil enim fuit diuinarum aut humanarum rerum, quod ille non potuerit perscrutari:

Milites nõ parent Seuero.

Milites Europæ potiores.

Seuerus parentauit Pompeio.

præterea libros omnes in quibus arcana continentur, quíque potuerũt inueniri, ferè ex omnibus adytis ſuſtulit. Clauſit monumentum Alexandri, ne quiſquam corpus eius videret in poſterum, néve ea quæ in ipſo ſcripta erant, legeret. Quæ cùm ab eo facta ſint, mihi non eſt neceſſe ſcribere cætera quæ ad AEgyptum pertinent: quanquam ea quæ de Nilo habeo multis rationibus perſpecta atq; cognita, iure poſſum referre. Is ex mõte Athlante certò fluit, qui mons eſt in Macennitide, non longè ab Oceano, qua parte ſpectat ad occaſum Solis: mons eſt longè omnium altiſſimus, quem poëtæ ob eam cauſam columnã cæli eſſe dixerũt: nam ad ſummum eius verticem nemo aſcẽdit vnquam, neque culmina videre potuit, quamobrẽ plenus eſt perpetuis niuibus, ex quibus æſtate magnam copiam aquæ emittit, cùm alioqui ad radices vndique paludes habeat, quæ tunc multò fiunt maiores, augetúrque Nilus, propterea quòd fons eius eſt, vt ex crocodilis, cæteríſque quæ vtrobique naſcuntur, coniicitur. Neque verò mirari quiſquã debet, ſi nos ea diximus, quæ ſunt à veterib⁹ Græcis ignorata. Nã Macẽnitæ propter Mauritaniã inferiorem habitãt, multíq; ex iis qui illic bella gerũt, ad Athlantẽ perueniũt: ſed de his hactenus. Interea Plautianus, cuius erat apud Seuerũ maxima authoritas, quíque præfecti poteſtatẽ habebat, erátq; omnium hominũ potentiſſimus, morte affecit magnum numerũ priuatorum hominũ, & optimatum. Is erat homo inexplebili cupiditate: omnia enim petebat ab omnibus, & capiebat omnia, nullámque gentem, nullam ciuitatem reliquit, quam non prædaretur: cúmque cuncta diriperet vndequaque, ea cõgerebat domum ſuam, multóque plura munera ab omnibus ad eum, quàm ad Seuerum mittebantur. Poſtremò equos tigribus ſimillimos ex inſulis maris rubri à ſole miſſis Centurionibus furatus eſt. hoc enim vno infinitam eius cupiditatem videor oſtendiſſe. Quanquam & illud addendum videtur, centum ciues Romanos nobiles viros domi ab eo exciſos eſſe, id quod nemo noſtrum antè quàm ipſe moreretur, intellexerat. Quibus ex rebus percipi poteſt, quanta fuerit hominis peruerſitas atque potentia. Excidit autem non ſolùm pueros & adoleſcentes, ſed etiam viros, quorum nonnullis vxores erant: ídque fecit, vt Plautilla filia eius, quàm poſtea Antoninus vxorem duxit, haberet magnum Eunuchorum famulatũ. Nos quidem eoſdem homines Eunuchos, maritos, patres, priuatos teſtibus, exectos, & barbatos vidimus. Ex quo non iniuria dici poteſt, Plautianum omnibus hominibus, atque adeò ipſis prin-

Monumentum Alexandri.

Nilus à mõte Athlantæ ortũ habet.

Plautianus.

Centum ciues exciſi à Plautiano.

Plautilla filia Plautiani nupſit Antonino.

cipibus Romanis potentiorem fuisse. Etenim præter cætera statuæ ei multo plures & maiores, quàm illis, non solùm in aliis ciuitatibus, sed etiam Romæ, neque tantùm à priuatis ciuibus, sed etiam ab ipso Senatu collocatæ sunt. Per fortunam eius iurabant cuncti milites ac Senatores, próque eius salute publicè supplicabatur. In causa harum rerum fuerat potissimùm Seuerus, qui ei ita permiserat omnia, vt ille Imperatoris, ipse præfecti loco esset. quicquid enim diceret, aut ageret Seuerus, id ille perspectum habebat: arcana verò Plautiani sciebat nemo. Huius filiam Seuerus filio suo in matrimoniũ dedit, posthabitis multis virginibus nobilissimis atque pulcherrimis, ipsúmque Plautianum designauit consulem, quem ferè cupiebat successorem Imperii relinquere. Nam ità de eo scripsit in epistola quadam, Virum, inquit, diligo, vt cupiam eum mihi esse superstitẽ: patiebatúrque illum recipi in potiora diuersoria, réque ad victũ necessarias meliores habere, & copiosiores. Itaq; cùm aliquãdo Nicææ, quæ mea est patria, mugilem postularet, quos maximos ille fert lacus, misit, qui à Plautiano peterent, acceptúmque ab eo ad se perferrent. Quòd si ad comminuendam eius potentiam videbatur nonnulla facere, tamẽ his contrariis, multóque maioribus & clarioribus rebus cætera omnia obscurabãtur. Quocirca Tyanis cùm Seuerus Plautianum ægrotantẽ visitaret, milites Plautiani non sunt passi eos qui Seuerum consequebantur, vnà ingredi. Et quidã cùm actiones haberet in Plautianum, iussus à Seuero, cùm esset otiosus, vt aliquam actionem intenderet, Non possum, inquit, nisi Plautianus mihi iusserit: adeò potẽtior erat Seuero in rebus omnibus, vt etiam apud eum Iuliam Augustam semper calumniatus sit, & in eam de matronis nobilibus tormentis quæsiuerit: quæ dũ ob eam causam philosopharetur, & tempus cum Sophistis transigeret, Plautianus homo profusa luxurie vomebat in conuiuiis, quòd nihil posset propter cibi vinique maximam copiam concoquere, puerísque ac puellis non sine magno probro vtebatur, cùm tamen vetaret vxori suæ, vt neminem aspiceret, neque sineret vllo pacto, vt ab aliquo, ne ab ipso quidem Seuero, aut Iulia conspiceretur. Per id tempus factum est mulierum certamen, in quo tanta conuenerat multitudo athletarum, vt mirarẽtur omnes, quemadmodum eos stadium caperet. In quo certamine cùm mulieres crudelissimè pugnauissent, essentque ob eam causam cæteras nobilissimas fœminas conuitiis consectatæ, cautum est ne qua mulier vsquam in reliquum tempus muneribus gladiatoriis funge-

Nicæa patria Dionis.

Certamẽ mulierum.

retur. Cùm igitur eſſent ſtatuæ cõplures factæ Plautiano (oportet enim res geſtas exponere) Seuerus iniquo animo ferens tãtam ſtatuarum multitudinem, diſſipare quaſdam ex iis cœpit. Qua de cauſa rumor fuit in pleriſque ciuitatibus, ipſum Plautianum oppreſſum eſſe, & penitus interiiſſe, multíque ſtatuas eius conciderunt, de quibus poſtea ſupplicium eſt ſumptũ. Fuit in eorum numero Racius Conſtans, vir clariſſimus, qui Sardiniæ præerat. Quarum rerum ego mentionem feci, propterea quòd cùm orator, qui Conſtantem accuſauit, multa dixiſſet, atque illud in primis, Cælum ruere citius poſſe, quàm Plautiano damnum à Seuero inferri: quibus rebus, atque iis quæ ſunt eiuſdem generis, dicente illo, fides haberi poterat meritò: cúmque Seuerus audacter nobis qui vnà iudices eramus, cõfirmaſſet, non poſſe vllum malum ab ſe Plautiano accidere, non tamẽ perpetuò floruit Plautianus, ſed aliquanto tempore pòſt occiſus eſt, cunctáque ſtatuæ ipſius diſſipatæ ſunt. Antè quàm autẽ id ficeret, cetus maximus appulit in eum portum quẽ Auguſti eſſe dicimus, in eóque captus eſt. Cuius ceti figura introducta in amphitheatrũ, quinquaginta vrſos abſorbuit. Præterea cometes Romæ per multos dies viſus eſt, fuítque opinio eum magnũ aliquod malum portendere. Interea Seuerus poſtquam attigit decennium principatus ſui, congiario populò, prætorianíſque militibus dato, eis tot aureos, quot annos imperauerat, dedit. Quam ob cauſam ſibi mirum in modum placebat, cùm reuera nemo vnquam ſimul tantundem eis dediſſet. conſumpta ſunt enim in ea largitione aureorum vicies centena millia. Eodem anno celebratæ ſunt nuptiæ Antonini filii Seueri, & Plautillæ Plautiani filiæ. Is tantum filiæ ſuæ dedit, quantũ reginis quinquaginta ſatis fuiſſet. quæ omnia per forum vidimus comportari in Palatium, in quo nobis epulum datum eſt regio & barbarico apparatu. Aderant enim epulæ rerum omnium, quibus veſci homines ſolẽt, multáque in his cocta, multa cruda, nõnulla etiam viua cepimus. Tum edita ſunt varia ſpectacula propter reditũ Seueri, & decẽnium principatus eius, ac victorias quas reportauerat: in quibus ſpectaculis apri ſexaginta Plautiani inuicem certauerunt iuſſi, cæſáque ſunt aliæ permultæ beſtiæ, atq; in primis Elephas & Crocota. Id animal eſt Indicũ, ac tum primùm, quòd ſciã, Romam aduectũ eſt. Color eius eſt leænæ permixtæ cum tigri: figura quodammodo ex cane & vulpe cõſtat. Earũ receptaculum in amphitheatro ædificatũ erat inſtar nauis, ita vt reciperet quadringẽtas feras, eaſdémq; ſimul omnes red-

Statuæ Plautiani.

Racius Conſtans.

Cetus ingens.

Quinquies mille Myriades drach.

Crocota primùm Rom.

deret : qua ex naui ſubitò diſſoluta exilierunt vrſi, leænæ, Pantheræ, Struthiones, Onagri, Biſſones, quod genus boũ eſt patria & aſpectu barbarũ. Itaque ſeptingẽtæ feræ, manſuetæve beſtiæ ſimul concurrere, & poſtea confodi viſæ ſunt. Occiſis enim ſingulis diebus centum, pro numero dierum feſtorum, qui ſeptem fuerunt, ſeptingẽtæ ſunt occiſæ. Per eos dies reſplẽduit in monte Bœbio ignis maximus, in eóque tanti mugitus extitere, vt Capuam vſque audirẽtur: in qua ciuitate ego, quoties moror in Italia, habitare ſoleo. nam eum locũ mihi delegi certis de cauſis, ſed præſertim vt haberem otium, quòd vacuus à curis moleſtiiſque Vrbis, in ſcribenda hac hiſtoria conſumerem. Videbatur igitur ex iis quæ in Bœbio acciderũt, quandam rerum cõmutationem fore, quæ in Plautiano paulò pòſt eſt facta. Verè enim Plautianus magnus, vel ſummus potius erat, ita vt populus aliquãdo diceret in Circo, Quid tremis? cur palles? tu quidem certè plus quàm tres viri poſſides. Id ei ſcilicet non dicebatur, ſed alteri. Significabant autem tres viros, Seuerum cum duobus filiis, Antonino & Geta. Pallebat verò Plautianus & tremebat ſemper, cùm propter rationem victus quã inſtituerat, tum propter ſpem metúmque futurarũ rerum in quibus erat. At horũ magna pars vel latebat Seuerũ, vel ſi ſciebat, ea ſe diſſimulabat ſcire. Sed poſtquã Geta frater ſignificauit Seuero omnia quæ Plautianus agebat (quippe illum oderat, nec metuebat amplius) Seuerus Getæ ſtatuã ex ære in foro poſuit, deſiítq; habere Plautianum in tanto honore, magnáque ex parte potẽtiam eius cõminuere cœpit. Quas ob res moleſtè ferẽs Plautianus, Antonino, quem antè propter filiam ſuam quæ ab eo minus honorificè tractabatur, oderat, infenſus atq; inimicus fuit, quaſi authori iſtius ignominiæ, ſéque cum eo geſſit acerbius. His rebus permotus Antoninus, iratúſque vxori fœminæ impudẽtiſſimæ, atque ipſi Plautiano, qui nõ ſolùm conquirebat omnia quæ Antoninus ageret, ſed etiã eũ moleſtè inerepabat in rebus omnibus, ab eo ſe vindicare & liberare ſtatuit. Itaque per Euodũ educatorẽ ſuum, Saturnino Centurioni aliiſque viris duobus itidem Centurionibus perſuaſit, vt renuntiarẽt Seuero iuſſiſſe Plautianum decẽ Cẽturionibus, ex quorum numero eſſent ipſi, Seuerũ cum Antonino occidere. Id Cẽturiones faciunt, recitántq; literas Seuero, quas aiũt ſe ob hãc cauſã à Plautiano accepiſſe. Hæc ſtatim peractis ſpectaculis, quæ in Palatio fiebãt, Heroib⁹ dimiſſóq; populo, cùm eſſet cænæ tẽpus, acta ſunt: quib⁹ ex rebus cõmentum argui facillimè poterat. Neq; enim Plautianus auſus

Biſſones.

Aliàs Veſeno.

Dion libenter habitabat Capuæ.

Antoninus & Geta filij Seueri.

Geta frater Seueri.

Euodus.

fuisset decem Centurionibus simul, neque Romæ, neque in Palatio, illo die, aut hora quicquam tale præcipere, præsertim per literas: sed tamen visum est credibile Seuero, propterea quòd superiore nocte viderat per quietem Albinum viuere, sibíque insidias parare. Itaque Plautianum diligenter tanquam ob alias causas accersi iussit. Qui vt venit, vel potius vt mors ei diuinitus denuntiata est. nam quòd mulæ quæ currum eius agebant, cecidissent in Palatio, & quòd ianitores qui erant ad cãcellos, eum solum intrare permisissent, prohibitis iis qui consequebantur, vt eundem comitibus Seueri Tyanis feciſſe suprà diximus: cœpit habere rem suspectam, & pertimescere: tamen quia nesciebat quomodo retrocederet, ingreditur. Hîc Seuerus cũ eo loquitur perhumaniter. Quid enim, inquit, tibi venit in mentem? aut quamobrẽ nos voluisti interficere? Dum ei potestatem respondendi facit, parátque se vt defensionem eius audiat, Antoninus Plautiano neganti, admirantíque orationem Seueri, facto impetu gladium ei abstulit, eúmque pugno percussit. Volebat Antoninus Plautianum sua manu occidere, cùm is diceret, Tu me præueneristi: sed prohibitus à patre, iussit vni ex famulis, vt ipsum interficeret. Interea quidam ex iis qui aderant, pilis ex mento eius euulsis, ipsum Iuliæ Plautillæque quæ tum simul erant, admouit, antequam aliquid audiuissent: Vos verò, inquit, vestrum Plautianum videte. quæ res alteri fuit mœrori, alteri solatio. Itaque Plautianus nostra memoria omnium hominum potentissimus, quem magis quàm ipsum principem metuebant omnes, quique spe multo maiore elatus fuerat, à genero interficitur, éque Palatio proiicitur in viam: quanuis elatus tandem iussu Seueri, & sepultura affectus sit. Post hæc Seuerus Senatum conuocat in Curiam, neque tamen Plautianum criminatur, tantummodo dolet conditionem humani generis, quòd summos honores non ferat, accusátque se, quòd illum tanto honore & beneuolẽtia prosecutus esset: dein eos qui consilium & insidias Plautiani indicauerant, omnia referre ad nos iubet, electis è Senatu iis qui minus erãt necessarii, vt dum nihil exponeret ipse, se non magnã fidem indicibus habere ostenderet. Venêre multi in maximum periculum Plautiani causa: nõnulli etiam morte affecti sunt. Cæranus quidem cùm se amicum Plautiani esse semper diceret, vt plerique omnes solent fortunatis hominibus, eos qui primi ante alios vocati Plautianum salutatum venirent, comitari solebat vsque ad postremas fores: quicum etsi Plautianus non communicabat secreta consilia, tamẽ quòd me-

Plautianus obtruncatur.

Cæranus.

dius inter vtráſque fores morari conſueuerat, licet Plautiano foris eſſet, tamẽ cæteris intus eſſe videbatur, ob eámque cauſam magis ſuſpectus fuit. Augebat ſuſpicionem, quòd cùm Plautianus vidiſſet in ſomnis paucos piſces, dum è Tiberi exirent, ad pedes ſuos accidere, reſpondit eum terræ maríſque imperium habiturum. Itaque relegatus in inſulam, ſeptẽ annos fuit: deinde reſtitutus, primúſque ex AEgyptiis hominibus cooptatus in ordinem Senatorium, factus eſt conſul, vt Pompeius, nullo antè geſto magiſtratu. Cecilius autem Agricola, qui in primis aſſentatoribus Plautiani habebatur, quíque nequitia ac libidine nemini ſecundus erat, capite damnatus domum venit, plenúſque vini refrigerati, poculum, quod duobus millibus aureorũ emptum fuerat, alliſit, ipſe ſecta vena ſuper id mortuus eſt. Saturninus quoque & Euodus licet tunc honore affecti ſint, tamẽ ab Antonino poſtea occiſi ſunt. Cúmque nos Euodum decreto ornarem' laudibus, Seuerus vetuit his verbis, Turpe eſt, inquit, id de viro Cæſariano in veſtris decretis ſcriptum inueniri. Neque enim ſinebat hunc Seuerus, neque reliquos Cæſarianos libertos iniuriam facere, aut inſolentes eſſe. Cúmque bene ob hanc cauſam audiret, ipſum aliquando collaudauit Senatus, ac magno edito clamore, Omnes, inquit, rectè faciunt omnia, propterea quòd tu iuſtiſſimè imperas. Plautilla autem Plautúſque filii Plautiani tunc incolumes euaſerunt, in Liparam relegati, licet ſub Antonino poſtea interfecti ſint, vixeréque calamitoſè atque in maximo metu & inopia neceſſariarũ rerum. Tum filii Seueri, Antoninus & Geta Plautiano tanquam pædagogo liberati, cœpêre omnia pro libidine agere, mulieres dedecore afficere, pueros violare, colligere pecuniam, gladiatores atque aurigas ſibi ſocietate deuincire, ſéque inuicem imitari propter factorum ſimilitudinem, & tamen inter ſe contrariis ſtudiis diſſidere. Nam ſicui vnus eorum ſe addiceret, alter aduerſarium eius prorſus eligebat: denique cùm exercendi cauſa de curribus, quos agebant, equi parui certarent inter ſe, in tantam cõtentionem venerunt, vt Antoninus ex curru ceciderit, ac crus fregerit. Interea Seuerus apertè multas cædes fecit, atque in primis Quintilli Plautiani viri nobiliſſimi, qui erat vnus ex primis Senatoribus: cúmque iam eſſet grandis natu, viuerétque ruri, nec quicquam quæreret aut faceret curioſius, tamen calumniam nõ effugit, ſublatúſque eſt. Hic paulò antè quàm moreretur, poſtulauit, vt ea quæ ad ſepulturam ſuam iamdudum cõparauerat, ad ſe perferrentur. Quæ poſtquam vidit vetuſtate conſumpta,

Cecilius Agricola.

Quintillus Plautianus.

Quid hoc rei eſt, inquit, ita ne cunctati ſumus? deinde facto ſacrificio, idem inquit, Peto à diis immortalibus, quod Adriano Seuerianus optauit. itaque interiit. Pòſt edita ſunt certamina gladiatoria, in quibus præter alia, decem tigres ſimul confoſſæ ſunt. Poſt hæc exitum habuerunt ea quæ ad Apronianum pertinent ſanè auditu perquàm admirabilia. Accuſatus eſt enim, dictum olim fuiſſe, nutricem eius vidiſſe per quietem eum regnaturum, ipſúmque ob eam cauſam Magicis artibus vſum eſſe. Quamobrem abſens (præerat enim Aſiæ) condemnatus eſt. Cúmque legerentur in Senatu, quæ quæſtiones in ipſum eſſent habitæ, ſcriptum inuenimus, interrogatos fuiſſe eos, de quibus quæſtio habebatur, quis narrauiſſet ſomnium? quíſve audiuiſſet? atque vnum ex iis reſpondiſſe cùm alia multa, tum verò ſe præterea Senatorem quendam caluum quaſi per tranſennam aſpicientem vidiſſe. Id vbi nos audiuimus, valde cõturbati fuímus. neque enim ille nomen cuiuſquam dixerat, neque Seuerus ſcripſerat. Hoc metu correpti fuêre etiam ii qui nunquam Apronianum conuenerant, neque ſolùm calui, ſed etiam recalualtri: noſtrúmque ſatis confidebat nemo, niſi ii qui valde comati erant. Cúmque illos cuncti circumſpiceremus, primò rumor erat hunc eſſe, mox alium. Ego quidem (quanquam eſt perridiculum) tamen non reticebo id quod mihi tum accidit: tantam mihi hæc res attulit perturbationem, vt ſtatim capillos mei capitis requiſiuerim, eoſque manu attrectauerim: idémque ab aliis permultis factum eſt. In primis obſeruabamus eos qui calui eſſe videbantur, quaſi in illos periculum noſtrum reiiceremus. idque fecimus, antè quàm legeretur illum Senatorẽ caluum indutum fuiſſe veſte purpurea. Nam poſtquam id recitatum eſt, omnes in Bœbium Marcellinum oculos coniecimus. is enim tum ædilis fuerat, ac maximè caluus erat. Marcellinus ſurrexit illicò, & in mediũ venit, Me verò, inquit, ille agnoſcet, ſiquidem vidit. Quo facto à nobis collaudato, index introducitur, tacétque diu præſente Marcellino, circumſpiciens, quem agnoſceret: tãdem obſeruato metu cuiuſdam obſcuro, Marcellinum reſpicit, ipſúmque eſſe ait. Hic igitur Marcellinus, quòd homo caluus viſus eſſet quaſi per tranſennam aſpicere, educitur è Senatu, lamentatúrque maximé. Cúmque tranſiret per forũ, noluit procedere longius, ſed ibi filiis quatuor quos habebat ſalutatis, orationem habuit miſerabilem: Hoc vnum, inquit, magno me dolore afficit filii chariſſimi, quòd vos ſuperſtites relinquo: dein obtruncatus eſt antè quàm eſſet renuntiatũ Seuero,

Marcellinus.

Oratio Marcellini in foro miſerabilis.

uero, eum condemnatum esse. Huic author mortis fuit Pollenius Sebennius, cuius iniuria tam atrox non potuit impunita discedere. Cùm enim præfectus fuisset Noricis à Sabino, nihilque in ea præfectura bene administrasset, magno dedecore affectus est. Nos quidem ipsum abiectum ad pedes & supplicem iacere vidimus, periissétque miserè, nisi veniam per Aspacem patruum suum impetrauisset. Hic mordacissimus omnium hominum ac dicacissimus fuit, solebátque omnes homines contemnere, gratificari amicis, vlcisci inimicos. Feruntur eius multa salsa & vrbana ἀποφθέγματα in multos, atque adeò in ipsum Seuerum. ex quibus est illud, quòd cùm Seuerus ascriptus esset Marci familiæ, ita ei dixisse fertur, Gratulor, inquit, tibi Cæsar, quòd patrem inueneris: quasi antè patrem non habuisset propter ignobilitatem & obscuritatem generis. Sub id tempus Bulas homo Italus comparata manu sexcentorum latronum in Italia, biennio maximas prædas fecit, Imperatoribus, totque militibus præsentibus: cúmque illum persequerentur multi, Seuero ipsum studioſè diligenterque inuestigante, visus non videbatur, non inueniebatur inuentus, deprehensus non capiebatur: ídque maximis donis perficiebat homo magna prudentia præditus. Intelligebat enim non solùm qui Roma exirent, & qui Brunduſium nauigarent, sed etiam qui, qualésve, & quot homines essent, & quantas facultates haberent. Ex quibus nonnullos dimittebat statim, accepta aliqua parte eorũ quæ habebát: artifices retinebat aliquãto tẽpore, vt eorũ opera vteretur, eósque deinde datis muneribus dimittebat. Cúmque duo ex prædonibus ipsius capti essent, eósq; nõ multo tẽpore pòst ad bestias damnari oporteret, ipse ad custodẽ carceris venit, simulauítq; se regionis præfectũ esse, ac paucis eiuscemodi hominibus egere: itaque suos recepit ac liberauit. Dein accessit ad Centurionẽ, cui mãdatum erat à Seuero vt hos prædones tolleret: apud eũ, tanquam alius sit ipse, se accusat, promittítq; ei, si sequi velit, se latronem in manus daturũ: pòst eundem in vallem concauam & saxosam ducit, tanquam ad Phidicem capiendum (nam id Bulæ cognomen erat) ibi hominem facilè comprehendit, eóque facto conscendit in tribunal, accepta veste magistratus: tum ad se Centurionem vocat, eíque radi caput iubet: Nuntia, inquit, dominis tuis, ipsos seruos suos alere, ne latrocinentur: habebat enim complures Cæsarianos, partim exigua mercede cõductos, partim nullo certo stipendio. Hæc dũ sigillatim cognosceret Seuerus, stomachabatur, quòd cùm aliorũ opera hostes in

Pollenius Sebennius.

Somma in Seuerum.

Gratulor tibi Cæsar, quòd patrem inueneris.

Bulas famosus latro.

Britannia vinceret, ipſe in Italia latrone inferior eſſet. Ob hanc cauſam mittit tribunum ſtipatorum cum magno equitum numero, eíque, niſi latronẽ ad ſe viuum adducat, grauiter minatur. Tribunus vbi intellexit latronem cum aliena vxore habere cõſuetudinem, mulieri per virum perſuadet, vt ſe ſecuro animo iuuare velit. Itaque latro huius mulieris ope in ſpelunca comprehenditur. Qui cùm poſtea interrogaretur à Papiniano præfecto prætorio, cur latrocinium feciſſet, ita reſpondit, Et tu, inquit, cur præfectus es. Tandem verò voce præconis ipſe beſtiis obiectus, turbáque reliquorum prædonum diſperſa eſt, quòd tota vix ſexcentorum in ipſo repoſita eſſet. Poſt hæc Seuerus in Britanniam cum exercitu proficiſcitur, dum filios intemperantes eſſe, & legiones nimio otio affluentes corrumpi videt, ídque fecit, cùm ſciret ſe inde non eſſe reuerſurum, quod maximè cognouerat ex ſtellis, ſub quibus natus erat. Id enim in laquearibus ædium quæ erant in Palatio, in quibus ius reddebat, ſcriptum reliquit, ita vt ab omnibus, præter eam partẽ quæ ad horam, vt aiunt, qua natus eſſet, ſpectabat, videretur. Id enim vtrobique non eodem modo inſculpſit: iámque idem audiuerat ex vatibus. Nam fulmen in ſtatuam ipſius, quæ ad eam portam collocata erat, quà exercitum erat educturus, quæque ſpectabat in viam, quà illuc itur, cecidit, tréſque literas de nomine eius deleuit. Itaque Seuerus, vt prædictum fuerat à vatibus, reuerſus non eſt: ſed tertio anno pòſt diſceſſit è vita, cùm grandẽ pecuniam collegiſſet. Cæterùm Britannorum duo ſunt præſertim genera, Caledonii, & Mœatæ. nam cæterorum nomina ad hos ferè referuntur. Incolunt Mœatæ iuxta eum murum, qui inſulam in duas partes diuidit: Caledonii poſt illos ſunt. Poſſident vtrique montes aſperrimos, & ſine aqua: itémque campos deſertos, plenóſque paludibus: quódque mœnia non habent, nec vrbes: agros nullos colunt: de præda & venatione, baccíſque arborum viuunt. nam piſces, quorum ibi maxima eſt & innumerabilis copia, non guſtant. Degũt in tentoriis nudi & ſine calceis: vtuntur communibus vxoribus, liberóſque omnes alunt. Apud hos populus magna ex parte principatum tenet: latrocinantur libentiſſimè: militant de curribus: equos habent paruos & celeres: pedites currunt celerrimè: dum ſtant, firmiſſimi ſunt. Horum arma ſunt ſcutũ & haſta breuis, in cuius inferiore parte pomum eſt ex ære, vt, dum concutitur, hoſtes ſonitu perterrefaciant. Pugiones quoque habent: ſed in primis famem, frigúſque, ac labores omnes perferunt. nam merſi in paludibus

Profectio Seueri in Britanniam.

Duo genera Britannorũ.

capite tenus, per multos dies inediam ſuſtinent: in ſyluis autem, corticibus atque radicibus arborum aluntur. Certum cibi genus parant ad omnia, quem ſi ceperint, quanta eſt vnius fabæ magnitudo, minimè eſurire aut ſitire ſolent. Cùm igitur Britannia inſula talis ſit, incolas huiuſmodi habet. Eſt enim inſula, quod conſtitit illis temporibus, vt ſuprà dictum eſt. Ea patet in longitudinem ad millia paſſuum DCCCXCI: in latitudinẽ, qua parte latiſſima eſt, CCLXXXIX: qua verò parte eſt anguſtiſſima, XXXVII. Huius inſulæ pars paulò min⁹, quàm dimidia noſtra eſt: quam Seuerus cùm vellet omnem in ſuam poteſtatẽ redigere, ingreſſus eſt in Caledoniam, eámque dum pertranſiret, habuit maxima negotia, quòd ſyluas cæderet, & loca alta perfoderet, quódque paludes obrueret aggere, & pontes in fluminibus faceret. Nullum enim prælium geſſit, neque copias hoſtium inſtructas vidit, à quibus proponebantur conſultò oues bouéſque, vt cùm ea noſtri raperent, ac longè de via declinarent, facilè opprimerentur. Ad hæc noſtris aquæ valde oberant, diſperſíſque inſidiæ parabantur: cúmque non poſſent iter facere, occidebãtur à ſuis, vt ne ab hoſtibus caperentur. Itaque mortui ſunt è noſtris ad quinquaginta millia. Neque tamen deſtitit Seuerus, quouſque ad extremam inſulam venit, vbi varium curſum Solis, itémque noctium ac dierum, æſtiuorum atque hybernorũ magnitudinem diligentiſſimè cognouit. Tandem per omnem terram hoſtilem vectus (nam plurimum propter imbecillitatẽ operta lectica vehebatur) reuertit ad ſocios, Britannis ad fœdus faciendum coactis, quòd non paruam regionis partem amiſiſſent. Perturbabat eum Antoninus & ſolicitabat maximè, nõ ſolùm quòd libidinoſè & petulanter viueret, ſed etiam quòd perſpicuum eſſet, ab eo, cùm primùm daretur poteſtas, fratrem interfectum iri, quódque iam ipſi Seuero inſidias feciſſet. Exiluerat enim aliquando è tabernaculo, exclamans ſibi à Caſtore iniuriam afferri. Hic erat vir omnium Cæſarianorum qui cum Seuero erant, optimus, cui conſilia Seueri credita, & cura cubiculi mandata erat: præſtóque fuêre ſubitò pauci milites, qui antè ob eam cauſam inſtructi fuerant, à quibus vnà conclamatum eſt: at ii, quòd repentè viſus eſſet Seuerus, capti ſunt, atque in ſeditioſiores eſt animaduerſum. Præterea cùm ambo proficiſcerentur ad Caledonios, vt arma ab iis caperent, & de fœderibus colloquerentur, Antoninus ipſum palàm ſua manu occidere eſt conatus. Nam cùm fortè equitarent vnà (Seuerus enim, licet ei plantæ pedum quæ ſanæ non erant, ſectæ eſſent, tamen equo ve-

Simili cibo nutuntur Turcæ noſtro tẽpore.

Septem millia cẽtum triginta duo ſtadia.

Duo millia trecẽta decẽ ſtadia.

CCC. ſtadia.

Caſtor.

hebatur) equitarétque pariter reliquus exercitus, & hoſtium copiæ viderentur, Antoninus equo refrænato magno ſilentio percommodè gladium diſtrinxit, vt tergũ patris percuteret: quod vbi animaduerterunt ii qui ſimul equitabant, exclamauerunt protinus, eóque clamore perterritus Antoninus, ſe abſtinuit. Seuerus etſi ad clamorem eorum conuerſus gladium vidit, tamẽ nullum verbum fecit, ſed perfectis pro tribunali rebus neceſſariis, reuertit in prætorium: ibi filium, & Papinianũ, & Caſtorem ad ſe vocat: dein gladium in medio collocari iubet. Hîc illum increpat, quòd tantum facinus eſſet auſus cõmittere, quódque ſociis & hoſtibus videntibus nefarium ſcelus facere conſtituiſſet: tandem ait, Si me cupis, inquit, interficere, hîc me interfice: nam etſi valens fui, nunc quidem certè ſenex ſum, & iaceo. Quòd ſi id recuſas, aut times tua manu facere, adeſt tibi Papinianus præfectus, cui iubere potes vt me interficiat: nam is tibi, quicquid præceperis, propterea quòd ſis Imperator, efficiet. Hæc cùm dixiſſet Seuerus, tamen nihil filio nocuit, quanquam ſæpe accuſabat Marcum, quòd Commodum non ſuſtuliſſet, ac crebrò ipſi filio ſe id facturum minabatur. Sed ea Seuerus per iram dicebat: erant enim ei filii multò chariores, quàm ciues: quanquam in hac re alterum ex filiis prodidit, dum certò ſciret quid ei eſſet euenturum. Poſt hæc defectio Britannorum iterum facta eſt: quamobrem Seuerus conuocatis militibus, iuſſit vt regionem eorum inuaderent, atque omnes, quibus occurriſſent, interficerent: idque præcepit his verſibus.

Μή πς ὑπεκφυγέτω αἰπὺν ὄλεθρον, χεῖράς θ' ὑμετέρας,
Μηδ' ὄντινα γαστέρι κοῦρον ἐόντα φέροι,
Μηδ' ὃς φύγῃ αἰπὺν ὄλεθρον,

Nemo manus fugiat veſtras, cædémque cruentam,
Non fœtus, grauida mater quem geſtat in aluo,
Horrendam effugiat cædem. Quo facto, quòd Caledonii ante Mœatas defecerãt, comparabat ſe, vt bellum illic gereret. Sed dum in iis rebus eſſet, morbo extinctus eſt pridie Nonas Februarii: traduntque hunc morbum nonnihil ab Antonino eſſe auctum. Antè quàm verò moreretur, fertur hæc liberis dixiſſe (referam enim ea quæ dicta ſunt, ſine vllo ornatu verborum) Facite, inquit, vt conueniat inter vos: locupletate milites, cæteros omnes contemnite. Poſt hæc corpus eius more militari effertur à militibus, imponitúrque in rogũ honeſtatum militum & filiorum ipſius curſu. Coniecêre in eũ dona militaria ii qui tum habebant: filii ignem accenderunt:

ossa in vrnam factam ex porphyro coniecta Romam perlata, & in Antoniano reposita sunt. Fertur Seuerus hanc vrnam paulò antè quàm decederet è vita, iussisse ad se perferri: dein contrectasse, atque ita dixisse, Tu, inquit, virum capies, quem totus orbis terrarum non cepit. Seuerus erat tardo corpore, sed tamẽ forti, quanquam podagra valde imbecillum fecerat: præterea acutissimo & excellentissimo ingenio, studiosus bonarum artiũ: quarum scientiam cùm esset consecutus, consilio plus, quàm verbis poterat: erga amicos gratus, inimicis grauissimus: diligens in rebus gerendis, negligens in requirendo, quis sermo de ipso haberetur: auidus pecuniæ, quam omnibus modis colligebat, nisi quòd eius causa nemini mortem attulit. In sumptu parcissimus erat: noua ædificia extruxit, vetera restituit: quippe Baccho & Herculi templum maximum ædificauit. Et quanquam magnos sumptus fecit, tamen multa millia aureorum reliquit. Criminari solebat incontinentes, ob eámque causam leges de mœchis tulit, ex quibus quàm plurimæ cædes factæ sunt. Ego quidem, cùm consul essem, inueni scriptum in tabulis, tria millia mœchorum morte esse mulctata. Sed cùm iam multi mortales in hanc pœnam inciderent, cœpit de iis quærere negligentius. Ex quo vrbanè in primis Argentocoxi Caledonii vxor, Iuliæ Augustæ, quæ ipsam mordebat, initis fœderibus, quòd ipsæ impudenter cum maribus versarentur, dixisse fertur, Nos, inquit, multò melius explemus ea quæ naturæ postulat necessitas, quàm vos Romanæ. nam apertè cum optimis viris habemus consuetudinem: vos autem occultè pessimi homines constuprant. id enim à muliere Britanna dictum est. Cæterũ Seuerus, cùm pax esset, ita vitam instituerat, vt hæc omnia faceret: Prima luce ius reddebat, pòst deambulabat, dicens audiénsve ea quæ ad Imperii vtilitatem pertinerent: dein iudicabat separatim, nisi celeberrimus dies festus esset, agebatúrque cum eo optimè, quòd & litigantibus aquam, quantum satis erat, suppeditaret, & nobis vnà iudicãtibus magnam libertatem in dicendis sententiis largiretur. Iudicabat autem ad meridiem: post meridiem equitabat, quantum poterat: post hãc exercitationem corporis lauabatur: tum prandebat solus, vel cum liberis satis opiparè & apparatè: post prandii tempus magna ex parte dormire consueuerat. Excitatus ex somno, persequebatur reliqua: in primis versabatur in studio Græci & Latini sermonis, cùm interim deambularet. Sub vesperũ iterum lauabatur, cœnabátque cũ suis domesticis & familiaribus: nam ex aliis

Tria millia mœchorum morte affecta.

Britannæ mulieris facetè dictum in Romanas.

Seueri in pace uiuẽdi ratio.

conuiuam admittebat neminem, certísque diebus tantùm, iísque maximè neceſſariis ſumptuoſas cœnas faciebat. Vixit annos LXV, menſes IX, dies XV: erat enim natus III Idus Aprilis. Regnauit annos decem & ſeptem, menſes octo, dies tres. In ſumma adeò fuit in rebus gerendis acer & induſtrius, vt dixerit moriens, Agedum, ſiquid nos oportet facere.

Antoninus Caracallvs.

POST mortem Seueri Antoninus totũ Imperium obtinuit: nam etſi dicebat, id ſibi eſſe cum fratre commune, tamen reuera ſolus ſtatim imperare cœpit, diremítque bellum cum hoſtibus, atque ex eorum regione diſceſſit, & munita loca deſeruit. Domeſticos ſuos partim dimiſit: in quorũ numero fuit Papinianus præfectus prætorio: partim occidi iuſſit, in quibus fuit Euodus educator ipſius, & Caſtor, vxórque Plautilla cum Plauto fratre eius. In Vrbe ſuſtulit hominem minimè quidem nobilẽ, ſed tamen percelebrẽ in eo ſtudio, cui ſe dediderat. nam egregium aurigã, quòd eſſet factionis contrariæ, interfecit. Hic ſenex mortuus eſt, poſteaquã coronatus eſſet in plurimis equorum certaminibus. obtinuerat enim coronas DCC LXXX II. quod antè contigerat nemini. Fratrem quoque vel patre viuo voluit interficere: ſed neque propter patrem tunc, neque pòſt in itinere propter exercitum potuit, apud quem ille chariſſimus erat, præſertim quòd facie patris ſimillimus eſſet. Sed poſtquam Romam venit, ipſum quoque ſuſtulit. Simulabant hi mutuam inter ſe beneuolẽtiam, collaudabántque ſe inuicem, cùm tamen agerent contraria. Nec erat obſcurum, fore vt aliquod magnum malum ex ipſis exiſteret. Nam cùm eſſet decretum à Senatu, vt pro concordia vtriuſque ſacrificaretur diis immortalibus, ac præſertim ipſi Cõcordiæ: victima à ſacerdotibus eius Deæ ad ſacrificium comparata, conſul profectus eſt vt ſacra faceret. Sed nec is ſacerdotes, nec illi inuenire conſulem potuerunt, ſed omnem ferè noctem conſumpſerunt, dum ſe mutuò conquirerent, adeò vt ſacrificiũ

Papinianus præfectus prætorio.

Euodus Caſtor, Plautilla, Plautus occiſi.

fieri non potuerit: poſtridiéque eius diei duo lupi aſcendêre in Capitolium, quos dum aliquot homines inſequerẽtur, alterum comprehenderunt in foro, alterum poſtea extra pomerium occiderunt. Quæ res ad Antoninum & Getam pertinuit. Statuerat Antoninus fratrem occidere Saturnalibus, tamen nequiuit, propterea quòd id facinus manifeſtius fuiſſet, quàm vt potuiſſet occultari. Ex eo tempore complures eorum pugnæ factæ ſunt, quaſi mutuò cõtra ſe cõiuraſſent, contrariis præſidiis collocatis. Sed cùm magnus numerus militum atque gladiatorum domi foríſque, dies atque noctes Getam cuſtodiret, perſuaſit matri, vt ſe ambos in thalamũ vocaret, vt in eo reconciliarentur. Eò Geta, qui matri confidebat, ingreditur cum Antonino: poſtquam intus fuêre, aliquot centuriones, qui fuerant in inſidiis ab Antonino collocati, ſimul in Getam impetum faciunt, eúmque, qui viſis percuſſoribus ad matrem perfugerat, ac iam tum ex collo eius pendebat, adhærebátque ipſius pectori atque vberibus, occidunt lamentãtem, clamantémque in hæc verba, Mater, mater, genitrix, genitrix, fer opem, occidor. Itaque mater decepta, filium occiſum nefariè in ſinu ſuo conſpexit, eiuſque cædem intra ſua viſcera quodammodo, ex quibus ipſum pepererat, recepit. nam ita ſanguine perfuſa eſt, vt vulnus, quod ipſa accepit in manu, nihili faceret. Neque verò lamentata eſt, aut luxit interitum filii, quamuis immaturũ, oblatúmque miſerabiliter (natus erat duos & xx annos, menſéſque ix) ſed quaſi foret in maxima fœlicitate, lætari & ridere coacta eſt, adeò verba eius, nutúſque, & color obſeruabantur. Itaque huic ſoli, cùm eſſet Auguſta, Imperatoris vxor, & Imperatorum mater, ne priuatim quidem licuit flere caſum acerbiſſimũ. Antoninus ſtatim, quãquã veſper erat, tamẽ ad milites proficiſcitur, exclamátque perpetuò in itinere, contra ſe factam eſſe coniurationem, ſéque in maximum periculum veniſſe. Pòſt vbi murum eſt ingreſſus, Saluete, inquit, commilitones: iam mihi quidẽ licet in vos maxima beneficia conferre. antè quàm enim audirent omnia, os eis tot promiſſis concluſit, vt quod pium erat, intelligere nõ poſſent, aut loqui. Ego, inquit, ſum vnus ex vobis, cupióque propter vos ſolos viuere, vt multa vobis largiar. Veſtri enim ſunt theſauri omnes, optóque in primis vnà vobiſcum viuere: ſin minus, ſaltem vobiſcum mori. nec enim aliter volo, quàm in bello ex hac vita diſcedere, quòd vel in eo mortem oppetere virum fortem, vel nuſquam deceat. Poſtero die in Senatu pauca dixit in eandem ſententiam: cúmque ſurrexiſſet è ſede, aſtarétque ad

Geta in ſinu matris occiditur.

fores, Audite, inquit, rem maximam, vt totus orbis terrarū gaudeat. Omnes exules rei facti cuiúſvis ſceleris, quomodocūq; dānati ſint, reſtituātur. Is cùm exules hoc modo ex inſulis deduxiſſet, præſtitiſſetq; ſecuritatē nefariis & damnatis hominibus, eaſdem nō ita multò pòſt repleuit, interfecitque ſubitò ex Cæſarianis, militibúſque qui cum Geta fuerant, ad hominum mulierúmve viginti millia, vt quiſque in Palatio fuit. Cæſi ſunt ex illuſtribus multi, & maximè Papinianus, cuius interfectorē increpauit, quòd eum ſecuri interfeciſſet, non gladio. Cilonem quoque qui ipſum educauerat, & à quo multa beneficia acceperat, quíque præfectus Vrbi fuerat patris tēporibus, quem etiam patrem ſæpenumero appellauerat, vita priuare voluit: ſed milites, quos miſerat vt eum interficerent, direptis vaſis argenteis, veſte, pecunia, cæteríſque rebus eius omnibus illum cum compedibus (nam captus erat in balneis) & amictum induſio ducūt via ſacra, vt perducāt in Palatium, eúmque ibi interficiant: tum veſtem eius diſcindunt, & faciem percutiunt. Quod vbi plebs vidit, cohortéſque Vrbis, tumultuantur. Horum pudore adductus Antoninus, metúque, eis procedit obuiam, ipſúmque Cilonem chlamyde contegit (nam tum ei veſtis militaris erat) Nolite, inquit, patrem meum iniuria afficere, nolite educatorem percutere. Dein tribunus, cui mandatum erat vt illum occideret, cæteríque milites qui vnà miſſi fuerant, morte affecti ſunt, propterea quod, vt dicebat, Ciloni feciſſent inſidias: ſed reuera propterea quòd illum non ſuſtuliſſent. Neque verò mihi nunc eſt neceſſe percēſere numerando omnes clariſſimos viros, quibus ille nullam iuſtam ob cauſam mortem attulit. Quanquam enim Dion, quòd eſſent celeberrimi viri atque notiſſimi illis tēporibus, omnes perſequitur nominatim: tamen mihi ſatis erit dicere, eos omnes, quos ipſi collibitū fuit, quoquo iure, quaque iniuria morte affectos, vrbémque Romam priuatam bonis viris, comminutam & quodammodo mutilatam fuiſſe. Poſt hæc ex his cædibus animum ad ludos applicat, in quibus etiam multas cædes fecit. Nam vt omittam Elephantum, Rhinocerotem, Tigrim, Hippotigrim cæſos in Amphitheatro, quòd parui momenti ſint, gladiatorum ſanguine potiſſimùm delectabatur: ex quorum numero vnum Batonem nomine coëgit eodem die cū tribus certare continenter, eúmque occiſum à poſtremo affecit magnifica ſepultura. Cæterùm erga Alexandrum ita erat affectus, vt armis poculíſque ſimilibus iis quibus ille vſus fuerat, vteretur, eíque complures ſtatuas in caſtris, atque adeò in Vrbe collocauit,

Exules reſtituuntur.

Papinianus ſecuri percuſſus.

Cilo.

Antoninus ſtudioſus Alexandri.

collocauit, comparauítque phalangem ex ſolis Macedonibus, in qua erant hominum ſexdecim millia, eámque phalangem Alexandri cognominauit. Hi vtebantur eodem armorum genere, quo viuo Alexandro armati fuerant. Hæc erant galea facta ex crudo bouis corio, thorax ex lino triplex, ſcutum ex ære, lancea longa, haſta breuis, crepidæ, gladius. Quibus rebus minimè contentus, eundem Alexandrum Orientalem & Auguſtum appellauit, ſcripſítque aliquando ad Senatum, animum Alexandri in corpus Auguſti introiſſe, vt quoniam illi fuerat vita breuis, in hoc viueret diutius. Philoſophos, qui ſunt Ariſtotelici nominati, tam magno eſt odio proſecutus, vt voluerit libros Ariſtotelis comburere, atque Ariſtotelicis ſodalitates, & cætera commoda quæ habebant in Alexandria, ſuſtulerit, criminatus eos, quòd Ariſtoteles cauſa mortis Alexandri viſus eſſet. Cúmque hæc faceret, ducebat ſecum complures elephantos, vt in hac re Alexãdrum, vel potius Dionyſium imitari videretur. Igitur tãto amore proſequebatur Alexandrũ & Macedones, vt cùm aliquando tribunum militum Macedonem collaudaſſet, quòd inſiluiſſet in equum celeriter, interrogaſſétque primò, cuias eſſet: cúmque intellexiſſet Macedonem eſſe, rogauit nomen: pòſt vbi audiuit Antigonum eſſe, quæſiuit ex eo, quod nomen fuiſſet patri: vtque ipſum inuenit eſſe Philippo patre natum: Cuncta, inquit, quæ cupiebam, habeo: eúmque ſtatim clarum reddidit apud reliquas legiones, nec ita multò pòſt in Senatorium & prætorium ordinem cooptauit. Alterum quoque, cui nihil rei erat cum Macedonia, quíque magna ſcelera commiſerat, ob eáque reus factus erat, poſtquam intellexit Alexandrum vocari, crebróque accuſatorem ita dicere: Homicida Alexander, diis infeſtus Alexander: perinde iratus eſt, atque ſi ipſe malè audiret: Niſi, inquit, tibi ſatis erit de Alexandro dictum, periiſti. Hic Antoninus Alexandri amantiſſimus, militibus comis atque humanus erat: reliquos omnes ſpoliare, depeculari, & opprimere conabatur, atque in primis Senatores. nam præter cæteras exactiones pecuniæ, quæ erant innumerabiles, cogebamur, cùm ipſe Roma proficiſceretur, complures domos, & ſumptuoſa diuerſoria in mediis itineribus, atque iis breuiſſimis ædificare noſtris ſumptibus, in quibus non modò habitauit nunquam, ſed neque magnam eorum partem viſurus erat. Præterea Amphitheatra & Circos in omnibus locis, in quibus hyemauit, aut ſe ſperauit hyematurũ, gratis extruximus, eáque di-

Ariſtotelici odio habiti ab Antonino.

Oderat Senatores.

Iuliæ matris Caracalli interitus.

que crebris ictibus ad mortem ei inferendã irritauit. Cùm autem vidiſſet Macrinus Artabanum cum magnis copiis, infeſtóque animo ſibi bellum inferre, conatus eſt, miſſis ad eum captiuis quos habebat, mollíque oratione placare eius animum, & à propoſito abducere. Sed cùm ille nihilo minus incumberet in bellũ, vellétque vt Macrinus vrbes euerſas ab Antonino reſtitueret, decederétque ex Meſopotamia, & damnum quod illatum erat monumentis regum, reſarciret, nullum tempus ad deliberandum ſumpſit, ſed ei, quòd iam ad Niſibim venerat, occurrit, ibíque victus eſt, prælio à militibus, dum contraria caſtra facerent, propter aquam facto. Cúmque iterum congreſſus eſſet, non ſucceſſit ei ex ſententia, ſed legatos ad illum de pace mittere, eámque magna pecunia redimere coactus eſt, quam in Artabanum atque potentiſſimos viros, qui cum illo erant, erogauit. Fuit is ſumptus ad aureorum vicies centena millia. Hoc confecto bello, alterum coortum eſt Romanis, non cum barbaris nationibus, ſed ciuile. Nam milites tumultuari cœperunt, quòd Macrinus minus erga ipſos comis atque humanus eſſet, quódque non daret eis innumerabilia, quæ Antoninus præter aliorum conſuetudinem dederat. Eo tempore ſtella per multas noctes viſa eſt ab occidente ad orientem ſolem, nóſque ita grauiter conturbauit, vt illud Homeri in ore ſemper haberemus,

Ἀμφὶ δὲ σάλπιγξε μέγας οὐρανὸς, αἶψα δὲ ζεύς,

Intonuit cælum tubis, id Iupiter audiit. Eodémque

Meſa Iuliæ ſoror.

Semiamiram appellat Spartianus.

tẽpore cùm Meſa Iuliæ Auguſtæ ſoror duas filias haberet, Sœnidem & Mamæam, éx iíſque nepotes duos maſculos (harũ altera Varo Marcello nupſerat, altera Geneſio Martiano Syris hominibus, quos iã mortuos eſſe contigerat) Eutychianus Cæſarianus libertus, cùm in ludis placuiſſet, nec ignarus eſſet odii, quod milites in Macrinum conceperant, perſuaſúſque à Sole, quem vocant Heliogabalum, colúntque maximè, atque aliis vaticiniis adductus eſſet, ſtatuit Macrinum occidere, & Lupum Meſæ nepotem, puerum adhuc pro eo Imperatorem facere: ídque perfecit. Finxit enim hũc eſſe Tarantis ſpurium filium, ornatúmque veſte, qua ille vſus fuerat puer, noctu matre auiáque inſcientibus ad exercitum duxit: & XVI Cal. Iunii prima luce militibus quærentibus ſtudioſè occaſionem rebellandi, perſuaſit vt res nouas molirentur. Quo facto milites ſtatim hunc nominant Antoninum, & Imperatorem deſignant. Macrinus ſcribit ad Senatum de Pſeudantonino, quem puerulum vocat, & ſtolidum eſſe ait. Tum queritur de militibus, quòd adducti

Lupus Meſæ nepos ex Sœnide.

infinita cupiditate pecuniæ ab ſe defecerint. Ad extremũ ſcribit hoc vnũ ſe habere ſolatium calamitatis, quòd fratricidæ, qui conatus erat orbem terrarum perdere, ipſe fuiſſet ſuperſtes. Adſcripſit etiam ſibi exploratum eſſe, cupere multò plures Imperatorem occidi, quàm viuere, neque tamen de ſe ipſe loqui, cuius interitum cupiiſſet vel optaſſet nemo. Quod cùm audiret Fuluius Diogenianus, exclamauit, Imò verò cuncta, inquit, optauimus. Hic erat homo conſularis, non magna prudentia præditus, ob eámque cauſam nec cæteris placebat, nec ſibi. Igitur Macrinus has literas miſit, in iiſque ſe patrem crebrò, ac Diadumenum filium inuocabat, quem etiam deſignabat Imperatorẽ multò iuniorem Pſeudantonino, cuius ætatem criminabatur. Quibus ex rebus ignobilitatem hominis atque dementiam cuncti percepimus. Contra hunc Pſeudantoninus tanta celeritate proficiſcitur, vt difficile Macrinus in vico Antiochenorum (is diſtabat à ciuitate ad millia paſſuum XXVI) cum eo conflixerit. Erat Macrinus & promptitudine, & alacritate prætorianorum militum ſuperior. nam eis thoraces ſquammatos, & ſcuta, quæ inſtar canalis facta erant, abſtulerat, quò faceret ad pugnam expeditiores: ſed propter timiditatem ſuam victus eſt, vt fuerat ei diuinitus denuntiatum: quòd cùm eius primæ literæ de Imperio à nobis lectæ eſſent, columba ad ſtatuam ipſius, quæ poſita erat in Curia, conuolauerat. Neque potuit Macrinus Meſam & Sœnidem fœminas, quæ cum Antonino erant, imitari: quæ dum ſunt vnà cum puero, vidéntque ſuos pugnare molliter, de curribus exiliunt, irruúntque in fugientes, ac eos, dum de fuga ipſorũ queruntur, retinent. Itémque puer diſtricto gladio, quem gerebat accincto, equo diuino quodam impetu concitato in eos tanquã in hoſtes irruere viſus eſt. Qua re animaduerſa conſtiterunt, fugiſſétque iterum, niſi Macrinus, poſtquam vidit illos reſiſtere, fugæ ſe mandaſſet. Itaque victus miſſo ad Artabanum filio, Antiochiam venit, victorem ſe eſſe ſimulans, vt in vrbem reciperetur. Sed clade eius per nuntios cognita, factiſque multis cædibus in itinere, atque in ipſa vrbe, vt propenſa erat cuiuſque erga alterum eorũ beneuolentia, inde noctu equo admiſſo, abraſóque penitus capite ac mẽto, pulláque veſte indutus inter purpureas, vt priuatus eſſe videretur, AEgas vrbẽ Ciliciæ peruenit cum paucis, ibíq; vehicula conſcendit, ita vt ſi miles eſſet ex iis qui nũtios ferunt: vectúſq; per Cappadociã, Galatiam, & Bithyniam vſque ad Eribolũ, quæ ſtatio eſt in conſpectu Nicomediæ,

ſtadia. CLXXX.

Nicomediam ingredi non eſt auſus, ſed Chalcedonẽ nauigauit, mandauítque vni ex procuratoribus, vt ad ſe pecuniam mitteret. Qua ex re cognitus eſt, & Chalcedone remanſit. Eò venere milites miſſi à Pſeudantonino, à quibus comprehenſus perductus eſt in Cappadociam: vbi poſtquam intellexit filium ſuum captũ eſſe, deiecit ſe ex vehiculo (nec enim vinctus erat) fregítque humerum, nec ita multò poſt occiſus eſt. Itaque Macrinus grandis natu (degebat annum quartum & quinquageſimum) vſúque & experientia rerum præſtans cum aliqua ſignificatione virtutis, tantíque Imperator exercitus, à puerulo, cuius ne nomen quidem cognouerat antea, oppreſſus eſt. Id ei oraculo prædictũ fuerat his verſibus,

Ὦ γέρον, ἦ μάλα δή σε νέοι πειρώσι μαχηταί,
Σὴ δ' βίη λέλυται, χαλεπὸν δέ σε γῆρας ἱκάνει.

O ſenior bello iuuenum quem dextra fatigat,
Iam tibi deficiunt vires, repítque ſenectus.

Ex quo intelligi poteſt, eos qui fortiſſimi eſſe videntur, & firmas vires habere, ornati ampliſſimis fortunæ muneribus, pariter cum cæteris ſuſpẽſos & incertos eſſe. Ita Macrinus celerrimè cũ ſumma calamitate principatum amiſit. regnauit enim annum vnũ, menſes duos, tribus diebus (ſi vſque ad pugnæ tempus numeres) exceptis.

Auitus, qui & Pſeudãtoninus et Sardanapalus dicitur.

AVITVS, ſiue Pſeudantoninus, ſiue Aſſyrius, vel Sardanapalus, vel Tiberinus (nam id quoque cognomen habuit) poſtquam corpus eius occiſum in Tiberim proiectũ eſt, vbi confirmato principatu Romã venit, præclarum facinus, & bono principe dignum fecit, quòd cùm ab omnibus priuatim publicéque ex literis Macrini verbis ac factis iniuriam accepiſſet, de nullo ſupplicium ſumpſit. in cæteris autem rebus homo turpiſſimus, & nequiſſimus, ac contaminatiſſimus eſt viſus, quamuis tres annos tantummodo, mẽ-

ſéſque nouem, & dies quatuor principatum tenuerit. Quod tẽpus ego numero, ex quo, prælio facto, omnem potentiam adeptus eſt. Eutychianus, qui κωμάζων dictus eſt (idque nomen ei ex hiſtrionum & ſcurrili ioco fuit) præeſſe cœpit prætorianis cohortibus, cùm antè in nulla procuratione aut præfectura, præterquam exercitus cognitus fuiſſet. deinde non ſemel tantùm, ſed iterum ac tertiùm conſul factus eſt, quod antè acciderat nemini. Ex quo fit, vt id quoque in rebus iniquiſſimis iure adnumeretur. Cæteri clari viri, quibus ea res non placebat, reperta aliqua cauſa occidebantur, aut etiam nulla cauſa allata. Pætus quidem Valerianus morte affectus eſt, quòd imagines aureas ad concubinarum ornamenta finxerat. Silius autem Meſſala, & Pomponius Baſſus rei facti ſunt, quòd rebus quas ille faceret, minimè oblectarentur: nec piguit eum de iis ad Senatum ſcribere, cùm ab iis mores ſuos examinari diceret, eóſque reprehẽſores eſſe omnium, quæ in Palatio gererentur: quanquam erat alterum crimen in Baſſo, quòd pulcherrimam vxorem atque nobiliſſimam habebat. Ea erat Claudii Seueri, & Marci Antonini neptis, quam ipſe poſtea vxorẽ duxit, nec ei, vt mariti mortẽ lugeret, permiſit. Verùm de nuptiis eius, id eſt, quas ipſe habuit vxores, & quibus viris nupſit, paulò pòſt dicemus: nam viri & vxoris fungebatur officio, eáque patiebatur, quæ faciebat: vtrunque ſanè libidinoſè & nefariè. Sed quid ego nunc commemorem eos quos nulla ratione interfecit, cùm morte mulctauerit homines ſibi amiciſſimos, propterea quòd ipſum hortabantur, vt modeſtè & temperanter viueret. Inter eius ſcelera eſt illud de Heliogabalo, non ſolùm, quod deum peregrinum introduxit in Vrbem, aut quòd eum nouis & magnis honoribus affecit, ſed quòd Ioui eundem antepoſuit, ſéque ſacerdotẽ eius fieri decreto Senatus iuſſit, quòd teſtes excidiſſet, & à porcinis carnibus abſtineret. Itaque indutus veſte barbara, quali Syri ſacerdotes vtuntur, ſæpe publicè viſus eſt, ex quo potiſſimùm Aſſyrii cognomẽ cepit. Corneliam Paulam duxit in matrimonium, quò fieret pater, ſicuti dicebat, celerius, qui ne vir quidẽ eſſe poterat: in quibus nuptiis nonnulla largitus eſt non ſolùm Senatorio & equeſtri ordini, ſed etiam Senatorũ vxoribus. Plebs ſex aureis epulata eſt viritim: milites hoc amplius quatuor. Præterea facti ſunt ludi gladiatorii, in quibus ipſe indutus erat veſte purpurea, vt in ſpectaculis ſupplicationum fecẽrat. Ibi multæ beſtiæ cæſæ ſunt, ſed præſertim elephas & tigres ad quinquaginta vnam, quod nunquam antè ſimul factum erat. Poſt hæc

Eutychianus præfectus prætorio.

Heliogabalus.

Cornelia Paula.

CL. drach.

repudiata Paula, quòd maculam haberet in corpore, ſicutí dicebat, Aquiliam Seuerã duxit apertè contra ius fáſque: eam enim habuit cum probro atque dedecore, cùm eſſet virgo veſtalis: ídque ſe feciſſe auſus eſt dicere, vt ex ipſo Pontifice & ea ſacerdote veſtali liberi diuina forma naſcerentur. Ita quibus ex rebus oportebat illum cæſum verberibus in foro cõiici in carcerem, ac morte mulctari, de iis maximè gloriabatur: neq; tamen hãc diu retinuit, ſed aliam pòſt, deinde aliam atq; aliam duxit: dein iterum ad Seueram rediit. Tũ Romæ prodigia extiterunt multa, atque in primis illud ſimulachri Iſidis, cuius altare cane ſuſtinetur: nam faciem intrò conuertit. Interea Sardanapalus certamina præbebat, & crebra ſpectacula, in quibus Aurelius AElix athleta glorioſus fuit, qui tantum cæteris antecelluit, vt auſus ſit in Olympia lucta ſimul certare, & pancratio, victórque vtriuſque in Capitolinis fuerit. cui cùm inuiderent AElæi, ne foret (quod dici ſolet) octauus ab Hercule, neminem ad luctã aduocauerunt, quamuis in albo id genus certaminis adſcripſiſſent: Romæ verò vtrunque vicit, quod antè fecerat nemo. Vt autem prætermittam barbaras cantilenas, quas Sardanapalus canebat Heliogabalo vnà cum matre & auia, & nefaria ſacrificia, quæ ei faciebat mactatis pueris, adhibitíſque Magicis artibus: & leonẽ, ſimiam ac ſerpentem, quos viuos in templum eius concluſit, & teſtes hominis, quos eodem coniecit, aliáque quæ faciebat cõtra ius fáſque, cùm interim ſexcentis monilibus vteretur: Vxorem (quod perridiculum eſt) ei in matrimonium dedit, tãquam deo nuptiis atque liberis opus eſſet. Cúmque vxorem nec inopem eſſe, nec ignobilem oporteret, Vraniam Carthaginẽſium delegit, eámque inde exportatam collocauit in Palatio, donáque nuptialia, vt in ſuis vxoribus, exegit ex omnibus gentibus, quæ erant ſub Imperio Romano: quæ cùm fuiſſent eo viuo data, poſtea exacta ſunt. Dotem verò ſe negauit accepturum, præter duos leones aureos, qui conflati fuerunt. Hic Sardanapalus, qui deos iure matrimonii coniunxit, libidinoſè viuebat & intemperanter. Coibat enim cum plurimis mulieribus, non quòd iis egeret ipſe, ſed vt tali concubitu amatores ſuos, eorúmque facta imitaretur. Multa nefaria, quæ nemo referat libenter, aut audiat, ſuo corpore paſſus eſt, fecítque. Quæ verò ſunt in promptu, quæq; celari non poſſunt, hæc ſunt. Noctu introibat in popinas, vſúſque comis appoſitis, cauponarum fungebatur officio: frequentabat lupanaria celeberrima, in iiſque eiectis meretricibus ſcortabatur: ad extremum habuit cubiculum in Palatio, in quo

Aurelius AElix athleta.

Venus Vrania Carthaginẽſium.

quo libidinẽ expleret, ſtabátque nudus ſemper ante fores eius, vt ſcorta ſolent, concutiebátque ſindonium connexum annulis aureis, vt molli & fracta voce prætereuntes alliceret: erántque de induſtria nonnulli, quibus imperatum erat vt id facerent, ita vt in hac re, quemadmodũ in cæteris, haberet multos exploratores, per quos inueſtigabat curioſè eos qui ſibi ſatiſfacere maximè in his ſpurciſſimis rebus poſſent: ex quibus exigebat pecuniam, ac de eo quæſtu gloriabatur, iactabátque ſe apud ſocios eiuſdem turpitudinis, quòd ſe habere plures amatores diceret, & vberiorẽ quæſtum facere. Cúmque ſe eodem modo gereret erga omnes qui ipſo abutebantur: virum habuit immenſæ magnitudinis, quem voluit ob eam rem Cæſarem deſignare. Currus agitabat Praſino veſtitu, ídque domi intra priuatos parietes facere videbatur. Ibi erant præfecti certaminis omnes qui primi apud ipſum erant, ſed præſertim præfecti Prætorio, auia, mater, & vxores. Hunc viri ordinis Senatorii, atque adeò Leo præfectus Vrbis ſpectabant currus agitantẽ, petentémque aureos, vt plebeium hominem, ac præfectos certaminũ, militéſque ipſos colentẽ. Neque verò his contentus erat, ſed ſaltabat nõ modò in Orcheſtra, verùm etiam quodãmodo, dum incederet, facerétque ſacrificia, atque interim dum ſalutaretur, & cõcionem haberet. Poſtremò, vt iam ad id vnde digreſſus ſum, reuertar, nupſit: appellabatúrque domina & regina: verſabatur in lanificio: nõnunquam ferebat reticulum, obliniebátq; oculos. ſemel enim mẽtum raſit, ob eámque cauſam dies feſtos egit: pòſt curabat, vt prorſus ſine pilis eſſet, ita mulieri ſimillimus erat, iacénſque ſæpenumero ſalutabat Senatores. Erat vir eius Hierocles Caricũ mancipium & auriga: qua ex re ei præter opinionem placuit. Nam cùm ludis Circẽſibus decidiſſet ex curru ante ſellam Sardanapali, atque in eo caſu galeam abieciſſet, viſúſque ab illo eſſet (huic mollis barba & flaua coma erat) ſtatim raptus eſt in Palatium, nocturníſque facinoribus, præſertim cùm eum duxiſſet, ita auctus eſt, vt breui tempore plus poſſe, quàm illum exiſtimaretur: quòd mater eius ancilla adhuc Romam cum militibus adducta, & in numerum vxorum hominum conſularium relata ſit. Nam multi affecti ſunt ab illo magnis honoribus, fueréque maximæ authoritatis: partim quòd ſeditionem feciſſent, partim quòd ipſum conſtuprarent. Volebat enim videri conſtupratus, vt in hac re imitaretur mulieres petulantiſſimas: volénſque ſæpenumero in manifeſto facinore deprehendebatur. Quamobrem à viro iactabatur conuitiis petulãter,

Leo præfectus Vrbis.

Imperator nupſit.

Hierocles maritus Imperatoris.

ab eóque plagas accipiebat, ita vt liuor oculis ſubeſſet. Neque tamen diligebat illum impetu quodam animi, ſed amore ſtabili & firmo, ita vt non modò grauiter non ferret ob has cauſas, ſed contrà amaret ardentius, ſtatuerétque verè eum Cæſarẽ deſignare, atque auiæ, quæ huic rei fuerat impedimento, minaretur, licet militibus ob eundem hominem maximè infeſtus eſſet, eáque res cauſa necis eius eſſet futura. Erat Aurelius Zoticus homo Smyrnæus, quem Cocum ex arte patris cognominabant. Is cùm à Pſeudantonino vehementer amatus fuiſſet, eidem aliquanto tempore pòſt in odium venit, ob eámque rem ſaluus conſeruatus eſt: nam cùm eſſet pulchro toto corpore, vt viribus ad luctandum valeret, longéque præſtaret omnibus mẽtulæ magnitudine, ídque eſſet Imperatori ſignificatum ab iis qui iſta perquirebant, ſtatim raptus ex certaminibus, Romam maxima pompa perductus eſt, quanta non venit Augarus Seueri, aut Teridates Neronis temporibus, deſignatúſque cubicularius antè quàm videretur, lucernis quàm plurimis relucentibus ingreſſus eſt in Palatiũ. Hunc ille vt conſpexit, accurrit rubore perfuſus, cúmque ab eo ita ſalutatus eſſet, vt par erat, Domine Imperator ſalue, collo mirabiliter effœminato, innuénſq; oculis reſpõdit, nulla interiecta mora: Ne me, inquit, Dominum voces: nam ego domina ſum. mox vnà cum eo lotus, paſſúſque obſcœna, quòd ille nudus opinioni maximè reſpondiſſet, in eius pectore recubuit, atque in ſinu velut amica cœnã cepit. At Hierocles veritus, ne Zoticus illum plus quàm ipſe fecerat, redigeret in ſuam poteſtatem, ac ne ſibi propter eum, vt fit inter riuales, grauius aliquid accideret, veneno per pincernas dato, quos habebat amicos, vires eius eneruauit. Ita ille cùm tota nocte quietem non cepiſſet, priuatus eſt iis rebus omnibus, quas antè conſecutus fuerat, eiectúſque è Palatio & Roma, pòſt ex cætera Italia expulſus eſt, id quod eum conſeruauit. At Sardanapalum pœnas ſui ſceleris quas meritus fuerat, perſoluere non multò pòſt oportebat. Nam quòd iſta faceret atque pateretur, venit in odium populi ac militum quos maximè colebat, ab iíſque tãdem in caſtris occiſus eſt, re in hunc modum geſta. Baſſianum conſobrinum ſuum introduxit in Senatum: cúmque vtrinque Meſam & Sœnidem ſtitiſſet, puerum in medio poſuit, ſéque, cùm eſſet eo multò minor natu, ſtatim efferre vt tanti pueri patrem cœpit, dixítque ſe nihil aliis liberis egere, vt domus ſua moleſtia vacaret, ídque non ſolùm præceptum ſibi eſſe ab Heliogabalo, ſed etiam vt eum Alexãdrum nominaret. Id ego ad-

Aurelius Zoticus.

Baſſianus cõſobrinus Pſeudantonini.

ducor, vt credam factum esse diuina quadam prouidentia, non propter ea quæ dixit ipse, sed quòd ei prædictum fuisset, Alexãdrum qui esset Emesa profectus, ipsi esse successurum. Itémque ex eo quod accidit in Mysia superiore, & Thracia. nam paulò antè deus aliquis, cùm se Alexandrum Macedonem esse diceret, haberétque formam eius, atque omnem ipsius ferret apparatum, profectus ex iis locis quæ ad Istrum sunt (vbi quemadmodum extiterit, mihi quidẽ non constat) Asiam atque Thraciam pertransiit bacchantium more, cum quadringentis hominibus, qui thyrsis ornati erant, neruisque, faciebántque iniuriã nemini. Huic, vt asserunt omnes, qui tum fuerunt in Thracia, diuersoria, cæteræque res necessariæ publicè suppeditatæ sunt, nec ei contra dicere quisquam est ausus, aut resistere, nõ prætor, non miles, non procurator, non præsides prouinciarum, sed interdiu tanquam in pompa, vt edixerat, Byzantium venit: pòst inde profectus, appulit ad regionem Carthaginensium, vbi de nocte creato quodam sacerdote, obrutóque equo ligneo, euanuit. Hæc ego, cùm essem in Asia, accepi, antè quàm intelligerẽ ea quæ Romæ de Bassiano facta sunt. Igitur Sardanapalus, quoad dilexit consobrinum, saluus fuit: sed postquam suspicatus est, cognouítque omnium beneuolentiam in illum propẽsam esse, ausus est mutata sentẽtia, omnia ad pernicie eius moliri. Sed vt conatus est aliquando eum interficere, nõ modò nihil egit, sed ipse quoque in periculum mortis venit, propterea quòd Alexander diligẽter custodiebatur à matre, & auia, ac militibus: & prætoriani, cùm intelligerẽt conatum Sardanapali, vehementer tumultuati sunt, neque prius destiterunt, quàm Sardanapalus eos vix tandem placauit. Cùm enim castra occupauisset cum Alexandro, supplicarétque multùm, ac coactus dedere ad supplicium eos qui secum turpiter viuebant, quósque ipsi postulauerant, pro Hierocle misericordiam cùm precibus & lachrymis captaret, iugulũ dedit: Vos, inquit, hunc mihi gratificamini, quamcunque de eo opinionem habeatis, vel me occidite. ita tum vix incolumis conseruatus est. Nã & auia eum propter ea quæ faciebat, oderat, quòd neque esset Antonini filius, quódque esset in Alexandrum, vt verè profectum ex Antonino, propensior. Sed postquam iterum insidias fecit Alexandro, milites ob eam causam tumultuati sunt: cúmque vnà cum eo introisset in castra, cognouissétque milites necem sibi machinari, quòd eos matres horum, quæ apertius quàm antè dissidebant inter se, concitarent, fugæ se mandare quodammodo cona-

tus est, effugisséque coniectus in pellem cameli, nisi deprehẽsus occisus fuisset, cùm esset decem & octo annos natus. Cum eo mater eius, quæ ipsum mordic⁹ tenebat, interficitur. Vtriusque capita absciſſa, denudatáque corpora primò per totam Vrbem trahuntur: dein mulieris corpus aliò, istius verò cadauer in flumen abiectum est. Cum his alii, atque in primis præfecti Prætorio occisi sunt: itémque Aurelius Eubulus Emesenus, qui cùm præesset rationum libris, bona multorum publicauerat, à plebe, atque à militibus laceratus & distractus est. Itémque Fuluius præfectus Vrbis, cui Comazon, vt etiam ei qui ante ipsum fuerat, succesſit. nam vt persona quædam inferebatur in Theatra, quo in loco actores Comœdiarum nõ erant, ita hîc in loco destituto à præfectis Vrbis collocabatur. Ipse quoque Heliogabalus Roma expulsus est. Hæc igitur sunt, quæ ad Tiberinum pertinẽt, ne quisquam eorum qui cum eo seditionem fecerant, quique potuerant apud eum plurimum, vno duntaxat excepto, saluus euasit.

Heliogabalus deus ex urbe expulsus.

Alexander.

POST illum statim imperauit Alexander, qui Domitio Vlpiano præfecturam Prætorianorum dedit, eique permisit cætera quæ pertinent ad administrationem Imperii. Cæterùm ea quæ supradicta sunt, ego quidem accuratè, diligentérque conscripsi, vt potui: quæ verò restant, mihi non licuit persequi pari diligentia, quòd Romæ non sum diu commoratus, quódque in morbum incidi, cùm ex Asia in Bithyniam venissem: ex qua profectus sum ad præfecturam AEgypti: pòst vbi reuerti in Italiam, statim penè in Dalmatiam, atque inde in Pannoniã superiorem missus sum, vt eis præessem. Quod cùm feciſſem, atque in vrbem Romam, & deinde in Campaniam reueniſſem, statim domũ redii. Quibus ex rebus factum est, vt ea quæ sequuntur, non potuerim pariter cum iis quæ præcesserũt, intelligere: dicam tamen in summa ea quæ vsque ad secundum consulatũ meum gesta sunt. Igitur Vlpianus multa, quæ non rectè à Sardanapalo facta erãt, emendauit. Flauianum verò & Chrestum interfecit, vt eis suc-

Domitius Vlpianus præfectus Prætorio.

cederet, ipſéque nõ multò pòſt à Prætorianis, qui de nocte eum inuaſerunt, interfectus eſt: quanquam accurrerat in Palatium, atque ad ipſum Imperatorem, matrémque eius confugerat. Sed cùm adhuc viueret Vlpianus, tanta contentio ex parua cauſa populo cũ Prætorianis fuit, vt tres dies pugnauerint inter ſe, magnúſque numerus hominum vtrinque interierit. Poſt vbi milites, quòd victi erant, cœperunt ædificia incendere, populus metuens ne tota Vrbs conflagraret, inuitus cũ eis reconciliatus eſt. His confectis rebus, Epagathus, qui Vlpiano magna ex parte cauſa necis fuerat, miſſus eſt in AEgyptum vt præfectus eius prouinciæ, ne fortè ſi de eo Romæ ſupplicium ſumptum eſſet, tumultus aliquis concitaretur: atque inde reductus in Cretam, condemnatus eſt. Per id tempus multæ rebelliones factæ ſunt à multis: quarum aliquot cùm fuiſſent formidoloſæ, repreſſæ ac reſtinctæ ſunt. Quæ verò acciderũt in Meſopotamia, multò certè horribiliora non ſolùm Romanis, ſed etiam cæteris omnibus timorem longè maximum fecerunt. Artaxerxes enim Perſa cùm Parthos tribus præliis ſuperaſſet, atque Artabanum regem eorum interfeciſſet, irruit in Armeniam, ex qua pulſus ab incolis, Medíſque nonnullis, & filiis Artabani, in fugam ſe cõiecit, vt quidam putant: nam alii reuertiſſe aiunt, vt maiores copias cõpararet. Hic igitur nobis formidoloſus fuit, quòd maximis copiis non modò Meſopotamiam inuaderet, ſed etiam Syriã, minaretúrque ſe recuperaturũ omnia quæ Perſæ olim tenuiſſent, vſque ad mare Græcum, quæque ad ſe propter maiores ſuos pertinerent. Neq; verò nobis timor iniectus eſt propterea quòd ipſe videretur eſſe inexpugnabilis, ſed quòd noſtri ita affecti eſſent milites, vt pars ad eum tranſiret, pars nobis nollet opẽ ferre: quorum tanta eſt mollitia, licentia, impunitas, vt hi qui ſunt in Meſopotamia, interficere ſint auſi Flauium Heracleonem, qui ipſis præerat: & Prætoriani poſt Vlpianum me quoque criminati ſint, quòd cùm in Pannonia militibus præfuerim continenter, metuerent, ne poſtularem, vt ipſos cogeret aliquis inſtitutis Pannoniorum viuere. At Alexander horum rationem habuit nullam, ſed contrà me magis honeſtauit, ſecúmque vnà deſignauit ſecundum Conſulem, & ſumptus quos ea dignitas poſtulat, ſe facturum recepit. Quamobrem cùm moleſtè ferrent Prætoriani, timui, ne me, vt vidiſſent cum inſignibus Imperii, interficerent. Itaque mihi iuſſit Alexander, vt alicubi extra Vrbem commorarer in Italia, tempore huius Conſulatus mei. Quod cùm feciſſem, Romã veni: dein profectus ſum ad

Vlpianus à Prætorianis interfectus.

Artaxerxes Perſa.

Dion iterum Conſul.

ipſum in Campaniam, verſatúſque cum eo per aliquot dies, viſúſque à militibus, cum magna ſecuritate domum redii, dimiſſus, quòd laborarem ex pedibus, vt reliquum vitæ tẽpus in patria degerem, vt mihi apertiſſimè dæmonium, cùm iam eſſem in Bithynia, ſignificauit: quòd mihi viſũ eſt præcipere in ſomnis, vt hos verſus ad finem huius hiſtoriæ adderem,

Ἕκτορα δ' ἐκ βελέων ὕπαγε Ζεὺς ἔκ τε κονίης,
Ἔκ τ' ἀνδροκτασίης, ἔκ τ' αἵματος, ἔκτε κυδοιμοῦ·

Iupiter è multis crudelibus Hectora telis,
Puluereéque, & cæde exemit, belliique tumultu.

FINIS.

EORVM QVAE IMPRIMIS SCItu & memoratu digna videbantur in hac Xiphilini Epitome, dictiones paſſim in margine tráſcurrentes, Indicis modo, ne ſtudioſus cognoſcendæ hiſtoriæ etiam hãc inueniendi facultatem ſibi ereptam putaret, in ordinem alphabeti redigere lubuit.

A

Achillas 14
Acus oblitæ ueneno 173
Acuti gladij Druſiani appellati 79
Adoleſcens abſque humeris 55
Adriani patria 190
Adrianus gloriæ cupidiſſimus 190
Adrianus hiſtoricus 194
Adrianus uenationis ſtudioſus 193
Adulatores 19
AEgina 54
AEgyptus tributaria 47
AElia Catula 123
AEmilianus legatus Nigri 232
AErarium exhauſtum 223
Agrippa 42
Agrippina 112.119
Agrippina interficitur 120
Albani 4
Albanum 169
Albanus mortem ſibi conſciuit 241
Albis fluuius 57
Album 25
Alienus 154.164
Amphitheatrum 16
Anni uitæ Auguſti 71
Annulus Pompei 14
Antoninus & Geta filij Seueri 247
Antoninus fauebat Chriſtianis 199
Antoninus penè perdidit Alexandrinos 264
Antoninus ſtudioſus Alexandri 258
Antonius Cæſaris ſacerdos 19
Antonius Dionyſius 35
Antonius hoſtis iudicatur 23
Antonius Muſæ 53
Antonius Octauiam ſororem Cæſaris uxorem duxerat 38
Antonius Primus 153
Antonius quo die uictus 44
Antonius rebellionem facit in Germania 173
Apelles Tragœdus 96
Aper ingens 242
Apis 47
Apollodorus architectus 190
Apollonia 10
Apollonius Tyaneus 176.263
Apronianus Ciliciæ procõſul, pater Dionis 189
Aquæ Cutiliæ appellatæ 164
Aquila 9
Araxes 3
Archelaus rex Cappadociæ 81
Arcus triumphales 177
Ariſtobolus 4
Ariſtotelici odio habiti ab Antonino 259
Arruphis 203
Arſacidæ unde 9
Artaxata 3
Artaxerxes Perſa 279
Aſiaticus 111
Aſinæ quingentæ 135
Aſinius Gallus 76
Aſphaltum udit Traianus 186
Aſtrologi & Magi ex Vrbe expelluntur 81.151
Athenienſes deditionem fecerunt 13
Atra obſidentur 242
Attis 223
Authoritas 58
Augarus rex Oſrœnarum 262

Auguſtale 78
Auguſtales 123
Auguſti appellatio 49
Auguſtus Nolæ moritur 71
Aulus Fuluius à patre ſuo occiſus 6
Aurelius AElix athleta 274
Aurelius Antoninus Adriani filius adoptiuus 197
Aurelius Zoticus 276

B

Bacchæ 113
Baiæ 38
Barbam nutriuit Adrianus 183
Baſſianus conſobrinus Pſeudãtonini 276
Batani 68
Bathillus 56
Bellum cum filijs Pompei 17
Bellum cum Nigro 232
Bellum cum piratis 2
Bellum illatum Parthis 242.263
Bellum Seueri cum Albino 238
Beronicæ 163
Bibulus 11
Biſſones 247
Boryſthenes equus, quo Adrianus in uenationibus utebatur 194
Britannæ mulieris facetè dictum in Romanas 255
Britannia 8
Bruti morituri ſententia 31
Brutus & Caſſius 29
Bucoli 201
Bulas famoſus latro 251
Bunduica 124
Bunduica moritur 119
Burus ueneno ſublatus 130
Byzantij deditio 237
Byzantij topographia 234

C

Cædes Epaphroditi Neronis liberti 175
Cœna ſepulchralis, & conuiuium lar-
uale 172
Cæranus 248
Cæſar 6
Cæſar ad ueteranos confugit 33
Cæſar aduerſus Lepidum 40
Cæſar bis in Britanniam 8
Cæſar Cenſor cum Agrippa 48
Cæſar corpus Alexandri uidit 46
Cæſar deliberauit de Imperio deponendo 47
Cæſar dicitur Dictator 10
Cæſar & Antonius hoſtes 42
Cæſar Gallias ſubegit, Nicomedes Cæſarem 16
Cæſar in Helleſpontum 13
Cæſar mitis natura 26
Cæſar popularis 3
Cæſar nando euaſit 14
Cæſar tentauit regnum deponere 48
Cæſar uictus in Sicilia fugit 39
Cæſar uiſo capite Pompei fleuit 13
Cæſaris ſtatua eburnea iuxta ſtatuam Bruti poſita eſt 18
Caius 60
Caius Soſius 41
Caius theſauros uendit 101
Caluinus 13
Calumniatores 87
Camelopardalis 16
Candacæ 54
Candidus 233
Canum fides 87
Capta caſtra Cæſaris 31
Captus Labienus 36
Caracalli nomen unde extiterit 265
Carinæ 35
Caſſius 201.205
Caſſius Clena ſe purgat honeſtis rationibus 234
Caſſius Longinus 9
Caſſius Melinus 102
Caſtor 253
Cato in carcerem 7
Catulus 2
Cauſa bellorum ciuilium 9
Cauſa quæ impulit Dionem ad conſe-

Ctionem huius historiæ 220
Cecilius Agricola 249
Centum ciues excisi à Plautiano 244
Certamen mulierum 245
Cesetius & Marulus 19
Cetus 56
Cetus *ingens* 246
Christianorũ legio κεραωνοβόλος *appellata* 204
Cibi genus apud Britannos, quo Turcæ etiam nostro tempore utuntur, fabæ magnitudine 253
Cibi Vitelliani 152
Cicero exul 7
Cicero transfuga 3
Ciceronis caput 27
Ciuitatis donatio 109
Clades Romanorum in Britannia 124
Claudius 102
Claudius Latro 238
Claudius Tiberius Nero 33
Cleander ex seruo cubicularius Cõmodi 214
Cleopatra 14
Clodia virgo uestalis 262
Cn. Domitius Corbulo 111
Cn. Iulius Agricola 166
Cœnis 163
Cognomina Tiberij 77
Colossus 163.219
Columna maxima Traiani 184
Columnæ maximæ 200
Commodus hostis appellatus 222
Commodus infirmos occidit 219
Commodus scæua 218
Commodus timorem incutit Senatoribus ridiculè 219
Coniuratio 104
Consilium Licinij 56
Consuetudo subscribendi Salutem in epistolis 78
Consules uigintiquinque 25.214
Conuitia Alexandrinorum in Vespasianum 161
Coracota latro 74
Corasius 186
Corbulo 132
Cordi historia 86
Cornelia Paula 275
Cornelius 57
Cornelius Fronto 196
Cornelius Gallus 47
Cornelius Gallus se interfecit 51
Cornificius 39
Cremonæ direptio 155
Crispina nubit Commodo 208
Crispina uxor Commodi occiditur 211
Crocota primùm Romæ 246
Crudelitas Caij 97
Cucurbitas pinge, Apollodori dictum in Adrianum 191
Culeus 121
Cum Ione Caius contendit 104
Cupit Messalina plurimis uiris nubere 112
Cur Tiberius reliquit imperiũ Caio 94
Cyzicænis libertas erepta 86
Cyzicum 200

D

Daci 171
Damnati ne intra decẽ dies capitis supplicio mulctarentur 84
De diebus, mensibus, & annis 17
Decebalus 173
Decebalus sibi mortem conscisit 183
Decianus Catus 124
Decocta Neronis 145
Delatores 166
Delatores occisi 93
Delphini 42
Demetrius 8
Demetrius Cynicus 162
Demochares 38
Deorum formas induebat Caius 103
Diadumenus filius Macrini 265
Dictator 49
Dictum Agrippæ 39
Dictum Ciceronis in Caninium 18
Dictum militis in Senatum 24
Dictum Senecæ 123

Dierum ordo 5
Dies necis Seiani celebratus 92
Diogenes 164
Dion & Ioannes Xiphilinus 51
Dion iterum consul 279
Dion libenter habitabat Capuæ 247
Dion prætor designatus à Pertinace 227
Dionis historia à quo loco incœperit 111
Dionysius Papyrius præfectus annonæ 216
Diribitorium 96.168
Diuidere uoluit Tiberius principatum in tres partes 76
Domitiam uxorem Domitianus repudiat 170
Domitianus cõsul fuit decem annos perpetuos 171
Domitius Afer 100
Domitius pater Neronis 115
Domitius Vlpianus præfectus prætorio 279
Donum Neronis duplicatum 117
Draco biceps 43
Duo genera Britannorum 252
Duplex sigillum 45
Dyrrachium 11

E

Edictum Claudij de seruis ægrotantibus 111
Elephantorum cum armatis hominibus certamen 8
Elephas funambulus 121
Entellus 175
Epaphroditi Neronis liberti cædes 175
Epicharitis constantia 134
Epistola Adriani 196
Epitaphium Virginij Rufi 178
Equus Cæsaris 6
Equus Caij 98
Equus nolens dominum deserere 230
Equus nomine Pertinax 222
Eras Cynicus 164
Exodus 247
Euphrates philosophus 195
Eutychianus præfectus prætorio 273
Excidium Troiæ 132
Exequiæ Pertinacis magnificæ 231
Exercitus pop. Romani 67
Exercitus Romanus in tres partes diuisus 238
Exules restituuntur 258

F

Facetè dictum 113
Factiones aurigarum duæ 171
Fames ingens 107
Fauonius 32
Fauorinus Gallus 190
Faustina 205
Faustina mater exercituum 205
Faustina moritur 207
Fera Ausonia 265
Flauius Titianus 264
Flauius Vespasianus 98
Fœdæ & plus quàm aniles acclamationes 219
Fortuna Cæsaris & Antonij 24
Fortunatis tertio mense filios nasci 36
Forum Odœum, & gymnasium Traiani 190
Fractus animo Pompeius 13
Fratres Senecæ 134
Fronto consul 177
Fuluia 32.33
Fuluia Antonij uxor gladium accingebat 33
Fuluia moritur 34
Fungus inscriptus Latinis literis 180
Funus Cæsaris 73
Furius Camillus 108
Fusius nepos Seueriani 196

G

Galbæ principatum præuidit Tiberius 83
Galli 7
Germanicus in Dalmatia 68
Geta frater Seueri 247
Geta in sinu matris occiditur 257
Getæ 171
Getæ nomen inuisum Antonino etiam

in Comœdijs & teſtamentis 261
Gracinus Laco præfectus vigilum 91

H

Haſtæ 61
Heliogabalus 273
Heliogabalus deus ex Vrbe expulſus 278
Helius Cæſarianus 139
Heludius Priſcus 174
Herennius Senecio 174
Herodes rex Iudæorum 41
Hierapolis 186
Hierocles Sardanapali Imperatoris maritus 275
Hieroſolyma 160
Hieroſolyma capta 4.41
Hircanus 4
Hiſtoria Romana Dionis ampliſſima, & pluruma uoluruna continens 51
Hiſtoriam Imperatorum ſcribere difficile 50
Homerum abolere, & Antimachum introducere cogitauerat Adrianus 191
Honores habiti Seiano 84
Hoſtilius 162
Humanitas Cæſaris 12

I

Ianus ante fores Curiæ 227
Imperator Sardanapalus nupſit 275
Imperatores ſoluti legibus 50
Imperatoris nomẽ recuſauit Tiberius 76
Impietas erat committere in Imperatorem 78
Incendium Palatij 61
Incendium Veſeui 166
Incendium Vrbis 131
Indorum legati 55
Inhoneſtum conuiuium 130
Inſolens oratio Iuliani in Senatu 227
Interfecti Adriani iuſſu 190
Ioſephus 159
Iubentius Celſus 174
Iudæi 5
Iudæo non licet in Cyprum uenire 188
Iudæorum motus 188.194
Iulia 60
Iulia Antoniorum mater 33
Iulia filia Auguſti Agrippæ nupſit 54
Iulia uxor Seueri 231
Iuliæ matris Caracalli interitus 270
Iulianus 175
Iulianus Mediolanenſis 226
Iulianus capitæ damnatus 229
Iulianus Seuerum hoſtem iudicat 228
Iulius Criſpus ob carmen Vergilianum occiditur 242
Iulius Sabinus 160
Iulius Seuerus 195
Iulius Solon occiſus 230
Iupiter 6
Ius aureorum annulorum 36
Ius trium liberorum 58
Iuuenalia 113

L

Labienus 17.34
Lætus cum Prætorianis contra Pertinacem coniurant 224
Lætus & Electus coniurati 220
Lætus & Martia interfecti 229
Lætus occiſus 242
Larginus Proclus 176
Largus 51.52
Laureati ſpectabant Senatores 219
Lentuli dignitas apud Tiberium 86
Leo præfectus Vrbis 275
Leo ſocius Antonini 267
Lepidus 20
Lex Falcidia 55
Libo 11
Libri quatuor 72
Licinius libertus Iulij Cæſaris 56
Liuia nubit Cæſari 36
Liuia hortatur & admonet Auguſtum 62
Liuiæ apophthegmata 87
Liuiæ mors, eiuſque uitæ anni 87
Liuiæ nomẽ ſcriptũ in literis Tiberij 79

Liuiæ obnoxius Cæsar 55
Locusta uenefica 114
Lollia Paulina 98
Lucilla Marci filia 200
Lucilla soror Commodi 211
Lucius Antonius uictus 33
Lucius Cornelius Balbus 35
Lucius Lucullus 1
Lucius Maximus 173
Lucius Piso 147
Lucius Priscillianus 269
Lucius Vitellius assentator 103
Ludi Augustales 70
Luna 6
Lunæ defectio 110
Lupus Mæsæ nepos ex Sœnide 270
Lucianus Proclus 173

M

Magicis artibus utebatur Adrianus 194
Malum oppidum Ciliciæ 212
Μαντῖον deletum 140
Manus ferreæ 44
Marcellinus 150
Marcellus 164
Marcellus moritur 53
Marci Sexti diuitiæ & egregiũ factũ 93
M. AEmulius Scaurus propter tragœdiã, cui nomen erat Atreus, occisus est 94
M. Bipsanius Agrippa 37
M. Cato 6
Marcus petebat à Senatu pecuniam ex ærario 208
M. Saluius 119
M. Silanus socer Cai 97
Mare Rauennas 122
Mare rubrum 187
Mars 6
Martia 220
Martialis auc 267
Mecœnas 45.59
Mecœnas inuentor notarum 59
Mecœnatis sententia de Cæsaris monarchia 47
Mena libertus 34
Menæ consilium 35
Mercurius 6
Mesa Iuliæ soror 270
Messalinæ libido 109
Messalina iugulatur 111
Metellus in Cretam missus 1
Milites Europæ potiores 243
Milites non parent Seuero 243
Militum amor in Germanicum 77
Miracula Vespasiani 160
Mirum 176
Missilia 42
Mithridates uincitur 3
Mithridates à filio occisus 4
Mœchorũ tria millia mortæ affecta 255
Monumentum Alexandri 244
Monumentum Solomonis 195
Moritur Marcus 209
Moritur Vespasianus 164
Mors Cleopatræ 46
Mors Corbulonis 141
Mors Drusi 58
Mors Iubæ & Petreij 15
Mors Paridis saltatoris 141
Mors Procli & Rufi 141
Mors Senecæ 134
Mors Sorani 134
Mors Thraseæ 134
Motus populi contra Iulianum 227
Mulier Drusum increpat 58
Mulieres annum luxêre Augustum 73
Mulieres præliabantur 201
Mulieribus deditus Claudius 107
Munera sua Tiberius coram uolebat numerari 78
Murenæ carnibus humanis uescãtur 57

N

Nœuius Sertorius Macro 91
Naphtha 1.243
Narcissus 113
Narcissus Commodi interfector bestijs obiectus 220
Natalis dies Seiani publicè celebratus 87
Ναυμαχία 16
Ne mendicis quidem parcebat Vespa-

ſianus in tributo exigendo 161
Ne *muſca quidē, dictū in Domitianū* 161
Nero *nupſit Pythagoræ* 139
Nicæa *patria Dionis* 245
Nicomedes *Cæſarem ſubegit* 16
Nicopolis 3
Niger *obtruncatur* 234
Niger *Peſcenius* 227
Nigidius *Figulus aſtronomiæ peritiſſimus* 21
Nilus *à mâtæ Athlantæ ortū habet* 244
Niſibis 2
Nobilium *& ignobilium differentia* 89
Nomen *Domini* 61
Nomina *menſium ex nominibus Commodi* 216
Nouembrem *Senatus appellare Tiberiū uolebat* 82
Nubit *Neroni Sporus* 135
Numerianus *grammatiſta* 239
Nymphidius *Capito* 146

O

Oceanum *Caius ſubigit* 102
Octauia *Auguſta repudiata & occiſa* 130
Octauiana *ædificia igni conſumpta* 168
Octauianus 25
Octo *aurei uiritim dati* 208
October *Donutianus appellatus eſt* 171
Oderat *Senatores Caracallus* 259
Oratio *Adriani ægroti* 197
Oratio *Bunduicæ* 124
Oratio *Liuiæ* 63
Oratio *Marcellini in foro miſerabilis* 250
Oratio *Marci ad milites* 205
Oratio *Paulini* 128
Oratio *Vindicis* 143
Orationem *pro amico mortuo habuit Tiberius* 79
Orbis *deſcriptio* 70
Orodes *rex* 9
Othonis *oratio* 150

P

Palatia 49
Palatium *circundatum cancellis* 229
Palma 190
Pandateria 60
Papinianus *ſecuri percuſſus* 258
Papinianus *præfectus prætorio* 256
Paris 170
Parthenius 175
Parthi 9
Parthi *in Syriam* 34
Parthi *uicti* 36
Paternus 211
Patina *Vitellij* 142
Patris *appellatio* 50
Pauſilypus 57
Pax *facta cum Sexto* 35
Peponila 164
Perennis *præfectus prætorio* 213
Perfodere *Iſthmum* 140
Pertinax 205
Pertinacis *uerba in Senatu* 221
Pertinax *occiditur à militibus* 225
Petronius 54
Philopœmenes 27
Phœbe 60
Phœbus 162
Phœnix *uiſa in AEgypto, quo anno Tiberius mortuus eſt* 74
Phraates 4. 60
Phraates *ſigna & captiuos reddidit* 54
Plautianus 244
Plautianus *obtruncatur* 248
Plautilla *filia Plautiani nupſit Antonino* 244
Plautus *& Plautilla Antonini iuſſu occiſi* 256
Plotina *uxor Traiani* 179
Plutarchus 18
Pollenius *Sebennius* 251
Pollio 57
Polybius 30
Pompeiopolis 3
Pompeius *Imperator contrà piratas delectus* 3
Pompuſianus 174
Pons *Aelius* 198
Pons *in mari* 99

Pons magnificus in Danubio 182
Portenta 38
Portenta contra Lepidum & Antonium 26
Porticus Liuiæ 57
Portus 107.108
Præcepta Cæsaris 72
Prælium in angustiis Nicææ & Cij 233
Prælium apud Pylas Cilicianas 230
Prælium Seueri & Albini 240
Prætorianos unum in locum congregat Seianus 83
Prasinus 98
Primum decennium Tiberij 86
Primus 53
Princeps Senatus 223
Principis cõsilia secreta esse oportere 75
Prisus 162.174
Prisus municeps Dionis 235
Prodigia 47.71.114.220
Prodigia Seiani mortem præcedētia 90
Prodigia Seueri 231
Prodigium palmæ 17
Protogenes 102
Prouerbium 148
Prouinciis tres uiri præerant 228
Prouincias quasdam sibi retinuit Augustus 49
Pseudonero 149
Psylli 46
Ptolemæus 7
Publia Prisca se interemit in Senatu 89
Publius Seruilius prætor. 52
P. Thraseas Pætus. 121
Pueri ad magicas artes interfecti 229
Pugna Pharsalica 11
Pugna in Philippis 30
Pugnatum est apud Cyzicum 230
Pugnatur in Danubio conglaciato 203
Puteoli 37
Pylades 56

Q

Quadi 203
Quintilij duo 211
Quintilius Varus 69
Quintillus Plautianus 249
Quintum decennium principatus Augusti 70
Quintus Ciæro & eius filius 28

R

Racius Constans 246
Ramus lauri 38
Reconciliati Antonius & Cæsar 34
Reducitur Iulia 61
Rerum humanarum mutatio 92
Res mira 38
Responsum Augusti ad Liuiam 62
Rex regum 61
Rinocæros 47
Roma Commodiana 216
Romulus 49
Ros coloris argentei 239
Roscius 2
Rusticus Arulenus 174

S

Sabina 119.135
Saltatores expulsi 84
Salue, matutina salutatio: Vale, uespertina 197
Salustius 15
Sardinius Gallus 110
Saturnus 6
Scalæ Gemoniæ 90
Scomma in Iulium Solonem 214
Scomma in Seuerum 251
Scribonia mater Iuliæ 60
Seditio nulitum 15
Seianus 88
Seianus prætorianos unum in locum cõgregauit 83
Sempronius Densus Centurio 148
Sempronius Rufus 262
Senatores tributum soluunt 217
Senatus iudicabat 51
Seneca 119.124
Sepulchrũ siue columna maxima Traia-

ni hodie uiſitur Romæ 184
Seras philoſophus 177
Seruius Iulianus 211
Seruorum fides erga dominos 27
Seuerianus 190.196
Seuerus Albinum Cæſarem fecit per literas 228
Seuerus fecit laudationẽ Pertinacis 232
Seuerus parentauit Pompeio 243
Seueri in pace uiuendi ratio 255
Seueri in Britanniam profectio 252
Sextilis Auguſtus 59
Sextus Bœotus philoſophus 200
Sextus Condianus Quintilius 211
Signa 166
Signa cædis Cæſaris 79
Signa ſeu prodigia quæ Veſpaſiano mortem denuntiabant 164
Similis uir memorabilis 197
Sol 6
Solis defectio 109
Solus deus iudex eſt principis 201
Somnium Ciceronis & Catuli 21
Spectaculum per caluos in contumeliam Tiberij à Seiano exhibitum 93
Sphinx 45
Sporus exciditur 135
Statua Pompei Magni in funere Auguſti 73
Statuæ Plautiani 246
Stephanus 175
Stipatores principis 230
Stuprum illatum ſororibus 95
Sulpitianus 226
Sulpitianus damnatur 241
Supplicio affecit Galba Helium, Narciſſum, Patrobium, & Locuſtam 147
Sutor Gallus 103
Sybillina carmina 82
Syria Craſſo, Hiſpania Pompeio, & Gallia Cæſari obuenit 8
Syria Palæſtina 4

T

Tanyſtæ uirtus 26
Tarans 268
Templum Iudæorum 5
Templum Mineruæ 229
Templum Pacis 163
Templum Quirini 57
Teneo te Aphrica, Cæſaris uox 15
Terentij excuſatio elegans 93
Teridates rex Armeniorum 153
Terræmotus 184.200
Teſtamenti factio prohibita ijs, quibus aqua & igni interdictum eſt 85
Teſtamentum Auguſti 72
Teſtudinis forma 41
Theatrum 16
Theatrum Pompei 8
Theocritus 264
Theriacum ſumebat Marcus 202
Theſauri Decebali in Sargetia flumine 183
Theſaurus Cai 95
Thraſeas 162
Thraſyllus mathematicus 61
Tiberis exundatio 67
Tiberis ſtagnauit 8
Tiberius 60
Tiberius in occultandis affectibus uaſer 75
Tiberius laudauit Cæſarem 73
Tiberius non eſſe ſatis ſanæ mentis exiſtimatus 85
Tiberius Tribunus plebis 59
Tigellinus 130
Tigranes 3
Titus 160
Tonderi oues, non deglubi 78
Traianus homo Hiſpanus 178
Tribunitia poteſtas 50
Triumuiratus 15
Troia 17
Turbo 196

V

Vænale imperium 226
Valetudo Auguſti 52
Vates ne de morte cuiuſq; reſpondeat 70

Venenum Druſo à Seiano datum 85
Veneta ueſtis 152
Ventidius ad Parthos 36
Venus 6
Venus Vrania Carthaginenſium 274
Veſpaſianus 109
Veſpaſianus noctibus utebatur 161
Vibius Criſpus 152
Vibius Rufus 80
Victorinus præfectus Vrbis 214
Vigeſima 68
Vindex 142
Virginem in carcere necari nefas erat 91
Virginius Rufus 143
Vologæſus 162
Vologæſus rex Parthorum 200
Vlpianus à prætorianis interfectus 279
Vlpius marcellus 212
Vrbs marmorea prolateritia 71
Veris uini plena diſſecta 265
Vxor Mecœnatis 55

Z

Zamarus Indus 55
Zeugma 9

FINIS.

Humilitas f. 4.

Q

R

Superbia. fol. 5.

Testamentum Jul. Caesaris, non ab effect.

V

X